TOTIVS IVRIS CANONICI COMPENDIVM,

AVCTORE

PETRO ALAGONA


è Societate IESV.

TOMVS PRIOR

Continens Decretalium, Sexti, Clementinarum, Extrauagantium, tum Ioannis xxij. tum communium Epitomen, præcipuamq. glossæ doctrinam.





ROMÆ, Sumptibus Hæredis Bartholomæi Zannetti. M. DC. XXII.

SVPERIORVM PERMISSV.



ILLVSTRISS. PRINCIPI

IOANNETTINO
S. R. E. CARD.
AB AVRIA

Panhormitano Archiepiſcopo, &c.



Don Franciſcus Lucchiſius, & Feyxo.

PRAECLARE mecum actum exiſtimo, Illuſtriſsime Princeps, quòd meæ obſeruantiæ in te immortalem quãdam ſignificationem exhibendi, doctam hanc nactus fuerim opportunitatem. Cùm enim P. Petrus Alagona, Siculus, Theologus ex Societate Ieſu, noti vir nominis, & doctrinæ, ſacrorum Canonum Epitomen compilaſſet, à multis optatum, vt typis mandaretur; mei muneris eſſe cenſui, tam perutile opus, vt eiuſdem Societatis cetera ſoleo,

prona voluntate complecti. Deinde verò ad operis ipsius dedicationem adijciens animum; nulli accommodatius, quam Tibi, Princeps Illustrissime, labores hosce deberi sum arbitratus, quòd sacrorum Canonum apprimè peritus, eorumdem compendiarium munus, nonnisi facili, beneuoloq. animo sis excepturus. Quod vt de more facias, etiam atque etiam per tuam te benignitatem obtestor. Vale. Romæ ix. Kal. Aprilis. M. DC. XXII.

TABVLA TITVLORVM, Decretalium, Sexti, Clementinar. Extrauagantium, ordine Alphabetico.

✠ 3 Con-

Foro

Re-

Ta-

TABVLA TITVLORVM, Decretalium, &c. iuxta ordinem Librorum:

LIBER PRIMVS.

Officia parat, Ecclesiæq. ministros.

De

LIBER SECVNDVS.

Dat testes, & cætera Iudiciorum.

De

LIBER TERTIVS.

De rebus, & vita Presbyterorum.

De

LIBER QVARTVS.

Quales sint nexus vxoris.

LIBER QVINTVS.

Agit de Criminalibus, seu de vitijs, & pœnis.

De



Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

P. Epiſcopus de Curte Vicesger.

Imprimatur.

Fr. Ignatius Ciantes Romanus, Lector, & Reuerendiſsimi Patris Fr. Hiacynthi Petronij Sacri Pal. Apoſt. Magiſtri Socius, Ord. Prædicatorum.

EPITOME DECRETALIVM

ADM. REVER. PATRIS

PETRI ALAGONAE

Presbyteri, ac Theologi Societatis IESV.

Continens Decretalium, Sexti, Clementinarum, Extrauagantium, tum Ioannis XXII. tum communium, & præcipuam Glossæ doctrinam.

Prooemium Decretalium.



REGORIVS Nonus Decretalium, tum approbatione, tum introductione, auctor, in earum prooemio rationem reddit, cur eas, resecatis superfluis, in vnum volumen ad studentium vtilitatem, per Sanctum Raymundum redigendas curauerit: quia nimirum constitutiones ac decretales, quæ iam diuersis in voluminibus dispersæ erant, sui prolixitate, contrarietate, ac superfluitate confusionem aliquando inducere videbantur, & extra dicta volumina vagantes sæpe, tanquam incertæ in iudicijs vacillabant. Denique quia aliquæ dubietatem præseferebant ipse suarum additione illustrauit. quas omnes Decretales in quinque diuisit libros, in quorum primo tractatur de fide, & iustitia, & sic de ipso Iudice: in secundo de iudicijs: in tertio de Clero: in quarto de matrimonijs: in quinto de criminibus, eorumq. pœnis. Vnde versus

Iudex, Iudicium, Clerus, Sponsa'ia, Crimen.

Glossa Cõstitutio Principis post duos mẽses à publicatione omnes adstringit. *Auth. vt factæ nou. constit. circa princip. collat. 5. & c. nouit, de sent. excom.* Item Constitutio est, quam Princeps proprio

motu facit. Decretalis autem est Epistolaquam ad consultationem respondendo facit. *c. si concubina, de s. nt. excomm.* Item licet par in parem non habeat imperium. *l. nam magistratus, ff. de arbitr.* tamen Papa potest derogare constitutionibus suorum prædecessorum, quia censetur vna, & eadem persona cum ea, cui succedit, & nemo potest sibi hanc legem imponere, vt non liceat sibi à prima voluntate recedere. *l. si quis, in princip. ff. de leg. 3.* Item indulgentiam non debet trahi in consequentiam. *§. plane, inst. de iur. nat.* & *can. petisti 7. q. 1.*

Sexti Decretal. eiusdem Proœmium.

Bonif. viii compilauit




ONIFACIVS Octauus, Sexti compilator, in Proœmio statuit omnes Decretales extra quinque Decretalium prædictarum libros vagantes, non esse pro Decretalibus habendas, nisi in hoc sexto libro contineantur.

Clementinarum eiusdem Proœmium.

Clem. v. compilauit




LEMENS Quintus, Clementinas composuit à Ioanne XXII. promulgatas, qui in earum proœmio ait, iura ita esse ambigua, quòd nequit modus reperiri illa bene declarandi ob malitiam hominum: & quãuis iura sint clara, & sufficientia, homines adeo proni ad malum sunt, quòd ea aliter interpretantur, quàm fuerit mens legislatoris. Vnde ait esse necessariam Principis auctoritatem, tum ad casus emergentes decidendos sua declaratione, tum ad virtutes hominibus inserendas, vitiaq. ab eisdem extirpanda.



DE-

DECRETALIVM
LIBER PRIMVS.
DE SVMMA TRINITATE, & fide Catholica. Tit. I.

1 *Cap. I.* Firmiter. *Innoc. iij. in Conc. Later.*



XPLICANTVR articuli fidei, quos credere debemus circa Sanctissimam Trinitatem: vt quòd Deus sit vnus in essentia, omnipotens, æternus, & creator omnium corporalium, & incorporalium; sit Trinus in personis, ita ut Pater à nullo sit, sed sit semper generans & spirans, Filius à solo Patre sit genitus, sed semper spirans, & Spiritus sanctus ab vtroque procedens; & quòd Filius à tota Trinitate incarnatus, & Spiritus sancti cooperatione, ex Beatissima Virgine Maria conceptus, ex eaque natus secundum carnem passibilis, impassibilis autem secundum Diuinitatem, pro nostra salute sit mortuus; & reliqua, vt in Symbolo.

2 *Cap. II.* Damnamus.

Damnatur doctrina Abbatis Ioachim dicentis vnitatem Trinitatis non esse veram, ac propriam, sed quasi collectiuam, & similitudinariam, vt vnus populus; & Petri Lombardi doctrina approbatur dicentis, quòd quædam summa Res (idest natura) est Pater, Filius, & Spiritus sanctus; & illa Res, idest Natura, non est generans genita, vel procedens, sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus sanctus qui procedit: & licet alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen aliud est Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus, sed id quod est Pater, est Filius & Spiritus sanctus idem omnino. Damnatur etiam doctrina Almarici tanquam hæretica & insana, vt in textu.

Glos. Res non est generans, idest non generat, sed est persona generans.

IN SEXTO LIBER I.

DE SVMMA TRINITATE, & Fide Catholica. Tit. I.

3 *Cap. Unici. Greg. x. in Conc. Lugdunen.*

GRegorius Decimus in Lugdunensi Concilio damnat præsumentes dicere Spiritum sanctum non procedere à Patre & Filio tanquam ab vno principio & vna spiratione æternaliter, sed tanquam à duobus.

CLEMENTINARVM. Tit. I.


4 *Cap. Unic. Clem. v. in Conc. Vien.*

FAtetur misteria Christi, & approbat Euangelium Ioannis. Item quòd anima rationalis sit forma. de hoc habetur *dist.* 1. *vsque ad* 9. *&* *dist.* 9. 10. 13. 15. *vsque ad* 19. *&* *dist.* 19. 20. 29. 30. *&* 38.

DECRETALIVM LIBER I.

DE CONSTITVTIONIBVS. Tit. II.

5 *Cap. I.* Canonum. *Conc. Melden.*



CANONES ligant omnes, excepto Papa: & in iudicijs Ecclesiasticis, & actionibus ciuilibus nemo suo sensu, sed horum auctoritate duci debet.

Glos. Statuta generalia non abrogata per Canonem contrarium, vel consuetudinem, sunt de necessitate seruanda, si præcipiunt, vel prohibent; secus si consulant tantum, tunc enim non obligant, nisi de honestitate.

Cap.

6 *Cap. II.* Cognoscentes. *Gregor.*

RES quæ culpa caret, in damnum vocari non debet. Item lex dat formam futuris negotijs, non præteritis, ne ignorantes detrimentum incurrant ante prohibitionem.

Glos. Nemo priuatur iure suo sine culpa regulariter: aliquando enim sine culpa, sed non sine causa. *can. renouantes, 22. distinct.* Item constitutio non ligat aliquem ante quam ad ipsius notitiam perueniat, sed post duos menses à publica promulgatione omnes ligat. nec est necessarium ad singulorum aures peruenire, nisi quis probet se fuisse extra Ciuitatem.

7 *Cap. III.* Translato. *D. August.*

AB vno connexorum fit extensio ad alterum, ex quo, translato sacerdotio, transfertur etiam lex.

Glos. Vbi est eadem ratio, idem debet esse ius, & iudicium.

8 *Cap. IV.* Nam concupiscentiam. *Idem.*

LEx, qua vno malorum prohibito, cætera etiam prohibentur, est optima.

Glos. Si aliquid non nocet, nocere tamen potest, prohiberi debet. Item vno prohibito, omnia quæ ex illo sequentur prohibentur. *can. pænale 13. q. 5.*

9 *Cap. V.* Ne innitaris. *D. Hieron.*

LEx, ac constitutio propriæ opinioni præponenda est.

10 *Cap. VI.* Cum omnes. *Innoc. iij.*

COnstitutio Collegij antiquam consuetudinem auferens, & non omnibus communis, (idest præsentibus, & successuris) non valet. Ex quo Constitutio dans canonicis huius temporis, licet absentibus à choro, fructus, & auferens canonicis successuris absentibus à choro, ad antiquam reducitur consuetudinem, in textu.

Glos. Constitutio facta in præiudiciũ etiam futurorum non valet. Item constitutio sine consensu Episcopi facta non valet. *c. cum consuetudinis, de consuet.* Ex quo constitutio, de qua in textu, ob dictam rationem non valuit. Eadem Glos. obijcit sic, quod maior pars capituli facit, vt fuit in textu nostro, totum capitulum facere videtur. *c. cum in cunctis, de his quæ fi. à ma. par. cap.* ergo tenet constitutio. Respondeo, quod quando quid est commune pluribus, non vt collegiatis, sed vt singulis, non valet, nisi vel omnes consen-

tiant. *l. fundum ff. de ser. iust. præd.* vel concedatur res in vsum naturalem: tunc enim ab vno tantum præstari potest, alijs etiam socijs contradicentibus. *instit. de rer. diuis. §. religiosum, vers. in commune vero sepulchrum.* Quod si aliquid est commune pluribus non vt singulis, sed vt collegium sunt; tunc aut res est facienda de necessitate, vt alienatio, electio &c. & sufficit maior pars capituli. *c. cum in cunctis, de his quæ fi. à ma. par. cap.* dummodo absentes vocentur. *c. quod sicut, de elect.* aut non est res facienda de necessitate, & non valet, vt in casu nostri textus, sed requiritur quod omnes, vt collegium, non vt singuli consentiant. *c. in Genesi, de elect.* Item in absentia potest quis recipere beneficium sine peccato, si consuetudo adsit, secus de iure communi. *c. nonnulli de cler. resid.*

11 *Cap. VII.* Quæ in Ecclesiarum. *Innoc. iij.*

CONstitutio laicorum quod ipsis ob inopiam liceat feudum Ecclesiasticum alienare, facta sine legitimo consensu ecclesiasticorum, non valet, & venditio facta est ipso iure nulla.

Glos. Constitutio sæcularis etiam vtilis Ecclesiæ non valet. *c. bene quidem, 36. dist.* Item vsuarius non potest vendere vsum, domino non requisito. *Instit. de vs. & hab. in prin.* Nec emphyteuta potest vendere sua melioramenta irrequisito Domino: quod si vendat, potest dominus directus illam venditionem reuocare. *l. vlt. C. de iur. emphyt.* Sed si Domino denuntiauerit post duos menses, potest vendere, non prohibitis tamen personis. *c. potuit, de loc. & conduct.* Item vassallus non potest renuntiare feudum inuito Domino, cùm fauore Domini sit inductum, vt vassallum habeat. Item venditio facta communi omnium consensu, non seruata tamen forma cōmuni, nulla est. *12. q. 2. c. sine exceptione.* Illa vero seruata tenet. *c. cum nos, de his quæ fi. à præl. sine consens. cap.* Quod si ecclesia sit læsa, restituitur in integrum. *c. requisiuit, de in integ. rest.*

12 *Cap. VIII.* Cùm accessissent. *Idem.*

DIgnitas Primiceriatus per statutum Capituli confirmatum à Papa, sublata de Ecclesia, vlterius non vacat, nisi per contrarium actum Capituli tale statutum fuerit reuocatum.

Glos. Primicerius dicitur habere officium. Item qui facit contra priuilegium, perdit illud, & sic ius per abusum perditur. Item quæritur vtrum Canonici sine licentia Papæ possint minuere præbendas, vel dignitates tollere. Sunt hinc inde opiniones: concluditur quod non; & licet quod si iusta causa adsit, videatur dicendum quod sic. *arg. c. proximi, vers. nisi in tantum*; tamen limitatur in digni-

tati-

tatibus creandis vel supprimendis. Item in diminutione numeri iuramento firmati, cui confirmatio Sedis Apostolicæ accesserit sub hac forma, quod si secus fiat non valeat. *c. dilecto, de praeben.* arg. *à* contrario. Item quæritur, vtrum vnico actu perdatur priuilegium. Quatuor referuntur opiniones: tandem concluditur, quod aut priuilegium est personale, & vnico actu contrario perditur; aut est reale, & non perditur vnico actu, sed tempore legitimo, licet postea se remittat ad *c. suggestum, de decimis*.

13 *Cap. IX.* Cum M. Ferrariensis. *Idem.*

CAnonicis receptis supra numerum confirmatum etiam à Papa est prouidendum de fructibus excrescentibus, quomodocumque fuerint augmentati, licet per industriam antecessorum: eo quia in reductione canonicorum ad certum numerum, semper intelligitur clausula, nisi in tantum facultates Ecclesiæ excreuerint, quod pluribus sufficere competenter possint.

Glos. Socius potest sine mandato agere pro socio consorte litis eiusdem, debet tamen cauere de rato. *l. 2. C. de consor. eiusd. lit.* alias non admittitur, nisi sit coniuncta persona *l. sed hæ personæ, ff. de procur.* Item protestatio contra substantiam facti vel rei, super qua interponitur, non valet. Item canonia & præbenda differunt, quod canonia est ius proueniens, ex electione & receptione in fratrem; secunda vero est ius proueniens ex institutione & officio: ex quo enim quis facit officium debet percipere beneficium. Item Laicus potest esse præbendarius, sed non canonicus. *c. Ecclesia, de instit.* Item omnis canonicus debet habere præbendam, sed non è contra habens præbendam debet necessario esse canonicus. Item qui augmentat sua prædia per propriam industriam, sibi tantum vtile acquirit: si vero communia augmentat, illud communicat socijs, quia sunt cõmunitatis, vt hic. Item de iure communi potest quis recipi in Canonicũ, & non ad præbendam, sed illam expectare debet. Item supernumerarij canonici non habent vocem in capitulo, nisi consuetudo adsit in contrarium.

14 *Cap. X.* Ecclesia Sanctæ Mariæ. *Idem.*

STatutum laicorum generale tam circa temporalia, quam circa spiritualia in præiudicium ecclesiæ, vel personæ, vel rei ecclesiasticæ non tenet; speciale vero neque in eorum commodum valet.

Glos. Laici de rebus Ecclesiæ non possunt disponere neque in temporalibus, neque in spiritualibus, nec de his potest in laicum compromitti. *c. contingit, de arbitr.* Item bona clericorum & ecclesia-

rum eodem iure debent censeri, *c. vlt. de vit. & bon. cler.* Item citatio est principium, & fundamentum ordinis iudiciarij. *c. inter quatuor de maior. & obed.* Item per conuentionem perpetuatur iurisdictio delegati. *c. gratum, de off. deleg.* Item nemo est condemnandus, nisi conuictus vel sponte confessus, alias sententia est nulla. *c. cum nos in quemquam, 2. q. 1.*

15 *Cap. XI.* Ex litteris. *Idem.*

PRiuatus ob contumaciam iuxta formam statuti communione aliorum, si deinde voluerit obedire, restituendus est: quia quando non apponitur in perpetuum, intelligitur priuatio temporalis, tum ex iure, tum ex consuetudine.

Glos. Idem intelligi debet quamuis statutum sit iuratum, eo quia statutum est benigne interpretandum. Item excludere aliquem simpliciter, & excludere in perpetuum, sunt diuersa. *c. non oportet, 2. 33. q. 4. in gl. fi.* Aliquando tamen verbum simpliciter trahitur ad futura iuxta qualitatem negotij, vt si essemus in crimine; secus si in contumacia tantum, vt in casu textus nostri.

16 *Cap. XII.* Ex parte. *Honor. iij.*

DIminutio numeri canonicorum à canonicis facta, etiam à Papa confirmata, reuocanda est, si reditus Ecclesiæ non erant diminuti.

Glos. Numerus canonicorum minui potest auctoritate Episcopi, si reditus Ecclesiæ sint diminuti. *arg. c. quoniam vt ait, de vit. & bon. cler.* Item confirmatio statuti sub forma communi impetrata à Papa, nihil noui tribuit. *c. cum dilecta, §. nos igitur, de confir. vtil. vel inutil. vers. nolentes.* Non enim Papa per talem confirmationem intelligit iuri alicuius derogare. *c. licet, §. 1. de off. ord.* quia inde non debet nasci iniuria, vnde iura oriuntur. *c. qualiter & quando, de accus.* Secus dicendum, si sit confirmatio ex certa scientia: tunc enim nouiter disponit. *glos. in c. cùm accessissent, in ver. confirmatum, in fi.* ibi *item valet, supra eod. tit.*

17 *Cap. XIII.* Quoniam constitutio. *Greg. ix.*

LEx & confirmatio ita respiciunt futura, vt non trahantur ad præterita, nisi de his nominatim caueatur.

Glos. Apostolica constitutio ligat omnes de sua iurisdictione. Item eius est declarare ius, cuius est illud condere. *c. inter alia, §. vt igitur, de sent. excom.* Item constitutio iuris naturalis respicit etiam præterita. *c. cum tu, de vsu.*

IN

IN SEXTO LIBER I.

De Constitutionibus. Tit. I.

18 *Cap. I.* Licet Romanus. *Bonifac. viij.*

CVm Papa censeatur habere omnia in scrinio pectoris sui primam constitutionem reuocat per secundam, licet de prima non faciat mentionem. Cùm tamen specialium locorum, & singularium personarum statuta & consuetudines ignoret, illa non reuocat si sint rationabilia, nisi expresse in ipsa caueatur.

Glos. Vnum ius tollitur per aliud contrarium, non item vnum rescriptum per aliud, nisi in secundo fiat mentio de primo. *c. caeterum, de rescrip.* Ratio est in textu, quia iura sunt in scrinio pectoris Principis; & sic censentur sciri à principe; rescripta non item, sed in facto consistunt, & sic censentur ab eodem ignorari. Item standum est secundo testamento, quamuis in eo non sit facta mentio de primo, nisi aut primum sit inter liberos. *C. de test. vil. auth. hoc inter liberos. C. de testam.* aut primum conditionem hanc contineat: si fecero aliud testamentum non valeat, tunc enim debet fieri mentio de primo. *l. si quis, in principio testamenti. ff. de leg. 3.* Item vna lex tollit aliam contrariam antiquiorem: alioqui noua esset frustratoria, quod si erat statutum particulare, & de eo non fit mentio, non reuocatur, quia non frustratur lex noua, cum alibi possit seruari. Item statutum particulare secundum ius commune reuocatur per constitutionem vniuersalem Pontificis: & ratio est, quia tale statutum non est facti, nec in facto consistit, sed iuris est, & in iure consistit.

19 *Cap. II.* Vt animarum. *Bonif. viij.*

COnstitutio Episcopi, vel alterius non ligat ignorantes probabiliter, nisi ignorantia fuerit crassa & supina: nec ligat subditum extra suam Diœcesim, vt si fiat statutum ne clericus ferat arma, vel nutriat comam sub pœna excommunicationis.

Glos. Secus est si sit excommunicatus, vel infamis; nam quamuis exeat Diœcesim, tamen semper remanet talis, eo quia ista afficiunt personam, sicut lepra leprosum. statutum vero non ligat subditum manentem extra Diœcesim, vt in textu, eo quia statuta facta ab eo, qui habet territorium limitatum, non habent vires, nisi in Diœcesi. Item si statutum, quod fuit publicè publicatum in Vrbe, quis dicat se non sciuisse, quia non fuit ei notificatum, non excusatur,

ſatur, admittitur tamen ad probandum, quod notificatio talis ſtatuti ad ſe non peruenit.

DECRETALIVM LIBER I.

DE RESCRIPTIS. Tit. III.

20 Cap. *I.* Sicut Romana. *Alexand. iij.*



PECIALE mandatum derogat generali, etiam ſi de eo nulla fiat mentio: vt ſi habeam generale priuilegium appellandi, & iudici delegato committatur cauſa, ſublato remedio appellationis, ſi ego appellationem proponam, non eſt admittenda.

Gloſ. Reſcripta ſunt reſponſiones ad epiſtolas, ſeu interrogatoria, de quibus habetur 25. *q.* 1. *&* 2. Item prohibitus appellare ob ſuam culpam, & reſtitutus ex indulgentia ad appellandum, non auditur appellans, ſi cauſa iudici committatur appellatione remota, vt in textu. Nec obſtat quod priuilegium primum conceſſum tali reſtituto ad appellandum, non poſſit tolli per ſecundum poſitum in delegatione iudicis de non appellando, niſi in eo fiat mentio de primo. *c. veniens, de præſcript.* prout non fuit facta in caſu noſtro. Nam reſponpetur quod tali prohibito non datur priuilegium appellandi, ſed ſolum ille reſtituitur ad appellandum, iuxta formam iuris communis ex indulgentia; ſi enim ei daretur priuilegium appellandi in cauſa non appellabili, vtique eſſet neceſſe in ſecundo priuilegio de non appellando facere mentionem primi de appellando. Item de reuocatione reſcriptorum priuilegiorum litterarum beneficialium, quæ valeant primæ, vel ſecundæ, vide ibi plenè.

21 *Cap. II.* Ex parte. *Alex. iij.*

IN Apoſtolico reſcripto ſemper intelligitur clauſula, ſi preces veritate nitantur, licet non apponatur in litteris.

Gloſ. Periurus repellitur ab obtento beneficio. Item quod litteræ expeditæ, quod aliquid fiat ſine cauſæ cognitione, cenſentur ſubreptitiæ, & ad Papam ſunt remittendæ. Item quod reſcriptum potius eſt interpretandum ſecundum rei veritatem, quã ſecundum ordi-

dinẽ scripturæ. Item quamuis in rescripto duo copulatiuè mandentur cognosci, ad hoc verbi gratia vt quis à præbenda remoueatur, vt in textu tamen si alterum sufficit probari, intrat remotio, altero etiam non probato, ita vt particula, &, resoluatur in, Vel, vt in textu, & *l. sæpe, & l. coniunctionem, ff. de verb. signif.* sicut quando duo disiunctim mandantur, si alterum non sufficit, debet vtrumque probari, ita vt particula, Vel, resoluatur in, Et. *l. cum quidam, ff. de verb. signif.*

22 *Cap. III.* Cæterum. *Alex. iij.*

PRimæ litteræ commissionis causæ ab vno litigantium obtentæ attenduntur, si in secundis ab altero obtentis non sit de illis facta mentio. Item si primæ de consensu partium sint obtentæ, & deinde vna pars inscia, altera, tacens conuentionem, secundas obtinet alteri iudici causam committentes: hæc gratia est nulla, & hic alterius soluat expensas.

Glos. Iudicio. Rescriptum legitimum perditur varijs causis, vt per secundum faciens mentionem de primo, vt in nostro textu. Item per negligentiam impetrantis anno elapso. *c. sin autem, hic.* Item per sollicitudinem præuenientis. *c. vt debitus, de appellat.* Item per fraudem illius qui duo paria litterarum obtinuit ad diuersos, & vtitur vtrisque. *c. ex tenore, infr. eod.* Item ex noua causa emergente, *c. insinuante, de off. deleg.* Item perditur ad tempus per excommunicationem. *infr. de off. deleg. c. prudentiam. §. sexta.* Item per relationem. Item per recusationem. Item per mortem impetrantis, vel eius, contra quem est imperatum.

23 *Cap. IV.* Inter. *Alex. iij.*

QVando Papa in rescripto mandat de duobus inquiri disiunctiue ad certum effectum consequendum, sufficit alterum probari: vt si dicat. v.g. si constiterit, quòd sit filius sacerdotis in sacerdotio natus, vel quod illicitè Ecclesiam occupauerit, &c.

24 *Cap. V.* Si quando. *Idem.*

IS ad quem rescriptum dirigitur, debet parere, vel causam rationabilem assignare cur non pareat.

Glos. Per litteras monitorias confertur ius. Item quæ per nimiam sollicitudinem elicita sunt, non valent.

Cap.

25 *Cap. VI.* Cùm ordinem. *Idem.*

CIstercienses sunt priuilegiati, ita vt rescripta contra eorum priuilegia, si de eis non faciunt mentionem, non teneant.

Glos. Rescriptum contra priuilegiatum super ei concessis per priuilegium, non valet nisi in rescripto habeatur mentio de priuilegio. Item quod de Cisterciensibus dicitur in hoc textu, hoc idem intelligitur de omnibus alijs religiosis simile priuilegium habentibus, vt Templarij, & Hospitalarij. *c. ex parte inf. de Decim.*

26 *Cap. VII.* Eam te. *Idem.*

LItteræ Papæ continentes, quòd Sede vacante Capitulum prouideat alicui de præbenda; Si aliquis de capitulo deinde fiat Episcopus, ille idem dictam tenetur dare præbendam. Item non debet quis dedignari alium, ex eo quod Iudæus fuerit. Item in litteris Data debet considerari.

Glos. Præbendarum donatio ad Episcopum spectabat, non ad Capitulum. Item mandatum capitulo factum, intelligitur cuilibet in particulari de capitulo directum. Nam mandatum pluribus, cuique directum intelligitur.

27 *Cap. VIII.* Ad aures. *Lucius iij.*

LItteræ imperatæ ad beneficia non valent nisi de impetrantis dignitatibus Ecclesiasticis quas impetrans habebat mentionem contineant.

Glos. Habens beneficium, & impetrans litteras super eo, debet de illo facere mentionem, alias litteræ non valent.

28 *Cap. IX.* Si autem. *Idem.*

QVi impetrat litteras contra aliquem in aliqua causa, si aduersarius impetrat secundas: tunc, si primus non est vsus litteris ex dolo, vel negligentia potest ab aduersario conueniri, licet in secundis non fiat mentio de primis: secus si non fuit vsus, quia non habuit iudicem.

Glos. Dolus, & negligentia in vtendo litteris impetratis imputantur, & præsumuntur, si quis per annum post impetrationem illis non est vsus habens iudicem. Item semper valet rescriptum (contra quod aliud non est impetratum) mandatore viuente, & etiam eo mortuo, dum tamen sit facta citatio. Item exceptiones quædam sunt perpetuæ, perpetuò videlicet competentes, quandocumque actor agit, vt est doli: quædam vero temporales, quæ possunt vitari

tari, cùm non semper competant, sed tempore expirent. *l. exceptiones, §. temporales, ff. de exceptionib.* & *l. exceptio eod.*

29 *Cap. X.* Ad hæc. *Idem.*

LItteræ impetratæ continentes, quòd aliquis possit eligere incertos iudices ad quascumque suas causas non valdnt.

Glos. Idem dic, quamuis iudices sint certi expressi in litteris: commissio tamen generalis est omnium negotiorum, præsentium inquã, & futurorum, ex *Hostien. in c. vlt. inf. eod* Nulla enim est commissio, quia per eam absorberetur iurisdictio ordinarij: quod fieri non debet, *arg can peruenit, 11. quæst. 1.* & *c. per tuas, inf. de maior. & obed.* Textus tamen noster melius intelligitur, quòd iudices erant incerti, & sic ob hoc non valent litteræ; nam ob generalem commissionem omnium negotiornm, ex certa Papæ scientia concessam omnino valerent, cùm habeat plenitudinem potestatis saluo iure recusationis, per *c. suspicionis, inf. eod.*

30 *Cap. XI.* Ad audientiam. *Idem.*

LItteris Apostolicis falsam latinitatem continentibus non est adhibenda fides.

Glos. Idem dic, si Papa vni loquatur in plurali: idem si Patriarchas, vel Episcopos vocet filios. Limita in testamentis, & instrumentis, in quibus non nocet vitium scribentis, si alias de voluntate testantis constet. *l errore, C. de testam.* disparitas est, quia testamenta, & instrumenta committuntur tabellionibus, quorum scripturam, siue latinum nullus corrigit: Rescriptum vero Papæ per multas manus transit, & magna maturitate decoquitur, *can. Apostolicæ 35. quæst. 9.*

31 *Cap. XII.* Ex parte. *Idem.*

QVando impetrantur secundæ litteræ non facta mentione de primis, si primus appellat nulla facta mentione de suis primis litteris, de quibus non fit mentio in secundis, transacto anno, non potest se iuuare cum primis litteris, quia dolo & negligentia sunt nullæ; & tenetur ad expensas.

Glos. Matrix Ecclesia potest defendere suas Ecclesias. Item quandoque diuturnitate temporis, & negligentia probatur dolus. Item impetrans litteras post appellationem debet facere mentionem de appellatione. Item qui non prosequitur appellationem intra annum, vel ex iusta causa intra biennium fingitur non appellasse, & sententia rata manet: An actor & reus circa appellationem eodem iure

vtan-

vtantur. Respondetur, quod sic. *c. vlt. de mutu. petit.* nec obstat quod Rector reus, contra quem est appellatum in hoc textu, audiatur post biennium appellans: nam dicitur, talem Rectorem audiri, non ratione appellationis, sed ratione spoliationis; etenim interdicta sunt perpetua, quantum ad rei prosecutionem, non quantum ad pœnam. *l. 1. ff. de vi, & vi arm.*

32 *Cap. XIII.* Sciscitatus. *Cælestinus iij.*

RESCRIPTUM Papæ pluribus iudicibus directum, quod vnus, vel plures iudicent, si aliquis adesse nequiuerit, intelligitur tum de impotentia iuris: vt si est impeditus aliquo impedimento, v.g. infamiæ, vel seruitutis, vel censuræ; tum facti vt si mortuus, aut ineuitabilis necessitatis, & hoc alijs significat; non autem, si ex mera voluntate, nisi in rescriptis adsit non solum particula, si aliquis nequiuerit, sed etiam particula, vel noluerit.

Glos. Nec seruus, nec infamis potest esse Iudex, sed infamis potest esse arbiter. Item quod Iudex non potest sine coniudice procedere, nisi ille se excuset, vel melius, nisi constet eum nolle venire.

33 *Cap. XIV.* Pastoralis. *Innocentius iij.*

QVando aduersariorum vnus impetrat primas litteras, alter secundas ad diuersos iudices, & dubitatur quæ litteræ præualeant: omnes illi Iudices simul debent hoc declarare. & si non conueniunt partes, eligant communes Arbitros. Insuper Delegatus, si in litteris non exprimatur causa, & persona per clausulam generalem, habet iurisdictionem in habitu tantum, non in actu, idest nequit eam exercere: sicut iurisdictio data per generales litteras eneruatur, per speciales in his, quæ specialiter exprimuntur.

Glos. Quando dubitatur de iurisdictione, cuius sit, omnes debent cognoscere an sua intersit. Item quæres, quomodo possunt primi, vel secundi iudices deferre, vel citare, cùm non habeant iurisdictionem ex dubio singulorum, an sint iudices, sicut quando dubitatur de tutela duorum, neuter enim est tutor. *l. duo sunt Titij, ff. de stat. hom.* Respondetur, primos iudices posse dubitare de reuocatione suarum litterarum, licet in secundis litteris fiat mentio de primis, scilicet quando objicitur secundas litteras impetratas esse per falsi suggestionem, vel veri supressionem. *l. cæterum, supra eod.*

34 *Cap. XV.* Sedes Apostolica. *Idem.*

QVando in commissionibus exprimuntur minores, & viliores personæ, non includuntur maiores, & digniores, neque per clau-

clausulam generalem. Item per clausulam generalem non potest conueniri in iudicio effrænata multitudo. Item qui faciunt mentionem de leuioribus tantum negotijs, non audiuntur in grauioribus, per dictam clausulam. Item qui in commissione expressit aliquas personas, non vt velit eas conuenire, sed vt valeat transire ad pares, vel minores, caret omnino impetratis.

Glos. In rescriptis personæ expressæ debent esse digniores, vel saltem æquales personis contentis in clausula generali. Idem de rebus specialiter expressis. Item plures causæ vnius committuntur, sed non omnes. Item nemo exprimendus est principaliter, nisi debeat conueniri.

Glos. Hodie per effrænatam multitudinem intelligitur numerus vltra quatuor. *c. cum in multis, eod. in.6.*

35 *Cap. XVI.* Ex tenore. *Idem.*

QVi super eodem negotio diuersas litteras impetrat ad diuersos iudices, & vltimæ non reuocant, vel citant primas, omnium commodum perdit.

Glos. Quomodo duæ litteræ directæ ad diuersos iudices valeant, vide in verbo, negotio. Item, qui impetrat secundas litteras nulla facta mentione de primis, non solum perdit commodum litterarum, sed etiam causam videtur perdere: sicut qui in vno iudicio perdit seruum, & eundem in alio petat, perdit causam. *l.* 1. *§. vlt.* C. *de asser. toll.* Sed non est verum, solum enim perdit litteras, & in expensis condemnatur. *c. quia nonnulli, infr. eod.* licet fauore libertatis contrarium in seruo statuatur.

36 *Cap. XVII.* Cum adeo. *Idem.*

IN litteris pro beneficio obtinendo semper debet fieri mentio de alio beneficio, si quod habet ille, qui impetrat: & debet semper dici, si dignus est. quod si non dicatur, semper intelligitur, alias nõ valent. si est clericus, debet se clericum dicere; si non, dicat se scholarem.

Glos. Qui sufficiens beneficium habet, reputatur indignus ad aliud. *c. super eo, inf. de praben.*

37 *Cap. XVIII.* Causam. *Innoc. iij.*

QVando forma rescripti est contra ius, non est seruanda nisi secundum ius commune, nisi constet Papam aliud voluisse. Item si quid fuerit factum, solum illud reuocatur, quod fuit illegitime factum. Item tum causa principalis, tum incidens committitur, & legitimè debet expediri.

38 Cap. *XIX*. Constitutus. *Idem*.

LItteræ impetratæ, vt quis admittatur in numerum canonicorum, si numerus canonicorum erat certus, iuramento firmatus, à Papa confirmatus, & expletus ante datam, litteræ non valent ob tacitam veritatem.

Glos. Similiter litteræ non valent, si certus numerus est determinatus, licet non sit iuratus, nec à Papa confirmatus. Item canonia sola sine præbenda auget numerum canonicorum, & potest esse sine prouentibus. Item sicut in litteris debet fieri mentio de iuramento, sic etiam de pactis, si quæ sunt: alioquin gratia est nulla.

39 Cap. *XX*. Super litteris. *Idem*.

QVi per fraudem, vel malitiam litteras impetrant, exprimendo falsitatem, vel supprimendo veritatem, nullum ex litteris commodum consequantur; & delegatus nullatenus de causa cognoscat. Qui per simplicitatem, vel ignorantiam veritatem tacent, vel falsitatem exponunt, si talis est falsitas, vel veritas, quæ si fuisset cognita, vel explicata Papæ, Papa adhuc litteras dedisset in forma communi, tum delegatus litterarum forma relicta procedat in causa secundum ordinem iuris: si vero Papa litteras non dedisset, tunc iudex non procedat, nisi ad conuocandas partes, vt cognoscat de qualitate precum, an alias mouissent delegantem.

Glos. Qui fraudem allegat, debet probare. Item, qui per simplicitatem quid facit, non ei imputatur: excipitur ius naturale, & falsa moneta. Item in iudicijs, quod facit Papa, facere debent inferiores iudices. Item explicanda, vel non tacenda in rescriptis. vide ibi in verbo, litteras dedissemus, vt series facti, processus, sententia lata, dignitas, beneficium habitum, Vicaria perpetua, pactum, compositio, & alia.

40 Cap. *XXI*. Edoceri. *Idem*.

ABbas tenetur respondere in causa monasterij, vbi negotia Abbatis, & conuentus non sunt separata, etiam si in rescriptis non fiat mentio, de conuentu. & si in litteris dicitur remota appellatione, Abbas non potest appellare ne molestetur, nisi subsit alia causa.

Glos. Qui causam habet cum monasterio, Abbatē conueniat, non conuentum. Item si res sunt separatæ, non Abbas, sed conuentus conueniatur. Item an in negotio communi Sede vacante possit capitulū aliquid innouare, & an subsequens consensus prælati sufficiat, vide.

Cap.

41 *Cap. XXII.* Cum dilecta. *Idem.*

SVbreptitiæ litteræ non valent, & quidquid per eas tentatur irritatur, vt processus. Item contra formam rescripti quidquid tentatur, vt processus, decernitur inane, & irritum. Nam, cum exacta diligentia forma mandati est seruanda in negotio.

Glos. Secundæ litteræ non valent, nisi de primis fiat mentio. Item quæ primo fieri mandantur, primo expedienda. Item quando mandatur alicui vt personaliter exequatur, potest per alium exequi. excipitur inquisitio, prouisio ecclesiæ, & quæ requirunt industriam propriam. Item in rescriptis, quod principaliter mandatur, illud primo est principaliter exequendum, cætera secundariò, & accessoriè: sed quando plura principaliter mandantur, tunc non necessario seruandus ordo; nisi vnum de sui natura præcedat aliud.

42 *Cap. XXIII.* Plerumque. *Idem.*

QVando quis impetrat litteras, & habens copias iudicum ex malitia, vel negligentia infra annum eis non vtitur, secundæ litteræ ab aduersario impetratæ nulla facta mentione primarum, valent.

Glos. Per lapsum temporis probatur malitia. Item à quo tempore incipiat annus, vide. probabilius quod ab habita copia iudicum: sed hodie ista non habent locum, sed potior est conditio occupantis, licet secundæ litteræ non faciant mentionem de primis. *c. vt debitus honor, inf. de appell. c. Sancta Crucis, inf. eod.*

43 *Cap. XXIV.* Cum contingat. *Idem.*

CVm ordinarius à delegato primas litteras recipit, si ei non innotescit esse differentiam de iurisdictone inter partes contrarias habentes diuersas litteras, exequatur primum mandatum: si ei innotescit differentia, ab vtroque delegato petat copiam litterarum: & si ex tenore euidenter sine hæsitatione cognoscat, quod vltimæ litteræ reuocant primas, exequatur secundas; & contra secundas non exequatur, si non reuocant primas: si res est dubia non procedat donec dubietas sopiatur, vt in *c. pastoralis, eod.* Item per c. præsens, non datur ordinario potestas iudicandi inter delegatos, aut partes de iurisdictione.

Glos. Executio sententiæ deferri non debet, nisi in continenti probetur exceptio. *c. veniens, inf. de testib.* alioquin daretur locus fraudibus, & figmentis, vide *gl. in verbo nihil omnino.*

44 *Cap. XXV.* Olim ex litteris. *Innoc. iij.*

QVando in litteris plura narrantur, quæ diuersos effectus respiciunt, & ponitur si ita est, non sufficit impetranti probare aliquid horum esse verum, sed omnia, ad hoc, vt aliquem effectum habeant litteræ.

Glos. Qui falsat litteras Iudicis, debet priuari eo, super quo litigat, non tamen acquiritur ius parti. videtur hoc procedere etiam, si vnum solum narratum in litteris fuisset sufficiens ad illas impetrandas, nam sibi quis imputet, si plura narrauit, quæ non sunt necessaria, quod maximè procedit, quando impetrans litteras se ad omnia probanda astrinxit. Item propter contumaciam quis excommunicatur.

45 *Cap. XXVI.* Dilectus. *Idem.*

REscriptum impetratum super restitutione beneficij, in quo non fit mentio de causa amotionis, vel excommunicationis, non valet.

Glos. In litteris Papæ non sufficit narrare seriem facti, sed requiritur causa facti. Item si excommunicatus impetrat litteras, vel rescriptum, tacens de sua excommunicatione, non valent, etiam si post absoluatur: secus si impetrat litteras ad agendum contra suum aduersarium tacita excommunicatione: nam si deinde absoluatur valent, *c. pia, de except. lib. 6.*

46 *Cap. XXVII.* Postulasti.

EPiscopus ordinans aliquem habentem vicariam perpetuam sufficientem, non tenetur illi prouidere, quia habet beneficium. Item Papa de leui non scribit pro habente beneficium, vt ei detur beneficium non facta mentione de primo.

Glos. Perpetuus vicarius reputatur beneficiatus. Item in litteris nisi fiat mentio de priori beneficio, non valent, non sic de patrimonio.

47 *Cap. XXVIII.* Nonnullis, *Innoc. iij.*

NEmo per litteras Apostolicas potest trahi ad iudicium extra suam Diœcesim, vltra duas dietas, nisi de consensu partium impetrentur litteræ, vel nisi expressam mentionem fecerint de hac constitutione. Item qui sine speciali mandato Domini, præsumit impetrare litteras Apostolicas super aliqua quæstione, litteræ non valent, & ipse est puniendus tanquam falsarius, nisi sit ali-

qua

qua persona, à qua de iure non esset exigendum mandatum.

Glos. Dieta intelligitur vulgaris ex consuetudine, & non legalis viginti milliariorum. Item si reus citatur vltra duas dietas ire tenetur, quia dicit non trahatur. Item non sufficit ad impetrandas litteras generalis procurator, nec ratihabitio domini facit, vt litteræ impetratæ sine mandato valeant. Item huiusmodi litteræ non sunt nullæ, sed per exceptionem annullandæ. Item cui competat onus probandi de mandato, an ille qui excipit, an vero qui vtitur litteris, vide *glos. in verbo, sine speciali mandato.*

48 *Cap. XXIX.* Dilectus. *Honorius iij.*

SI fierent duo rescripta, vnum super causa principali ad vnum iudicem, secundum super appellatione ad alterum; secundus, Iudex debet cognoscere de validitate appellationis, & non Iudex principalis.

Glos. Sola præbenda, vel ecclesia alicui non facit domicilium, sed vbi maiorem partem suarum rerum habet, & assidue conuersatur: & si duobus locis se æqualiter, collocasse videretur, in vnoquoque habet domicilium. Item Iudex appellationis potest inhibere Iudici à quo est appellatum, ne in eadem causa procedat.

49 *Cap. XXX.* Capitulum.

QVando duo impetrant litteras Apostolicas pro beneficio habendo in eadem Ecclesia, qui primo præsentauit capitulo litteras, est prouidendus, non secundus, qui non fecit mentionem de primis litteris.

Glos. Secundæ litteræ quia non faciebant mentionem primarum non valebant, & primæ iam erant præsentatæ & sic concordantur textus. Item potest suspensus amplius suspendi.

50 *Cap. XXXI.* Ad audientiam.

QVando quis impetrauit litteras pro habendo beneficio, in aliqua ecclesia, & deinde accepta pensione, vel alio beneficio renunciat fauori litterarum, & postea alias litteras obtinet, de prouisione, non facta mentione de alijs, vel de pensione, careat commodo illarum & quidquid per eas tentatum fuit, irritum sit.

Glos. Pensiones in fraudem de prouentu Ecclesiæ sunt prohibitæ in Concilio Gen. *c. extirpandæ, inf. de praeben.* Item renunciare litteris Apostolicis super aliquo beneficio propter pensionem, an sit simonia: videtur sic, cum & in textu huiusmodi litteræ dicantur

 ven-

venditæ: sed glossa videtur hanc renunciationem excusare. Vide in verbo, *renunciantes*.

51 *Cap. XXXII.* In nostra. *Greg. IX.*

Receptus in aliqua Ecclesia per litteras Apostolicas non potest obtinere alias litteras, vt recipiatur in alia Ecclesia, si non faciat mentionem de prima sua receptione.

Glos. Receptus in Canonicum, vel fratrem, licet adhuc non assequatur beneficium, dicitur beneficiatus. Item si per primas litteras beneficium non obtinuit, valent secundæ.

52 *Cap. XXXIII.* Ex parte. *Idem.*

Reuocatio procuratoris dati ad lites debet peruenire ad notitiam iudicis, & aduersarij, alias non valet contra partem. Item rescriptum, quod procurator reuocatus, & de hoc certificatus extra iudicium impetrauit, non valet; si vero in iudicio, & reuocatio non sit nota aduersario, vel iudici, valet.

Glos. Reuocatio procuratoris dati ad impetrandum siue ad negotia, debet peruenire ad ipsum procuratorem tantum. Item litteræ impetratæ sine speciali mandato non valent, nisi sint de personis, à quibus de iure non exigitur. Item propter suspensionem potest reuocari procurator, & ante, & post litis contestationem: quando, & qua ratione vide in glos. in verbo propter suspicionem, Item siquis constituat procuratorem ad impetrandum, non sufficit ostendere quod illi dedit mandatum ad impetrandum, sed debet probare, & se dedisse illi mandatum, & ab eodem, vel ab alio eius nomine litteras impetratas recepisse:& sic consulitur,quod tam de datione mandati, quam de receptione litterarum à procuratore fiant instrumenta.

53 *Cap. XXXIV.* Significante. *Idem.*

Litteræ impetratæ à Papa contra aliquem vnius Diœcesis, si est alterius,non valent.

Glos. Error nominis vitiat rescriptum, & quare; vide in verbo, non de Remensi, vbi explicatur *c. super litteris*.

54 *Cap. XXXV.* Rodulphus. *Idem.*

Litteræ impetratæ contra aliquos de diœcesi, v.g. Neapolitana non comprehendunt viros ciuitatis Neapolitanæ.

Glos. Appellatione diœcesis non comprehenditur ciuitas.

Cap.

55 *Cap. XXXVI.* Significauit. *Idem.*

QVando quis obtinet litteras Apostolicas ad conueniendum aliquos, si conueniendus moritur re integra, successor non potest conueniri.

Glos. Licet re integra successor debitoris non possit conueniri, tamen si fuit facta citatio, potest. Item si essent contra aliquam dignitatem, puta si in litteris diceretur contra Episcopum talis ciuitatis, vel Comitem talis castri, tunc successor potest conueniri; nam contra comitatum, vel episcopatum videntur litteræ impetratæ, & sic contra omnes, qui succedunt in talibus dignitatibus.

56 *Cap. XXXVII.* Ex insinuatione. *Idem.*

LItteræ executoriæ facientes mentionem de admonitorijs, si non præcesserunt admonitoriæ non valent, alioquin est procedendum secundum formam datam.

Glos. Quando rescriptum meminit alterius rescripti, primum rescriptum est exhibendum. Item consuetudo Romana est in beneficijs conferendis, vt primum dentur monitoriæ. Secundo præceptoriæ. Tertio executoriæ, quæ citant monitorias, ac præceptorias: licet aliquando Papa det omnes simul.

57 *Cap. XXXVIII.* Mandatum. *Idem.*

QVando Papa iubet, vt vni prouideatur de tali beneficio, si alius fuit prouisus per mandatum Papæ, non tenetur collator prouidere secundo.

Glos. Papa non intendit in litteris aliquos aggrauare super plurium receptione, nisi hoc in ipsis litteris explicetur.

58 *Cap. XXXIX.* Litteris Apostolicis. *Idem.*

QVando vnus Papa dat litteras monitorias alicui Ecclesiæ, & secũdus Papa dat litteras executorias: primus grauat, nõ secũdus.

Glos. Per litteras monitorias, præceptorias, executorias quis non acquirit ius, sed solum officium imploret vt recipiatur. Item nota, quod successor tenetur adimplere factum sui prædecessoris. *c. quia Ioannes*, 12. *q.* 5. & *c. illud*, 16. *q.* 6. & idem procedit, si legatus prædecessoris mandauit.

59 *Cap. XL.* Abbatem. *Idem.*

QVando Papa mandat v. gr. Abbati, vt prouideatur Caio de aliqua Ecclesia sui Monasterij, deinde scribit Episcopo per



litteras generales,vt prouideat Sempronio, vel faciat prouidere de aliqua Ecclesia in sua diœcesi, non potest Episcopus Abbatem cogere ad prouidendum, quia iam fuit grauatus.

Glos. Mandatum generale, secundo impetratum, non derogat mandato speciali prius impetrato. Item quando in litteris Apostolicis dicitur: Mandamus tibi, vt prouideas tali in aliqua Ecclesia tuarum, potest is cui mandatum dirigitur, illum ponere in possessionem, inuestire, ac excommunicare contradictores, &c. Si vero dicatur, Mandamus tibi, vt facias prouidere, tunc solum poterit excommunicare contradictores. In quæstione autem est si possit illum inuestire, & ponere in possessionem: & probabilius est quod non possit.

60 *Cap. X L I.* Ab excomuuicato. *Idem.*

QVando mandatur excomunicatori, vt absoluat excommunicatum dicentem fuisse excommunicationem latam sine forma Concilij, & similiter scribitur alijs deputatis Iudicibus, vt Episcopo non obediente, mandatum Apostolicum exequantur, si res ita est; An res ita sit,debent cognoscere Iudices deputati, & non Episcopus, qui de facto suo certus esse debet.

Glos. Consueuit Ecclesia remittere male excommunicatum ad excommunicatorem, vt eum absoluat, si non appellauit. Item delegati debent statim absoluere præstita cautione, & iuramento, quod parebit mandatis Ecclesiæ, ni aduersarius obstet.

61 *Cap. X L II.* Si proponente. *Idem.*

QVi dicens se non beneficiatum, cum sit,impetrat beneficium, licet exiguum, Rescriptum non valet.

Glos. Quicumque impetrat beneficium tenetur facere mentionem de beneficio, quod habet, aliter impetratio est nulla. Item non valet collatio, nisi sit clericus, nisi velit residere, nisi sit dignus, nisi Ecclesia possit tot sufficere, nisi sit ex eo loco oriundus; si habeat vicariam perpetuam, quæ sufficiat sibi; si ad mandatum Papæ alius sit receptus, & si quam aliam iustam habeat exceptionem. vide *glos. vlt.* Vnde versus.

Clericus indigena, dignus, pauper, residensque,
Redditus, vt pateant scriptis, sunt ista necesse.

62 *Cap. X L III.* Quia nonnulli. *Idem.*

QVi abutuntur litteris Apostolicis, priuantur commodo Rescripti, & condemnantur ad expensas, v. gr. qui dat suas lit-

litteras alteri eiusdem nominis, qui vocant in iudicium eos, contra quos nihil habent, qui litteras trahunt ad futuras controuersias, qui aliquem super vno negotio, vel super pluribus personalibus, quæ commode possunt ab vno tractari, vocant ad diuersos Iudices, qui citat reum ad loca diuersa, vel ad villam indeterminatè.

Glos. In litteris, nomen, & cognomen est exprimendum: qui contra faciunt tam dantes, quam recipientes puniendi. Item qui citat aliquem ad locum indeterminate, perinde est, ac si nullum locum statuisset, vel intelligitur, vbi iudicari consueuit.

IN SEXTO LIB. I.

DE RESCRIPTIS. Tit. III.

63 *Cap. I.* Ipso iure. *Greg. ix.*

RESCRIPTUM delegatorium impetratum ab excommunicato, & processus per ipsum factus, sunt ipso iure nulla, nisi in causa excommunicationis, vel appellationis.

Rescriptum delegatorium impetratum ab excommunicato, & processus per ipsum factus, sunt ipso iure nulla, nisi in causa excomunicationis, vel appellationis.

Glos. Excommunicatus regulariter, non potest impetrare Rescriptum delegatorium contra suos debitores: & si impetrasset, & fieret processus, esset nullus defectu authoritatis: secus si tempore impetrationis non erat excommunicatus. *c. pia, de except.* vel si Rescriptum non fuit nullum, licet fuerit subreptitium, vel elidibile per exceptionem, vt quia postea fuit excommunicatus. Item nota, in casu nostro non requiritur exceptio, quia textus dicit, Ipso iure.

64 *Cap. II.* Cum in multis. *Innocen. iij.*

QVando in Rescripto delegatorio ponitur clausula, Quidam alij, v. g. citentur, non intelligitur vltra tres, vel quatuor, quos impetrans in actis, vel in primo citatorio debet omnes nominare, alioquin citatio est nulla.

Glos. Nisi quando non vult alios citare, quia cum eis transigitur, & hoc esset exprimendum in citatorio, nam infinitas in multis articulis reprobatur. Item qui per litteras generales ad obti-

nenda benefitia optauit vnum sine potestate, si succumbat, ad aliud transire non potest.

64 *Cap. III.* Dispendia. *Idem.*

ACtor volens mouere plures quæstiones personales, non impetret litteras ad diuersos Iudices, sed ad eosdem: secus litteræ non valent, & condemnabitur ad expensas. Similiter reus si contra actorem impetrat litteras de reconuentione in eodem iudicio, vel de conuentione ad eosdem Iudices, impetret sub eadem pœna, nisi eos, vt suspectos recuset.

Glos. Hoc decretum valet in personalibus, non in realibus. Item quid si conueniat coram delegato super vno, & coram Ordinario super alio. vide glos. Item intelligitur si cum effectu vtitur ambabus litteris, secus si vnis. Si reus conueniat actorem etiam in reali, An reus possit conuenire actorem coram ordinario, durante eodem iudicio? est dubium. vide glos.

65 *Cap. IV.* Cum aliquibus. *Bonif. viij.*

POsito statuto confirmato à Papa de numero certo Canonicorum, si litteræ Apostolicæ dent facultatem recipiendi aliquem supra numerum, an dicatur receptus auctoritate Apostolica, vel ordinaria. Respondetur, si receptio alias pertinebat ad Canonicos, tunc dicitur receptus auctoritate canonicorum, nisi in litteris expresse dicatur, auctoritate Papæ: si receptio non spectabet ad eos, sed virtute litterarum recipitur, tunc est receptus auctoritate Apostolica.

Glos. Quando duo sunt recepti in Canonicos, vnus prior auctoritate ordinaria, secundus posterior auctoritate Papæ, quibus sit prouidendum de præbēda primo vacatura. Respondetur quod præfertur prouisus à Papa. Item nota, quando statutum certi numeri est confirmatum à Papa, non possunt canonici supernumerarium acceptare: si non esset confirmatum, possent.

66 *Cap. V.* Si gratiose. *Idem.*

POsito, quod debet vacare beneficium per adeptionem alterius beneficij incompatibilis, vt Episcopatus post consecrationem, in alijs post possessionem, si per ipsum non stat; si interim obtinetur à Papa, vt non vacent ea beneficia, petitur, An per obitum Papæ vacent. Respondetur, si gratia dicebat, vt possis retinere beneficia ad beneplacitum nostrum, gratia expirat; si dicebat ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, non expirat, nisi reuocet, quia Sedes non

mo-

moritur. Item hæc gratia intelligitur de beneficijs canonice obtentis, non de alijs, quia hæc dispensatio nihil noui iuris tribuit, sed vetus conseruat: & cum sit ambitiosa, est restringenda.

Glos. Gratia facta ad beneplacitum Papæ expirat eius morte. Item beneficia curata incompatibilia sunt.

67 *Cap. VI.* Susceptum. *Idem.*

QVando Papa mandat, vt prouideas Titio de beneficio resignato, si vacet per obitum, non potes de illo prouidere, nisi Papa explicauerit de beneficio vacante quocunque modo. Item si duo impetrant vnum beneficium, vnus vt vacans per resignationem, vel adeptionem alterius, alter per mortem, primus præfertur, quia beneficium vacauit cessione.

Glos. Gratiæ ad beneficia sunt odiosæ, & ideo restringendæ: & appellatione vnius non venit aliud: & in litteris verba sunt proprie, & stricte intelligenda. Item si quis impetrat beneficium expresso falso modo vacationis, non tenet collatio. Item in beneficijs larga fiat interpretatio, tamen in litteris beneficialibus sit stricta, quia ambitiosæ reputantur.

68 *Cap. VII.* Gratia. *Idem.*

QVando confertur beneficium ignoranti, v. gr. absenti, & ipse nesciens aliud impetrat non facta mentione primi, gratia est valida: sed si beneficia sunt incompatibilia, eligat quod magis vult.

Glos. Impetrans beneficium, vel litteras expectatiuas ad beneficium à Sede Apostolica, vel à legato Papæ, debet facere mentionem de beneficijs obtentis, licet modicis: secus quando impetrat ab Ordinario, nisi forte Papa proprio suo motu conferret beneficium. Item nota, quod licet ignorantia probabilis excuset à susceptione, non tamen dispensat contra Concilium. *cap. de multa, de præben.* Quod dicitur de ignorante, idem dicendum de sciente, antequam acceptet, vel ratam habeat collationem, quia non est suum: sed verius, quod debeat facere mentionem. Item beneficia, quæ simul de iure teneri possunt secundum Innocent. *c. dudum. supra de elect.* sunt illa, quæ de consuetudine, vel statuto residentiam non requirunt; Vel sunt plures præbendæ, quarum altera per se non sufficit. vide *glos. in verbo de iure teneri.*

69 *Cap. VIII.* Quamuis.

SI Papa concessit Petro gratiam, vt prouideatur illi de præbenda primo vacatura; deinde illam reuocat, & interim eandem Est sublata per Conc. Tr. sess. 24. de ref. 19.

gra-

gratiam concedit Ioanni, poſtea reſtituit Petro gratiam reuocatam: Prima, præbenda vacans eſt danda Ioanni non Petro, quia attenditur reſtitutio, & non prima conceſſio, cum reſtitutus fuiſſet ad datam prioris temporis.

Gloſ. Quando plures habent ſimiles gratias, præfertur ille, qui eſt prior in data.

70 *Cap. IX.* Si eo tempore. *Idem.*

QVando dantur litteræ, vt prouideatur alicui de beneficio cum cura, vel ſine cura, & tempore datæ non habet ætatem pro cura, ſi deinde peruenit ad ætatem, non poteſt prouideri de curato, quia attenditur tempus datæ; poteſt tamen prouideri de beneficio ſine cura, quia tempore datę erat in ætate.

Gloſ. Litteræ Apoſtolicæ poſſunt pro parte valere, & pro parte non, quia vtile per inutile non vitiatur. Item cum dicitur de dignitatibus, non intelligitur de beneficijs curatis.

71 *Cap.* X. Si propter tua. *Idem.*

QVando Papa concedit Epiſcopo v. gr. propter paupertatem, fructus primi anni beneficiorum vacantium, etiam ſi apponat clauſulam, non obſtante conſuetudine, priuilegio, vel ſtatuto, per quod conceſſio impediri poſſet, tamen non intendit derogare ſpeciali ſtatuto, priuilegio, vel conſuetudini, qua deberentur fructus primi anni alicui Eccleſiæ, vel fabricæ, vel certæ perſonæ.

Gloſ. Nota, quod licet non ſit derogandum ſpeciali ſtatuto, vel conſuetudini, adhuc tamen Epiſcopus percipiet fructus vnius anni. Nam fructus primi anni dandi ſunt illi certo vſui, ad quem erant deſtinati, fructus ſecundi anni Epiſcopo; tertij & deinceps prouiſo. Vel ſecundum aliam intelligentiam, primi anni fructus dentur Epiſcopo, ſecundi certo illi vſui. Item annus pro fructibus ſeparatis à ſolo, incipit à die vacationis, & habebit dies 365. Item vacat beneficium, vel per mortem, vel per renunciationem, depoſitionem, tranſlationem, vel quocumque modo etiam per permutationem, licet ſit dubium.

72 *Cap. XI.* Statutum.

Cōc. Trid. ſeſ.23.R 10 CAuſæ litterarum Apoſtolicarum committantur habentibus dignitatem, perſonatum, vel canonicatum, in cathedrali, & in locis inſignioribus.

Gloſ. Quis dicatur habere dignitatem, vide Panorm. *c. de mul. de præben.* Item Epiſcopi non tenentur hoc decretali: poſſunt enim vi-

vices suas simplici clerico committere.

§. Cum vero. Quando actor, & reus sunt eiusdem ciuitatis, vel diœcesis, actor non impetret delegatum vltra ciuitatem, vel diœcesim; sed si causa esset contra Episcopum, Capitulum, vel vniuersitatem, potest impetrare extra diœcesim: si sunt diuersæ diœcesis, tunc impetret in diœcesi rei, nisi timeat potentiam, vel in alia per vnam diætam distantem, & non in sua.

Glos. Diæta computari debet à ciuitate, vel loco, in quo reus habet domicilium, quemadmodum diœcesanus simpliciter loquendo intelligitur diœcesanus domicilij.

73 §. In nullo quoque. Iudex extra locum deputatum nihil agat nisi de consensu partium, nec committat vices suas nisi personis designatis. Insuper delegatus Apostolicus nihil sumat nisi esculentum, vel poculentum ex mera liberalitate dantis, quod potest consumi paucis diebus. Sed si contingit propter causas commissas proficisci extra suum domicilium, accipiat moderatas expensas, nec plus ab vna parte, quam ab alia parte: & si litigantes sunt pauperes, etiam pro expensis nihil accipiat.

Glos. Non proficiscitur, nisi ex necessitate: & si testes sunt in loco propinquo, ita vt eos examinare possit in domo sua, nihil accipiat. Item textus intelligitur de delegatis habentibus stipendia sufficientia ad victum. Item non accipiat integras expensas, sed solum illas, quas domi suæ non fecisset.

74 §. Assessorem. Delegatus non assumat assessorem, seu consiliarium, nisi in conscientia indigeat, qui neutri parti sit suspectus: & tunc partes soluant moderatum salarium.

Glos. Opiniones Doctorum non sunt probabiles, nisi quatenus fortificantur rationibus. An Iudex indigeat assessore, relinquitur suæ conscientiæ, & sic non potest accusari.

§. Notarium. Delegatus limitet salarium notariorũ in sua causa, nec participet in lucro notarij, vel assessoris. Item delegatus recipiens aliquid contra hoc cap. restituat, nec illum excusat remissio dantis.

Glos. In hoc casu Dominus non potest rem suam in alium transferre, sed postquam recepit eam à delegato, potest iterum eidem dare sine fraude, & accipiens retinere, quia hoc non est prohibitum.

§. Pro-

§. Proferendo. Iudex non vocet testes, nisi quando causa requirit, & tunc producens soluat testibus competentes expensas pro discessu, statu, & recessu. Item omnia attentata contra prædicta, sunt ipso iure nulla, & irrita.

75 *Cap. XII.* Tibi qui.

Huiusmodi gratias ex pectatiuas, & mādata de prouidendo omnino sustulit Concil. Trid. sess. 24 de ref. c. 19

QVi prius impetrat admitti in Canonicum, & præbendam primo vacaturam, est præferendus secundo impetranti, licet secundus prius præsentauerit, & fuerit receptus in Canonicum; dummodo antequam vacet præbenda prior præsentet, quia erat prior in data; Imo etiam si prior præsentet, postquam præbenda vacauit non dum collata secundo, si executor primi fecerit processum, imo ante processum executoris, etiam si præbenda vacans fuerit secundo collata, primo debetur, si in primis litteris fuit positum decretum irritans, quicquid in præiudicium primæ gratiæ fiat; dummodo in his non possit imputari dolus, vel notabilis negligentia primo.

76 *Cap. XIII.* Si pro te.

QVando primus prouidetur sub conditione, v. gr. si assentiatur Episcopus, & secundus simpliciter impetrat, si ante adimpletam conditionem primi, secundus obtineat canonicatum secundus præfertur primo in assecutione præbendæ, licet interim conditio primi fuerit adimpleta.

Glos. Mandatum conditionale ante conditionem existentem, consensum non habet, sicut nec matrimonium conditionale: vnde nec ex ipso oritur publicæ honestatis iustitia, *c. 1. in fin. infra de sponsal.* Item ad Episcopum, & capitulum de iure communi pertinet Canonicorum receptio. *c. postulasti, de concess. præben. c. nouit de his quæ fiunt à prælat.* licet de consuetudine, vel priuilegio interdum ad alterum tantum pertineat.

77 *Cap. XIV.* Duobus.

SI Papa concedit duobus, vt prouideantur de canonicatu, & præbenda, qui habet datam priorem, saltem vna hora, præfertur alteri. Si sint æquales, & vnus habeat canonicatum à Papa, alter remittatur ad Episcopum, præfertur ille, qui habet canonicatum à Papa, licet alter prius præsentauerit litteras. Si vterque remittitur, vel vterque habet à Papa, præfertur, qui prius præsentat. Si vterque simul præsentat tunc capitulum, vel maior pars eliget quem vult. Alter vero non electus careat impetratis, nisi in

lit-

litteris appareat, quod vtrique mandauerit prouideri, v. g. dicendo non obstante, quod pro alijs scripserimus.

Glos. Idem esset obseruandum, si tribus, vel pluribus fuissent concessæ litteræ de prouisione; eadem enim est ratio, ac de duobus. Item hic tex. procedit, quando vterque impetrauit sibi prouideri de canonicatu, & præbenda integra; nam si impetratio esset dissimilis, puta quia vnus impetrasset canonicatum, alter dignitatem, vel vnus præbendam integram, alter dimidiam, tunc si vacaret integra, danda esset illi qui obtinuit super integra, si dimidia illi, qui obtinuit super dimidia, & sic de singulis. Item si litteræ super prouisione essent datæ eodem die, cum non sit consuetudo ponendi horam, non posset ex data apparere, quæ nam essent prius concessæ, & tunc, id probandum esset vel per testes, vel per confessionem partis aduersæ. facit *c. cum ad sedem, de restit. spol.* & *c. 1. infra, de confess.* Item quando litteræ sunt omnino æquales, tam in data, quam in præsentatione, tunc est locus gratificationi, & ille recipietur, qui à maiori parte capituli erit electus; sed si capitulum nollet eligere, vel pari numero discordaret in eligendo, tunc esset compellendum à superiore ad eligendum, & si discordaret ad superiorem deuolueretur potestas eligendi. *c. 2. de conces. praben.*

78 *Cap. XV.* Quia per ambitiosam.

REuocat omnes perpetuas indulgentias, vt absentes percipiant fructus, exceptis quotidianis distributionibus, si non sint concessæ Ecclesijs, vel dignitatibus, sed personis, & indicat in futurum non concedendas. Trid. sess. 5 de Ref. c. 1

Glos. Perpetuæ indulgentiæ non solum sunt illæ, quæ absolute conceduntur alicui, quo ad vixerit, sed etiam omnes illæ, quæ possunt durare per totam vitam alicuius, vel cuius terminus est incertus, puta si diceretur, donec fuerit in seruitio talis Principis. *c. si gratiose, supra eod. l. iuris peritos, ff. de excusat. tutor. in prin.*

CLEMENTIN. LIBER I.

DE RESCRIPTIS. Tit. II.

79 *Cap. I.* Abbates. *Clem. v.*

AD tollendas fraudes contra *cap. statutum in 6.* Abbates, & præsidentes alicui administrationi non possunt auctoritate litterarum Apostolicarum, vel legati conuenire reos sibi subdi-

subditos occasione beneficiorum, nisi vbi, & coram quibus sunt subditi immediate, vel nisi vbi conuenirent si haberent specialem administrationem talium beneficiorum, etiam si illa beneficia sint de mensa Abbatis: si vero aliquem vexauerint contra hunc textum, Iudex apud quem vexatur, condemnabit Abbatem in expensis, & omnis processus contra præmissa habitus est irritus ipso iure.

Trid. s. 25 R. 10.

80 *Cap. II.* Et si principalis. *Idem*.

IN *cap. statutum, de rescrip.* in 6. causæ erant delegandæ existentibus in dignitate, personatu, vel canonicatu: nunc dicit quod possunt committi principali officiali Episcopi, & Priori conuentuali, non autem officiali foraneo Episcopi, idest constituto in certa parte ecclesiæ, vel ad certos actus, nec Priori claustrali sui monasterij.

Glos. Dummodo Papa in delegatione expresse non nominaret foraneum, vel Priorem claustralem. Item nota ex hoc textu, quod Prior conuentualis dicitur esse in dignitate, etiam si non sit assumptus per electionem, sed solum amouibilis ad voluntatem sui Abbatis. Item causa Vicario generali delegari non potest, quia non est officialis. Item de officiali principali, quem dat capitulum Sede vacante, est dubium, sed videtur quod sic. Item delegari potest officiali Episcopi electi, & confirmati, licet non consecrati, quia habet iurisdictionem.

81 *Cap. III.* Auditor. *Idem*.

DVm duo litigant de beneficio in curia Romana, si à Papa in curia Romana deputatur Auditor super hanc litem, tunc Auditor, si pronunciat Beneficium deberi vni, potest eidem conferre beneficium.

Glos. Secus esset in Auditore dato extra curiam, vel alio, quam à Papa, puta à Legato, ille enim solum posset pronunciare, & referre, non autem conferre beneficium.

82 *Cap. IV.* Gratiæ.

Trid. sess. 24. de Ref. c. 19.

SI quis impetrauit mandatum ad obtinendum beneficium, v. gr. curatum, & antequam gratia habeat effectum, obtinet pacifice aliud beneficium incompatibile cum præmisso; non potest amplius vti gratia, etiam si renunciauit beneficio obtento.

Glos. Hoc est verum etiam si recipiens secundum beneficium protestaretur, quod gratiæ de primo beneficio habitæ renuntiare non intendit, cum protestatio sit contraria facto. Item nota, quod gra-

gratia perempta non reuiuiscit, etiam si res reuertatur in pristinum statum. Item si hic, de quo in textu renuntiaret secundum beneficium, bene posset illi primum beneficium ab ordinario conferri; sed textus solum loquitur, quod ex vi gratiæ Apostolicæ non poterit amplius tale beneficium prætendere.

83 *Cap. V.* Litteras.

GRatia concessa pro beneficio primo vacaturo, non extenditur ad beneficium, quod erigitur post datam.

Glos. Hæc decretalis non procedit in beneficio tempore datæ suppresso, & deinde renouato. Item si dubium esset, quid esset prius datæ litteræ, an creatio beneficij, ad quem spectat onus probandi? Res est dubia: videtur spectare ad impetrantem. Vide glos. in verbo, creatum.

DECRETALIVM LIBER I.

DE CONSVETVDINE. Tit. IV.

84 *Cap. I.* Consuetudines. *Greg.*

CONSVETVDO, quæ cognoscitur inducere grauamen Ecclesiæ, non valet.

Glos. Intelligitur, de consuetudine onerosa, & quæ notabiliter lædat.

85 *Cap. II.* Ex litteris. *Innoc. iij.*

COnsuetudo, per quam Ecclesia, vel locus religiosus acquirit dominium, & possessionem rei sine solemnitate legali valet.

Glos. In donatione facta locis Religiosis in vltima voluntate valet consuetudo, etiam si non adhibeantur solemnitates testamenti. Item possessio transfertur per alium actum, quam per traditionem rei, nempe per visum, per traditionem clauium, per instrumenta, per venditionem illius rei, quam apud me habeo in deposito, vel mutuatam, &c. vide *in glos. fin.*

86 *Cap. III.* Ad nostram. *Idem.*

COnsuetudo, in qua populus in causis ecclesiasticis fert sententiam, non valet, sed Episcopus auditis partibus ferat sententiam in subditos suos.

Glos.

Glos. Consuetudo irrationabilis introducta contra Canones non valet, & sententia lata à non suo Iudice non valet, nisi forte in causa reconuentionis. *can. accusatores, §. cuius in agendo 3 q. 8.* vel quando quis ex certa scientia consenserit in non suum Iudicem; sed clerici id non possunt sine licentia sui prælati.

87 *Cap. IV.* Quanto. *Idem.*

Trid. sess. 7 c. 3. CONsuetudo non potest facere, vt simplices sacerdotes conferant illa sacramenta, quæ ad solum Episcopum spectant, vt Confirmatio, Ordines &c. & tutius est illa omittere, si non adest Episcopus; nam aliter collata non tenent, quia inaniter conferũtur.

Glos. Consuetudo in peccatis non excusat. Et confirmatio facta à sacerdote habetur pro non data, quoniam non datur ex delegatione Papæ. Nam Papa potest delegare simplici sacerdoti, vt chrismet. *can. peruenit 45. dist.* Sed non Episcopus, quia non potest delegare inferioribus ea, quæ sunt ordinis, sed ea solum, quæ sunt iurisdictionis.

88 *Cap. V.* Cum inter. *Idem.*

Trid. sess. 6 COnsuetudo, qua rumpitur neruus ecclesiasticæ disciplinæ, vel est contra statutum Ecclesiæ, non valet, vt qui habet priuilegium tempore interdicti dicendi officia, non potest propter consuetudinem pulsare campanas.

Glos. Etiam si esset longi temporis, & præscripta.

89 *Cap. VI.* Cum olim. *Idem.*

QVando de licentia Pontificis erigitur aliqua dignitas in Episcopatu, est eligenda sine præiudicio aliorum, & saluis rationabilibus, & approbatis consuetudinibus Ecclesiæ: & talis dignitas habeat illum honorem, & officia, quæ similes in vicinis locis habent.

Glos. Nota, quod sine licentia Papæ non potest constitui noua dignitas. Item quod dicitur sine præiudicio alterius intelligitur de enormi. Item licet priuilegium aliquod sit per verba generalia, non tamen debet interpretari in præiudicium alterius, *c. licet, infra, de translat.*

90 *Cap. VII.* Cum venerabilis. *Idem.*

PRætextu consuetudinis nemo potest dimittere dignitatem, etiam si velit ad aliam transire sine licentia sui Superioris: nam consuetudo inimica canonibus est corruptela.

Glos.

Glos. Et sic Abbas subiectus Episcopo non debet sine illius licentia renunciare, *can. Abbas* 18. *q.* 2. Nec etiam alij clerici. *cap. admonet, infra de renunc.*

91 *Cap. VIII.* Cum Dilectus. *Idem.*

EX consuetudine approbata, quæ est legum interpres, licet videatur præiudicare iuri communi, potest introduci, vt vna Ecclesia teneatur eligere sibi Abbatem, vel prælatum ex gremio alterius Ecclesiæ. Item suspensus non potest, eligi, vel eligere.

Glos. Consuetudo interpretatur legem, vel statutum Episcopi. Item quamdiu ius commune seruari potest non est recedendum ab ipso; sed consuetudo præscripta præiudicat iuri communi. Item Episcopus non potest statuere, vt vna Ecclesia eligat prælatum de alia inuitis clericis. Item suspensus non potest eligere, nec eligi, vt hic, & *cap. cum inter R. de elect.* nec potest postulari, qui non seruauit interdictum *cap.* 1. *infra tit. prox.* nec beneficia conferre, *cap. quia diuersitatem, de concess. preben.* An Episcopus suspensus possit excommunicare, interdicere, dare præbendas, res est controuersa. Respondetur negatiue, etiam si sit consecratus, *cap. audiuimus* 24. *quæst.* 1. vide *glos. in verbo à suspensis*. Item suspensus à canone, puta quia participauit cum excommunicatis, bene potest eligere, & alia facere, quæ pertinent ad iurisdictionem, non tamen eligi potest scienter, *cap. si celebrat, infra de cleric. excomm.* quia mitius agitur cum lege, quam cum ministro legis.

92 *Cap. IX.* Cum consuetudinis. *Honor. iij.*

CApitulum sine consensu Episcopi non potest mutare constitutiones, & consuetudines approbatas Ecclesiæ, nec nouas inducere, quas si induceret, sunt irritæ.

Glos. Quæ sit longa consuetudo, *infra cap. vlt. eodem.* Item requiritur expressus consensus Episcopi, non enim sufficit consilium, aut tractatum cum illo habuisse. Item quando mandatur alicui, vt cum aliquorum consilio quid agat, non sufficit, vt illud requirat, sed tenetur illud expectare. *c. cum in veteri lege, infra de elect.* Item nouitates sine euidenti vtilitate introduci non debent, *l. in rebus, ff. de leg. & const. Princip.*

93 *Cap. X.* Ex parte. *Idem.*

NOn valet consuetudo, vt vir, qui dissipauit bona sua, possit expendere bona vxoris; nec vt vxor adultera, si di-

mittatur, habeat partem bonorum viri.

Glos. Vir nulla ratione potest alienare fundum dotale vxoris, etiam si ipsa consentiat, dummodo non iurauerit, non contrauenire venditioni, tunc enim tenet venditio. *cap. cum contingat, de iureiuran.* Imo nec propter delictum viri distrahi possunt bona mulieris, *cap. ex litteris, infra de pignor.* licet quandoque possint, vt in causa primipilarij, si omnia bona mariti exhausta sunt, tunc enim bona mulieris obnoxia sunt fisco. *l. satis. C. in quibus cauf. pign ta. contra.* Item mulier ob adulterium, non solum debet carere bonis viri, sed etiam perdere dotem. *l. libertatem, C. ad leg. Iul. de adult. cap. plerumque, infra de donat. inter virum & vxor.* Ideo consuetudines, de quibus in textu, vt iuri contrariæ, & ad peccata committenda incitantes dissoluuntur.

94 *Cap. XI.* Cum tanto. *Greg. IX.*

CONtra ius naturale nulla valet consuetudo, contra ius positiuū consuetudo longæua, licet non sit vniuersalis; tamen non præiudicat, nisi sit rationabilis, & præscripta.

Glos. Ius naturale est immutabile, & ideo etiam si omnes homines contra illud agerent, talis consuetudo non deberet præualere. *can, flagitia 37. quæst. 1.* Item consuetudo in eo loco præiudicat iuri, vbi seruatur. Item consuetudo rationabilis dicitur, quam non improbat ius, vel quæ non obuiat canonicis institutis. Irrationabilis, quæ improbatur à iure, vel est onerosa, vel est contra Ecclesiasticam disciplinam, aut libertatem. vide *glos. in verba rationabilis.* Item consuetudo præscripta legitime dicitur illa, quæ fit spatio quadraginta annorum, in rebus Ecclesiasticis. Item vt consuetudo præiudicet iuri communi, requiritur Primo, vt sit rationabilis, & legitimè præscripta. Secundo, quod ex certa scientia, & non per errorem inducta sit, & sciente illo, qui potest ius condere, & ius sit tale, quod possit præscribi. Tertio requiritur, vt fueris vsus ea consuetudine, eo animo, vt intendas, siue credas te habere ius: & solæ duæ vices non inducunt consuetudinem. Demum requiritur, quod maior pars populi illa sit vsus. Item quæ differentia sit inter consuetudinem, & præscriptionem? Respondetur, quod in contrarium consuetudinis admittitur probatio, non vero præscriptionis; excipitur, quando quis petit aliquid sibi deberi ex consuetudine, & allegat causam, & probat solum tēpus non causam, tunc enim non admittitur probatio in contrarium. Secundum aliquos differūt, quia in præscriptione quādoque probatur titulus, & nō sufficit solū tempus. Item præscriptio est particularis, consuetudo vniuersalis.

DE-

IN SEXTO LIBER I.

DE CONSVETVDINE. Tit. IV. Trid. ses. 7. R c. 2 4 & s. 24. c. 17.

95 *Cap. I.* Consuetudinem.

CONsuetudo non valet, qua quis habeat in eadem Ecclesia duas dignitates, vel personatus, vel præposituras, vel administrationes, vel duo officia, vel eorum alterum cum reliquo, vt vnam dignitatem, & vnum officium perpetuum, vel præposituram, etiam si esset consuetudo immemorabilis, & iurata, quia iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis.

Glos. Dignitas dicitur, quæ habet administrationem, & iurisdictionem: Personatus qui habet in Ecclesia præeminentiam non iurisdictionem; Officium quod habet administrationem rerum sine præeminentia, & iurisdictione. Et aliquando in iure confunduntur. Item valet consuetudo, vt quis habeat in eadem Ecclesia dignitatem, & canonicatum cum præbenda de licentia Episcopi. Item iuramentum non est vinculum iniquitatis, & sic non se extendit ad consuetudines irrationabiles, vt erant istæ in textu. Item sicut non potest quis in eadem Ecclesia habere duas dignitates, sic nec in diuersis Ecclesijs sine auctoritate Pontificis. An dispensatus ad duas dignitates ecclesiasticas intelligatur in eadem Ecclesia? Respondetur negatiue, nisi fiat expressa mentio in dispensatione.

96 *Cap. II.* Non putamus. *Idem.*

NOn valet consuetudo, qua appellatur ab officiali Episcopi ad Episcopum, quia est idem Tribunal.

Glos. Appellatio de natura sua debet fieri ad superiorem, non ad æqualem ratione Tribunalis, vel ad inferiorem. Item licet ab officiali principali non liceat appellare ad Episcopum, tamen licet ab officiali foraneo, quia est subdelegatus. Nam licet appellare ab officiali subdelegato ad primum delegantem, vt etiam licet à delegato ab Episcopo ad causam specialem. Nota, ex consuetudine appellari potest ad primum, omisso medio, quia gradatim appellare non est de substantia appellationis. Item nota, quod si Episcopus iudicat v. g. vt canonicus, potest quis ad eundem appellare tanquam ad Episcopum. Item licet ab officiali

 non

non possit appellari; tamen si recusatur vt suspectus, causa est probanda coram Episcopo.

97 *Cap. III.* Non est. *Idem.*

CONsuetudo (dummodo canonice præscripta sit) qua Episcopus non tenetur requirere consilium sui Capituli, dum inquirit, punit, corrigit excessus subditorum, non est reprobanda.

Glos. Videtur per hanc Decretalem corrigi *cap. nouit. sup. de his quæ fiunt à Præl. sine consensu capit.* Item tenetur Episcopus consuetudinem, de qua in tex. allegare, & probare, alioquin ei non creditur.

Trid. s. 24. c. 19. 98 *Cap. IV.* Cum in tua.

SI fiat rescriptum à Papa, vt quis prouideatur de præbenda primo vacatura in tali Ecclesia; & in illa Ecclesia est consuetudo, vt antiquiores possint optare vacantes præbendas: consuetudo valet, & est seruanda intra viginti dies, & quæ remanet est pro prouidendo. Excipitur quando vacat in curia, quia non valet tunc consuetudo.

Glos. In præbendis vacantibus causa permutationis, an habeat locum optio? Respondetur negatiue in *Clem. vnica de rerum permutat.* Item consuetudo rationabilis satis est si sit congrua, puta decem annorum, vt aliqui existimant, licet non sit præscripta, & idem dicendum de statuto,

EXTRAV. COMMVN.

LIBER PRIMVS.

DE CONSVETVDINE.

Cap. Super gentes.

TOllit omnem consuetudinem impediendi Legatos, & Nuncios Apostolicos sub excommunicatione, atque interdicto loci.

DE-

DECRETALIVM LIBER I.

DE POSTVLATIONE Prælatorum. Tit. V.

99 *Cap. I.* Ad hæc. *Innocen. iij.*

QVI non seruauit interdictum, est indignus, vt pro eo postuletur, & ideo reijcitur. Item sententia v.g. interdicti publice, & solemniter publicata omnes ligat, nec quis præsumitur ignorare.

Glos. Nisi probet ignorantiam. Item quod Metropolitana Ecclesia obseruat, suffraganei debent seruare. Item omnis contumacia est punienda. Item confessio procuratoris præiudicat domino.

100 *Cap. II.* Gratum. *Idem.*

QVi postulationem vitio personæ cassatam innouant, sunt priuati potestate postulandi, & eligendi, & alij ex numero licet pauci, qui nõ consenserũt innouationi, possunt postulare, & eligere.

Glos. Qui postulat, vel eligit personam indignam, amittit potestatem eligendi, & deuoluitur potestas ad alios de capitulo, licet numero pauciores. An si remaneret vnus solum ad illum deuolueretur ius eligendi? Res est controuersa, sed affirmatiue respondendum.

101 *Cap. III.* Bonæ memoriæ.

VTilitas communis est præferenda priuatæ, & maior minori, & Cardinalis, qui est vtilis Ecclesiæ vniuersali, non est creandus Episcopus. Item postulatio facta à minori parte tertia, non admittitur.

Glos. Iudex potest supplere, quod Aduocatus omisit, sed vtraque parte præsente non debet, nisi in aliquo casu propter vtilitatem, vt repellendo militem à procuratione, & publicum excommunicatum ab agendo, etiam si pars contra illum non excipiat.

Cap. IV. Bonæ memoriæ.

POstquam postulatio est præsentata superiori, postulantes non possunt illam mutare, sicut nec in electione. Item si contempti volunt postea consentire, valet postulatio, si in persona postulata non erat vitium.

Gloss. Quando aliqui non sunt de capitulo, vt possint eligere debet apparere ipsorum ius eligendi, vel esse in quasi possessione. Item si Canonici negligunt eligere Episcopum, & Monachi Abbatem infra sex menses, electio deuoluitur ad superiorem. Item Archiepiscopus translatus ad alium Archiepiscopatũ eget nouo pallio.

102 *Cap. V.* Postulationem.

SVperior potest repellere postulationem factam, & per eam nullum ius alicui acquiritur, tamen admittet procuratores, quibus auditis faciat, quod iustum est.

Glos. Postulantes possunt à postulatione recedere, nisi ea sit præsentata superiori, & nisi sit facta publicatio scrutinij, quia his factis non possunt recedere, tamen non acquiritur ius postulato, quo possit petere iure actionis confirmationem, sed totum pendet ab arbitrio superioris, qui tamen iniuriam ei faceret, si gratiam denegaret. Patronus primo præsentato non dum admisso nõ debet alium præsentare, tamen si præsentat secundum & admittitur, secundus obtinebit. Vide *glos. in verbo, Nullum.*

103 *Cap. VI.* Etiam si. *Honor. iij.*

EPiscopus non potest eligi ad aliam dignitatem, sed potest postulari.

Glos. Episcopus est suæ Ecclesiæ matrimonialiter alligatus, & ideo non potest eligi ad aliam, sed solum postulari, vt nimirum Papa cum illo dispenset, & sic ad illam transeat. Non est autem eadem ratio de alijs clericis, v. g. canonicis, qui licet sint vni ecclesiæ addicti, non tamen sunt illi matrimonialiter alligati, vt episcopi; vnde possunt eligi ad quamcumqne ecclesiam, & hoc procedit etiam in Abbatibus quantumuis exemptis. *cap. si Abbatem, de electtion. in sexto.*

IN SEXTO LIB. I.

DE POSTVLATIONE Prælatorum. Tit. V.

NOta, quod postulatio fit de eo, qui non est eligibilis propter aliquem defectum, v. g. qui non est legitimus, vel non in ætate, vel in Abbatem, cum non emiserit expressam professionem, & similia. & sic quia superior, non tenetur admittere di-

dispensando nisi velit, ideo postulatio est ex mera gratia: & hæc postulatio fit ad Papam, qui potest dispensare; non ad episcopum, nisi in his, in quibus posset dispensare. Electio vero est Assumptio alicuius personæ ab superioritatem, vel societatem fraternam canonice facta. Hinc est, quod quando quis est electus, & est capax electionis, superior non potest illum refutare, sed debet illum confirmare, & potest cogi à suo superiore, vt intra certum tempus illum confirmet, alioquin intimandum, quod iure deuoluto ipse confirmabit. Et idem est dicendum de præsentato, si episcopus nolit illum instituere.

104 *Cap.* Perpetuo. *Bonifac. viij.*

QVando quis sub hac forma eligit: Eligo postulando, vel postulo eligendo; vel eligo postulandum, vel postulo eligendum, vel eligo in postulandum, vel postulo in eligendum, facit omnia irrita, & vana. Item sub hac forma eligere, eligo, & postulo, prout melius de iure valere potest, est prohibitum, & inualidum, nisi quando probabiliter dubitatur, an quis sit eligendus, vel postulandus: & tunc ille, de quo agitur, tenetur in tempore consensus eligere viam electionis, vel viam postulationis, nec potest vna electa ad aliam amplius redire.

Glos. Hæc constitutio non comprehendit electiones sub illis formis, ante ipsam factas, sed solum sequentes, quæ licet à superiore confirmentur; non tamen ideo conualescunt, quia à principio nullæ erant. Item quando dubitatur, an quis sit eligendus, vel postulandus, potest dici eligo, & postulo. Hoc autem dubium non intelligitur de ignorantia iuris, sed solum de ignorantia facti, quando nimirum dubitaretur an quis haberet legitimam ætatem, &c. Item electus, vel postulatus infra mensem post præsentationem sibi factam suæ electionis, vel postulationis, tenetur exhibere suum consensum. *c. quam sit, infra tit. prox.*

EXTRAV. COMMVN.

DE POSTVLATIONE Prælatorum:

Cap. Dispendijs. *Ioan. xxij.*

NEmo potest postulari, si sit sæcularis, ad cathedralem; si sit Regularis ad quamcumque ecclesiam ante 27. annum, sub

C 4 pœna

pœna, quod ita ſcienter poſtulantes ea vice poſtulandi, & eligendi facultate careant, & per triennium ſuſpenſi ſint ab omnibus beneficijs, quæ obtinent in illa Eccleſia, ad quam huiuſmodi poſtulationem fecerint. Poſtulati vero, qui in Romana curia ſuam poſtulationem fuerint proſequuti, ſæculares vſque ad 35. annum, regulares vero in perpetuum ad adminiſtrationes ſuorum ordinum, & omnia beneficia ſint inhabiles.

DECRETALIVM LIBER I.

DE ELECTIONE, Electiq. Poteſtate. Tit. VI.

105 *Cap. I.* Nullus. *Lucius.*



COLLEGIATA, vbi ſunt duo, vel tres, prouideatur per electionem eorundem, alioquin electus expellatur.

Gloſ. Duo faciunt congregationem, vt in text. Tres collegium, *l. Neratius, ff. de verb. ſignif.* licet in vno retineatur ius collegij, *l. ſicut, §. vlt. ff. quod cuiuſque vniuerſ.* Decem populum, *can. vnio 3. quaeſt. 10.* Plures turbam. Et quatuor, vel quinque porci, & decem oues faciunt gregem.

106 *Cap. II.* Oſius.

EPiſcopus non eſt eligendus ad clamorem Populi.

107 *Cap. III.* Poſtquam. *Greg. iij.*

SVperior ante quam confirmet electum, inquirat de vita, & moribus in loco, vbi fuit conuerſatus.

108 *Cap. IV.* Significaſti. *Paſchalis.*

ARchiepiſcopo electo Papa non tradit pallium, niſi prius iuret fidelitatem, & obedientiam. Item Concilia non dant legem Romanæ Eccleſiæ, ſed Papa dat robur, & auctoritatem Concilijs. Item iuramentum ob licitas cauſas non eſt in ſacris ſcripturis prohibitum.

Cap.

109 *Cap. V.* Quia diligentia. *Alexand. iij.*

SChismaticus reductus ad Ecclesiam non potest eligi in Episcopum sine dispensatione.

Glos. Nota, quod licet Prælatus sit schismaticus, non propterea perduntur iura Ecclesiæ, cum redierit Episcopus ad vnitatem.

110 *Cap. VI.* Licet.

IN electione Papæ duæ partes Cardinalium debent conuenire: qui à paucioribus eligitur, non est Papa; & si se gerit vt Papa est excommunicatus ipse, & electores.

Glos. Contra Papam à duabus partibus Cardinalium electum nulla exceptio opponi potest, nisi solum de hæresi.

111 *Cap. VII.* Cum in cunctis.

EPiscopus eligatur triginta annorum completorum, legitimus, vita, & scientia commendabilis. Et ipsius beneficia vacant post consecrationem, & adeptam possessionem, vel post elapsum præfixum tempus ad petendam consecrationem. Item in inferioribus beneficijs curatis beneficiatus attingat 25. annum, & commēdetur scientia, & moribus. & sic electus, si admonitus non ordinetur tempore præfixo à canonibus, remoueatur à beneficio, nec possit appellare, & beneficia dentur alijs. Item eligentes contra formam huius canonis priuantur potestate eligendi pro illa vice, & sunt suspensi per triennium à beneficijs. Item Episcopus si contrafaciat, vel consentiat, amittit potestatem conferendi illa officia, & beneficia; & ordinentur per Capitulum, vel Metropolitanum, si Capitulum nequiuerit concordare.

Glos. Speciale est in Episcopo, vt debeat esse triginta annorum completorum, & non sufficiat 30. annum attigisse, vt in alijs dignitatibus, & beneficijs, in quibus sufficit legitimum annum attigisse, puta 25. Item tempus definitum à canonibus de consecrando Episcopo est trium mensium: tenetur enim Episcopus à die confirmationis intra tres menses petere consecrationem, 75. *dist.* §.2. & *can.* 2. dummodo necessitas eum non impediat. Item beneficia, quæ habebat Episcopus, non possunt conferri, nisi post consecrationem, quia ante illam, cum adhuc possit contra ipsum excipi, non dicitur habere pleno iure Ecclesiam, quia habere est cum effectu habere. sed tamen dicitur maritus Ecclesiæ, & sine licentia Papæ eam dimittere non potest. Si vero ante prædictum tempus trium mensium consecretur Episcopus, beneficia possunt conferri.

ferri. Secus est in alijs beneficijs, & dignitatibus inferioribus; nam curatus si ad aliam curam eligatur, habita confirmatione, & administratione, vacat primum ipso iure; si primum non est curatum, & secundum est curatum primum vacat ipso iure; sed non de facto. Item Archidiaconus videtur habere curam animarum, sed non principaliter. Item si quis sine culpa factus est irregularis, non ordinetur, sed non remoueatur à beneficio, qui cum culpa etiam remoueatur.

112 *Cap. VIII.* Si causam.

COmpromittentes tenentur acceptare electum à compromissario, si electus est idoneus.

Glos. Potest compromitti electio etiam extra collegium. Item arbitrium compromissarij, si sit contra ius, vel formam datam non tenet. Item si male elegit, vel si electus noluit consentire, non potest iterum alium eligere, quia functus est officio suo.

113 *Cap. IX.* Nosti.

ELectus ante confirmationem non potest conferre beneficia, vel aliquid administrare.

Glos. Et si faciat (excepto casu *c. nihil est, inf.*) est repellendus ab administratione. Item nota in negocijs, si ex mutatione nulli sequitur præiudicium, vel si sequitur, re integra possunt reuocari, re non integra non debent reuocari cum interesse tertij.

114 *Cap. X.* Considerauimus.

ELectio facta post appellationem, & prima non cassata, & contra priuilegia Ecclesiæ est cassanda.

Glos. Electio cassata per modum electionis non præiudicat electo, vt non possit iterum eligi. Item non potest appellari, ne fiat electio, sed ne fiat nisi canonica: & tunc est alleganda aliqua probabilis causa, quia in appellatione causa exprimenda est. Innoc. IV. *in decr. cord. nobis, tit. de appell.*

115 *Cap. XI.* Suffraganeis.

MEtropolitanus electus, & confirmatus, antequam recipiat pallium, potest mandare suffraganeis, vt consecrent Episcopum.

Glos. Per confirmationem conceduntur ea, quæ sunt iurisdictionis.

Cap.

116 *Cap. XII.* Super eo. *Clem. iij.*

ELectio cassata non vitio personæ, sed electionis non impedit, quin electus iterum eligatur etiam in eadem Ecclesia, dummodo aliqua simonia non intercesserit.

117 *Cap. XIII.* Cum monasterium. *Cælestinus iij.*

REligiosus alterius monasterij potest eligi in Abbatem.
Glos. Dummodo sit eiusdem Ordinis, & in suis Ordinibus constitutus, alioquin non posset eligi, sed solum postulari: & in eo casu videtur, quod Episcopus possit dispensare, sed ad cautelam melius est id petere à Papa.

118 *Cap. XIV.* Cum terra.

ELectio debet esse omnino libera, & consuetudo contraria non valet, vt illa, quæ Hierosolymæ vigebat, qua erat solitum duos latenter Patriarchæ, vel Principi nominare in prælatos; & Patriarcha, vel Episcopus quem volebat, admittebat, vel electionem irritabat. Non tamen prohibetur, quin Patriarchæ, vel Regis pro tempore assensus requiratur, vbi id est solitum, sed solum mandatur, vt electio libere, & canonice fiat, vt nimirum electores in vnum locum conueniant, & personam nominent, &c. nec sit plena facultas laico electionem impediendi.

Glos. Laici non debent interesse, nec vocem habere in electione Prælati, & consuetudo contraria, vt repugnans ecclesiasticæ libertati, extirpanda est. Item eligentes non possunt alium eligere prima electione non reprobata, nisi forte talis electio esset conditionalis, si primus non obtinuerit; & tunc si primus obtineat, statim spirat. sed hodie non potest electio fieri sub conditione.

119 *Cap. XV.* Transmissam.

PEr confirmationem traditur potestas iurisdictionis, non ordinis.
Glos. Iurisdictionis actus sunt iudicare, excommunicare, corrigere, iuramenta recipere à vassallis, confirmare, inuestire, beneficia conferre, & similia. Ordinis sunt clericos confirmare, & deponere, chrisma conficere, benedicere virgines, & ecclesias, & altaria consecrare, &c.

120 *Cap. XVI.* Cum inter.

SVspensi non possunt eligere, nec suspensus eligi. Item qui renunciauit electioni, non potest appellare ad impediendum electio-

ctionem alterius, quia non sua interest.

Glos. Pure renuncians iuri suo, postea non auditur, vt hic & *c. in præsentia, inf. de renunciat.* Imo renuncians iuri suo spirituali, v. g. beneficio, pure tenetur renunciare, alioquin esset simoniacus: secus est in temporalibus, in ijs enim potest quis, sub modo, vel sub conditione renunciare, & conditione non adimpleta redit ad primum suum ius.

121 *Cap. XVII.* Qualiter post obitum.

ELectus si ante confirmationem administret, vel si non habeat sufficientem scientiam, eius electio est cassanda.

Glos. Electus, si ante confirmationem aliquid disposuerit de rebus ecclesiæ, vt saluæ essent, quæ alioquin perirent, & hoc non tanquam prælatus, sed vt simplex canonicus fecerit; non videtur administrasse, & ei non debet nocere. *l. pro hærede, ff. de acquir. hereedit.* sicut & tutor potest ante inuentarium de his rebus disponere, quæ nec modicam dilationem patiuntur. Sed cautius est, abstinere, vbi alij suppetunt, qui id agere possint.

122 *Cap. XVIII.* Cum inter.

QVi longe distant, & sciunt vacantiam ecclesiæ, non sunt expectandi pro electione, quia longa mora nocet, etiam si inter illos esset Decanus.

Glos. Quamuis ad electionem, qui sunt in eadem Prouincia essent vocandi, standum tamen est consuetudini. Item in alijs negocijs sufficit, quod facit maior pars præsentium. Item si nimis distantes semel inuitantur ad electionem, sunt expectandi secundum terminum datum.

123 *Cap. XIX.* Cum nobis.

QVando appellatur, non vt fiat electio, sed vt fiat canonice; si post appellationem fit canonice, valet electio. Item si taliter appellantes discedant, & qui remanent, eos inuitent, & ipsi nolint adesse, si fiat electio, est bona. Item qui approbat electum debet ex officio inquirere de qualitatibus, & impedimentis electi, etiam nemine instante: & mediocris doctrina, licet non sit eminens, sufficit. Item si non constet electum habere sufficientem ætatem ad Episcopatū, Papa si vrgens necessitas, & euidens vtilitas ecclesiæ ita postulet, solet dare tali ecclesiæ Procuratorem in temporalibus, & spiritualibus.

Glos. An, eo ipso quod admoniti noluntredire, possit fieri electio,

ctio. Respondetur rem esse controuersam: nam per varia iura videtur posse statim fieri, per alia videtur expectandum spatium trium mensium. Sed verius est, quod sufficit assignare terminum competentem, intra quem conuenienter venire possint; & eo elapso si non venerint, vel, si ob iustam causam impediti, procuratores non miserint, potest statim fieri electio. vide *glos. in verbo reuocata*. Item iudex aliquando potest supplere etiam de facto, imo debet, vt in confirmatione electi, tunc enim tenetur, etiam si nihil obijciatur de modo electionis, & de persona electi inquirere.

124 *Cap. XX.* Innotuit.

ILlegitimus postulari potest, non eligi in episcopum; & electores, nisi probent ignoranter elegisse, incidunt in can. Lateranensis Concilij; super quo tamen Papa potest dispensare, quia omnes Pontifices habent eandem potestatem.

Glos. Nota, quod electores debent mittere decretum electionis subscriptum ab omnibus electoribus, superiori, vt electionem confirmet: decretum autem electionis, non solum debet continere totam seriem, & formam electionis, nomina eligentium, & subscriptiones, sub hac forma: *Ego talis canonicus talis ecclesiæ huic electioni interfui, & consensi, & propria manu subscripsi*: Sed etiam debet continere nomen electi, & ad quam dignitatem est electus, inquisitionem, voluntates singulorum, & publicationem, & collationem: & debet esse scriptum, vel per publicam manum, vel per duos idoneos viros, & apponatur sigillum capituli. Huiusmodi autem decretum ita est de substantia electionis, vt si non fiat statim cassetur electio. *c. Cumana ecclesia*, & *c. cum post petitam, inf. eod.* Item Canon Lateran. Cōcilij, de quo in tex. est *c. cum in cunctis, supra eod.* vbi dicitur nullam esse electionem illegitimi: ex quo patet illum canonem esse latæ sententiæ. Item illegitimus, & indignus ob defectum potest postulari, sed non indignus ob crimen. Item ignorantia crassa, seu supina eligentium non excusat; nam tenetur adhibere diligentiam, an electus sit idoneus: & tunc etiam si non fuerit, excusantur, tamen tenentur probare suam ignorantiam, vel probando diligentiam adhibitam, vel per iuramentum. *c. præsentium inf. de test. c. pastoralis, inf. de excess.* & arg. *c. vnico, inf. de seru.*

125 *Cap. XXI.* Cum inter.

ELectores non possunt compromittere in præiudicium electi, etiam si non sit de gremio ecclesiæ, dummodo electus electioni

ni consenserit. Et hoc procedit, etiam si contra electum fuerit appellatum dicendo ipsum laborare morbo epileptico; nam si constet ipsum tali morbo non laborare, & nullum habere canonicum impedimentum, quicquid post electionem in ipsius praeiudicium factum fuerit, irritum est, & inane,& ipsius electio est confirmanda.

Glos. Electio debet fieri de propria ecclesia, si ibi sit idoneus, si tamen à maiori parte capituli fiat de aliena ecclesia,tenet electio, quia videtur capitulum renunciare iuri suo, quod in ipsius fauorem erat introductum. vide *glos. in verbo aliam*, vbi fuse hoc prosequitur, & varia iura hinc inde adducit. Item nota, quod per consensum eligentium,& electi,quasi coniugale vinculum contrahitur.Item electores facto, & publicato scrutinio non possunt amplius variare, *c. publicato,inf. eod* Imo nec à postulatione publice facta in scrutinio,vel superiori praesentata, *c. bona, c. vlt. & penul. sup. de postulat.* Item maior pars capituli sufficit ad constituendum Procuratorem. Item crimen per modum exceptionis probatum in vno iudicio, licet non infamet, tamen quia grauat famam, praeiudicat in alio iudicio. Item vbi est opus facto, voluntas non sufficit, *c. constitutis, inf. de eo qui mitt. in possess. caus. rei seruan.*

126 *Cap. XXII.* Dudum.

QVando maior pars capituli eligit vnum, & minor alterum, si primus erat indignus ob aliquod canonicum impedimentum, & id notum erat tempore electionis, electio est nulla, & electio à minore parte facta confirmabitur: si non erat indignus, primus remanet electus, & secundus cassatur.

Glos. Tempus electionis est considerandum, An electus sit idoneus ordine scientia, aetate, natalibus. Item in quibus rebus spectandus sit finis,in quibus principium,vide *glos. in verbo electionis tempore*. Item nota, quod si maior pars eligat scienter indignum, & minor dignum,potestas eligendi deuoluitur ad minorem partem: si vero maior pars eligit ignoranter indignum,& probaret ignorantiam,non priuaretur electione.

127 *Cap. XXIII.* Bonae memoriae.

QVi ante admissionem postulationis admittunt postulatum, tanquam institutum,vel administratorem,priuantur potestate eligendi, & potestas deuoluitur ad alios, licet pauciores, & si nullus sit de Capitulo, ad Papam. Item excessus notorius examinatione non indiget, & pro his, quae à Iudice sunt acta, praesumitur, quod omnia fuerint rite celebrata. Item negatiua non potest

test directe probari, & testes singulares nihil probant.

Glos. Episcopus, qui sine licentia se transfert ad aliam Ecclesiam debet vtramque perdere, & qui illum recipiunt, priuantur potestate eligendi. Item electio, seu postulatio, quæ nulla est, non impedit secundam. Item negatiua probari non potest, hoc est, si sit negatiua facti pura, & simplex: vt si quis dicat se nunquam fuisse citatum, non potest probari, neque directe, neque indirecte; & de tali negatiua loquitur textus. vnde onus probandi transfertur ad aduersarium. Si vero huic negatiuæ adijciatur aliqua determinatio loci, temporis, vel consimilis, tunc indirecte probari potest, vt *cap. ex tenore*, & *cap. series*, *inf. eodem*. Similiter si negatiua contineat implicite affirmatiuam, probari potest: v. gr. si quis dicat se non sponte consensisse q. d. se coacte consensisse, quod debet probare. Negatiua vero iuris, vt si quis asserat aliquid non esse legitime confectum, optime probari potest, & debet, sicut & negatiua qualitatis: vt si quis dicat aliquem non esse idoneum, ipsi enim incumbit onus probandi, cum vnusquisque, nisi contrarium probetur, idoneus præsumatur.

128 *Cap. XXIV.* Querelam.

SVfficit electo probare electores fuisse in quasi possessione tempore electionis, licet aliud non probet. Item sententia lata super possessione non præiudicat proprietati: & spoliatus debet restitui ante quæstionem proprietatis.

129 *Cap. XXV.* Cum Vintonien.

QVi scienter eligunt indignum, v. gr. illegitimum, iuxta Concil. Lateranen. per triennium carere debent Ecclesiasticis beneficijs, & priuantur potestate eligendi pro illa vice, sed in alia possunt.

Glos. Qui scienter indignum eligit, amittit potestatem eligendi, & deuoluitur ad illos, qui non peccarunt. Item illi, qui amiserunt potestatem eligendi, possunt admitti ad electionem ab his, ad quos est deuoluta facultas eligendi. Item suspensi per triennium à beneficio, quia elegerunt indignum, excepta prima vice possunt deinde eligere, & omnia negotia tam spiritualia, quam temporalia exercere, imo & debent officiare, & si non habent, vnde possint viuere, modicam sustentationem ex fructibus beneficij accipere possunt.

Cap.

130 Cap. XXVI. Per inquisitionem.

ELigentes indignum in episcopum, v. g. simoniacum, suspenduntur à Beneficijs per triennium, nec possunt interim assumi ad dignitatem illius ecclesiæ.

Glos. Cum agitur de statu Ecclesiæ, recipiuntur testes tam contra prælatum, quam contra omnes de ecclesia, etiam lite non contestata, quando, propter contumaciam se absentant. *c. quoniam frequenter, §. sunt & alij, vt lit. non contest.* Item importune preces alicuius, vt eligatur in episcopum, videntur inducere simoniam *can. sunt nonulli* 1. *q.* 1. Item confessio etiam extraiudicialis, præcipue publica, præiudicat confitenti, & recognitio debiti præscriptionem interrumpit. *l. cum notissimi. §. & si quis debitori C. de præscript.* 30. *annorum.* Item nota, quod suspensus à Beneficio, manente suspensione, non potest eligi ad Beneficium, vel dignitatem, sicut & suspensus ab officio. *c. cum dilectus, sup. de consuetud.*

131 Cap. XXVII. Cum causam.

NOn professus non potest eligi ad regimen ecclesiæ regularis, non obstante consuetudine, quia secundum legem Diuinam Deuteron. 22. non, est arandum in Asino, & Boue, nec vestiendum veste ex lino, & lana contexta.

132 Cap. XXVIII. Quod sicut.

ELectio plurium potius est nominatio, quam electio, & licite postea potest procedi ad electionem vnius in Cathedrali. Itẽ Principi sæculari patrono non simplex nominatio, sed solemnis electio est præsentanda, vt præstet assensum postulationi, licet aliquando secus fiat abusiue. Item appellatio interposita ab eo, cuius non interest, vel sine causa facta, non impedit electionem. Item aliqui de corpore, si vocati (dummodo vocari possint sine periculo) nolint venire, ipsorum absentia non impedit electionem: sed si contemnuntur, & non vocantur; electio est nulla, nisi pro bono pacis deinde consentiant. Item episcopus antequam consecretur, & dum celebratur missa consecrationis suæ non potest ordines conferre, quia debet concelebrare principaliter celebranti; & Archiepiscopus ante quam sumat pallium non potest exercere ea quæ sunt illius ordinis, vt ordinare, conferre chrisma, conuocare concilium, dedicare Basilicas, episcopos consecrare. Item solus Papa consecratur ante Hymnum Angelicum, & deinde, incipit missam; alij vero inter epistolam, & euangelium.

Glos.

Glos. Nominatio simplex non dat ius nominato. Item electio, quæ non valet, per ratihabitionem potest confirmari ab absentibus, & si sunt mortui, à successoribus. Item missa licet non sit de essentia in collatione ordinum, & in consecratione ecclesiarum,&c. tamen si quis contra faceret, esset seuere puniendus.

133 *Cap. XXIX.* Auditis.

ELectio à minori parte capituli facta, est ipso iure irrita, nec consolidatur per subsequentem consensum.

Glos. Ipso iure irrita, idest irritanda, vt colligitur ex ipso tex. Item Ratihabitio potest habere locum, *supra c. quod sicut*; sed hic non habet locum, quia pendet appellatio.

134 *Cap. XXX.* In causis.

POtestas data compromissarijs ad eligendum prælatum re non integra, idest si cœperunt habere tractatum, non potest reuocari.

Glos. Compromissarij possunt postulare, etiam de alia ecclesia, quia cum nihil excipitur in illa potestate,omnia intelliguntur concessa ad illum finem. An possit reuocari, res est dubia: quia si esset instar mandati, possunt; si est cessio iuris, siue donatio,non possunt. Item postulantes possunt recedere à postulatione, dummodo non sit præsentata superiori, *c. bona, sup. de postul.*

135 *Cap. XXXI.* Cum ecclesia.

DE consuetudine electio canonicorum potest pertinere ad solum capitulum,

Glos. De iure pertinet ad capitulum, & episcopum simul. Item nulli facit iniuriam, qui vtitur iure suo,dummodo tamen non faciat animo nocendi.

136 *Cap. XXXII.* Cum dilectus.

COmpromittentes tenentur acceptare electum à compromissarijs, si secundum formam compromissionis elegerunt.

Glos. Quæ fiunt per subreptionem,debent cassari. Item est exigendum iuramentum, quod non apponentur exceptiones malitiose. Item propter defectum probationis admittuntur testes, qui de facto suo non deberent recipi. Item testes singulares non valent. Item sententia interlocutoria, si intra decem dies non appellatur, transit in definitiuam. Item Episcopus non potest dispensare in ætate.

137 *Cap. XXXIII.* Cum in iure.

SI ex ſeptem compromiſſarijs tres eligerent vnum ex ſeptem, & alij tres vnum non de gremio capituli, electus ex ſeptem recipitur, ſi aliud canonicum impedimentum non obſtet.

Gloſ. Perſona electa non computatur in numerum eligentium, licet aliqui id negent.

138 *Cap. XXXIV.* Venerabilem.

IMperatoris electio ſpectat ad ſeptem Principes Germanos. Papa examinat, ſi eſt dignus, & conſecrat, & coronat, & in defectu ſupplet, & data paritate vocum, gratificat cui vult.

139 *Cap. XXXV.* Coram.

ABſentes de Prouincia ſunt vocandi ad electionem; & electus à maiori, & ſaniori parte, eſt confirmandus.

Gloſ. Quando Prouincia eſt valde magna, non videntur eſſe vocandi, quia periculum eſt in mora; & contra, quando aliqui, etiam ſi non ſint de Prouincia, ſint valde vicini, deberent vocari; ſed circa vocationem ſtandum eſt conſuetudini.

140 *Cap. XXXVI.* Bonæ memoriæ.

ANte ſepulturam demortui, vel contempto ſaltem vno, non poteſt fieri electio, & ſi fiat non tenet, non tamen deuoluitur ad illum vnum.

141 *Gloſ.* Secunda electio non eſt facienda prima non caſſata, & vnus ſolus contemptus non poteſt caſſare electionem, quæ non eſt nulla ipſo iure, ſed annullanda per ſuperiorem. Item citatio facta non legitime, non tenet.

142 *Cap. XXXVII.* Cum ad noſtram.

NOn Monachus non poteſt fieri ſimul Monachus, & Abbas.

Gloſ. Cum quis fit Monachus, cum promiſſione, vel ſpe principali, vt eligatur in Abbatem, eſt ſimoniacus, non autem quando fit cum ſpe ſolum ſecundaria habendi honores &c. Item melioris conditionis ſunt Monachi, quam clerici; nam clerici eos eligunt ad ſua officia, *cap.* 1. *&* 2. 58. *diſt. c.* 1. 17. *quæſt.* 1. ſed ipſi non eligunt clericos ad ſuas dignitates.

Cap.

143 *Cap. XXXVIII.* Officij tui.

QVi non est instructus in regula Monachali, non potest eligi in Abbatem. Item qui statim atque est effectus Monachus eligitur in Abbatem, licet nullam habuerit promissionem, seu fiduciam, vt ipsum eligerent in Abbatem, tamen tenetur se purgare; & deinde quando erit instructus in Regula, si ita ecclesiæ vtilitas postulet, eligi poterit in Abbatem.

Glos. Ex eo quod aliquid est in continenti, subsequutum præsumitur, *cap. si quis, 37. quæst.* 1. & *cap. si qua femina* 50. *dist.* & sic præsumebatur istum Monachum, de quo in tex. fuisse turpiter, & ex conuentione electum.

144 *Cap. XXXIX.* Illo quotidiana.

EXcommunicatus minori potest eligere, & electio tenet.

Glos. Non tamen potest eligi, *cap. si celebrat, infra de cler. excomm. min.* Et si celebrat, licet peccet, non fit irregularis.

145 *Cap. XL.* Scriptum.

QVando concurrunt postulatio, & electio, si postulatus est idoneus, & numerus postulantium est duplo maior, quam numerus eligentium, admittitur postulatio reiecta electione. Secus est, si numerus postulantium non sit duplo maior, tunc enim admittitur electus, si est dignus. Quod etiam procedit si scienter postularunt indignum, reijcitur enim postulatio, & postulantes priuantur pro ea vice potestate eligendi, seu postulandi. Si vero ignoranter postularunt indignum, reijcitur & postulatus, & electus.

Glos. Dubium est, an huius decretalis dispositio procedat tota secundum ius commune, an vero secundum particularem consensum partium. Hoc secundum videtur vero similius. Item non videtur necessarium, quod postulatio sit facta à duabus partibus; nam sufficit, à maiori parte capituli esse factam, & potest confirmari à superiore. Item qui reputatur dignus ad vnam dignitatem, non propterea reputatur dignus ad maiorem.

146 *Cap. XLI.* Ne pro defectu.

ELectores si cessante iusto impedimento intra tres menses non eligunt Pastorem cathedralis, vel regularis ecclesiæ, priuantur ea vice potestate eligendi, & deuoluitur ad proximum superiorem, qui intra alios tres menses cum consilio capituli, & aliorum prudentum prouideat de persona idonea eiusdem Ecclesiæ: & si non re-

periatur ibi digna, alterius, sub pœna canonice vltionis.

Glos. Ecclesia regularis, & cathedralis æquiparantur, quo ad tempus eligendi. Item licet per negligentiam amittatur ius eligendi, tamen illi, qui non potest, non currit præscriptio. Item superior, ad quem deuoluitur potestas eligendi, non tenetur expectare assensum capituli, sed sufficit si requirat consilium, *cap. cum olim, inf. de arbit.* aliorum autem consilium solum de honestate tenetur requirere: vide *glos. in verbo, consilio*. Item debet eligi de gremio illius ecclesiæ, si sit dignus; sed si superior stante digno illius ecclesiæ, eligeret in Prælatum aliquem alterius ecclesiæ, nihilominus valeret electio; nam multa fieri non debent, facta autem tenent, *cap. nuptiarum 27. q. 1.* & *c. si vir 26. dist.*

147 *Cap. XLII.* Quia propter.

TRiplex est forma canonica eligendi scrutinij, compromissi, & inspirationis. Aliter facta electio non valet, & electores priuantur ea vice potestate eligendi. In electione autem, quæ fit per scrutinium præsentibus omnibus, qui debent, & volunt interesse, assumantur tres de Collegio fide digni, qui secrete, & singillatim vota exquirant, & scribant, & deinde publicent, & ille in quem maior, & sanior pars capituli consenserit, sine vlla appellatione est electus. Item absentes non constituant procuratores pro electione, nisi sint legitime impediti, & si opus fuerit, iurent se non posse venire, & si velint committere, committant alicui ex capitulo. Item non fiat electio clandestine, & facta solemniter publicetur.

Glos. Hæc decretalis non solum procedit in electione Episcoporum, sed etiam Prælatorum regularium, & omnium illorum, qui habent iurisdictionem generalem in ecclesijs collegiatis. Nam hi omnes vocantur quodammodo ecclesiarum sponsi, *cap. sicut in vnaquaque 21. quæst. 1.* & ecclesiæ, quæ illis carent, viduatæ, vt loquitur tex. Vnde non comprehenduntur in hac constitutione dignitates, seu personatus in ecclesijs cathedralibus, quia in vacatione illarum ecclesia non dicitur viduata, cum habeat Episcopum. Item de substantia, seu forma electionis est, vt secreto, & singillatim fiat inquisitio, & publicatio in communi, & nullo actu contrario intermisso fiat collatio, & communis electio: & hoc probant *cap. cum post petitam*, & *cap. Cumana*, & *cap. in Genesi, inf. eod.* item requiritur, quod vota scribantur, *cap. saluberrimum 1. q. 7.* Non est autem de substantia electionis, quod quilibet sit vocandus, qui commode vocari possit, vt alioquin sit cassanda electio; nam sufficit si non vocati consentiant, *cap. qui sicut, supra eodem*.

Neque

Neque est de substantia, quod tres tantum sint inquisitores, dummodo tot sint, vt non possit committi fr aus &c. vide *glos. in verbo, sanior*. Item, qui impeditus non potest interesse, si vices suas alicui de capitulo committat, ille habebit duplicem vocem. Si vero nullus de capitulo vellet recipere vicem suam, tunc posset committere alteri religioso clerico; hodie tamen illum non admitterent canonici: vnde melius esset, si per litteras mentem suam significaret.

148 *Cap. XLIII.* Quisquis.

QVi consentit electioni factæ per abusum potestatis sæcularis cōtra canonicam libertatem, fit inhabilis ad illam, & ad alias dignitates, & electio est irrita; & qui præsumpserunt illam electionem celebrare, priuantur ea vice potestate eligendi, & suspenduntur per triennium ab officijs, & beneficijs.

Glos. Sæcularis non debet interesse electioni, est enim contra libertatem ecclesiasticam. Item qui consentit electioni, vt in tex. ipso iure, & non per sententiam est inhabilis ad illam dignitatem, & ad alias: sed à beneficijs, & officijs, quæ obtinet, non est ipso iure, sed per sententiam suspendendus.

149 *Cap. XLIV.* Nihil est.

COnfirmator examinet processum electionis, & personam electam in scientia, vita, & ætate: & si indignum per negligentiam confirmauerit, careat potestate confirmandi in sequenti electione, & suspendatur à perceptione fructuum proprij beneficij, quousque indulgentiam promereatur. Si vero per malitiam indignum confirmauit, grauius puniatur. Item episcopi, si volunt canonicam effugere vltionem, nonnisi dignos promoueant ad ordines. Item quando confirmatio episcoporum immediate spectat ad Papam, electi præsentent se personaliter Papæ, vel per idoneas personas, vt fiat diligens inquisitio. Si sint valde remoti, scilicet extra Italiam, & fuerint electi in concordia, tunc illis Papa dispensatiue concedit, vt propter vtilitates, & necessitates ecclesiarum, bona illarum ante confirmationem administrent, dummodo illa non alienent; & munus consecrationis recipiant, sicut hactenus consueuerunt.

Trid. ses. 6. de Ref. c. 1. & sess. 7. c. 3 & ses. 23. c. 1.

Glos. Defectus scientiæ impedit non solum promouendum, sed eijcit iam promotum, *c. vlt. inf. de ætat. & qual.* Item variæ pœnæ statuuntur à canonibus contra promouentes indignos, & promotos. Modo priuantur potestate conferendi illum ordinem, quem illicitè contulerunt, *c. si qui episcopi 1. q. 1.* & consecratus remouetur à

clero. Modo suspenditur à celebratione missæ per annum. *c. nullus 55. dist.* Hic imponitur pœna suspensionis, vide *glos. in verbo, suspenditur.* Item episcopi qui immediate subsunt Romano Pontifici, & sunt vltra Italiam, possunt administrare ante confirmationem. Non videtur autem idem procedere in episcopo valde remoto à suo Metropolitano, hic enim non potest ministrare ante confirmationem habitam à Metropolitano. Quamuis enim de vtroque eadem videatur esse ratio, tamen cum hic dispensatiue solum id concedat Pontifex, dispensatio ad similia non extenditur, *c. causis, inf. de re iudic.* Item episcopus, qui ante confirmationem administrauit, si tempore confirmationis non reperiatur idoneus, & remoueatur, omnia quæ gessit, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, dummodo nihil alienauerit, valent; intrusus autem in episcopatu, omnia per illum gesta irrita sunt, exceptis ijs, quæ in ecclesiæ vtilitatem vergunt: cum enim in fauorem ecclesiæ talia cassentur, non debent in ipsius præiudicium retorqueri, *l. quod fauore, ff. de legib.*

150 *Cap. XLV.* Vt prærteritæ.

EXpensæ necessariæ pro electione prælati factæ à capitulo, sunt soluendæ de bonis episcopatus, dummodo canonici non occupent bona decedentis.

Glos. Si occupauerint bona decedentis, de illis sunt faciendæ expensæ.

151 *Cap. XLVI.* Cum post.

QVando processus est inordinatus, idest quando electio non fuit statim facta post publicationem consensuum, & post tractatum electionis, vel quando primo fuit requisitus consensus electi, & consensit, quam eligeretur, electio non valet.

Glos. Electio, & consensus sunt facienda ex incontinenti, antequam ad alia diuertatur, & vnico contextu totum fieri debet, *c. quia propter, supra eodem.* Item sufficit ad cassandam electionem, quod consensus alicuius ante electionem fuerit requisitus, etiam si ipse non consenserit, licet id videatur valde dubium, vide *glos. in verbo, requisitum.*

152 *Cap. XLVII.* Constitutis.

CVm quis ex vno Monasterio eligitur Abbas alterius Monasterij, non habet amplius vocem in electione Abbatis primi Monasterij, etiam si capitulum hoc illi concedat.

Glos. Si esset consuetudo in contrarium, bene posset habere vocem,

cem, dummodo tempore electionis esset in quasi possessione eligendi.

153 *Cap. XLVIII.* Ecclesia vestra.

ELectio debet fieri à maiori parte capituli, & non à maiori parte respectu aliarum minorum eiusdem capituli: & licet fiat solemnis deportatio, non tamen tenet electio.

Glos. Publicatio, collatio, & electio in continenti, sunt de substantia electionis, aliter non valet. *c. quia propter, supra*: sic inquisitio, & scriptura. Item publicato scrutinio appellatio non habet locum.

154 *Cap. XLIX.* Cum in Magistrum. *Greg. ix.*

QVi non est professus, non potest esse Abbas.

155 *Cap. L.* Cumana.

SI non est à maiori parte capituli electio facta, non valet. Item qui non sunt de gremio capituli, vt habeant in illo vocem, debent probare, quod vel de iure, vel de consuetudine præscripta hoc illis competat. Item collatio est facienda statim post publicationem scrutinij, alioquin non valet.

Glos. Clerici, & capellani, & etiam Abbates de iure communi in electione esse non debent, cum id spectet ad capitulum, *c. congregatio* 13. *q. vlt. c. à nobis, inf. de iure patron.* sed de consuetudine possunt. Item persona electi non auget numerum eligentium. Probatur per *c. quia propter, supra eodem*: quia ante quam quis eligatur, oportet quod in scrutinio maior pars capituli consenserit: & ita cum non dum sit electus, nec sciatur in quem maior pars consenserit, non potest augere numerum, nec debet computari in numerum eligentium, vide *glos. in verbo, Ad maiorem partem*.

156 *Cap. LI.* Sacrosancta.

NOn potest laicus, quamuis patronus, etiam de consensu prælati, & capituli habere ius eligendi in ecclesia collegiata, vt scilicet ex pluribus nominatis à capitulo, vel prælato, quem voluerit possit eligere, sed solum; electio facta debet illi denunciari, vt assentiatur.

Glos. Compositio facta cum laico in spiritualibus contra libertatem ecclesiasticam, & iuri contraria, non valet. Item electio facta præsentetur Patrono, vt suum præstet consensum, *c. cum terra, & c. cum sicut, sup. eod.*

157 Cap. LII. Cum in veteri.

QVando Papa mandat, vt fiat electio cum aliquorum consilio, tenentur eligentes consilium illorum requirere in tractatu electionis, & tempore congruo responsum expectare, alioquin electio non valet.

Glos. Electores debent ante electionem, & collationem cum consiliarijs habere tractatum de electione, & deinde siue concordarint, siue discordarint in persona eligenda consiliarij, & electores, possunt eligere, & electio valebit; si vero mandatum Papæ iuberet, vt non eligerent nisi cum consilio, & assensu aliquorum, tunc electio non valeret, nisi illi consentirent.

158 Cap. LIII. Congregato.

SI in eodem scrutinio pars maior eligit indignum, & minor pars dignum, valet electio minoris partis, quia maior pars, eligendo indignum priuatur pro illa vice potestate eligendi, & deuoluitur ad minorem.

Glos. Ignorantia, seu defectus scientiæ impedit promouendum, & deijcit promotum, *c. vlt. inf. de ætat. & qual.* Item episcopus non solum debet habere scientiam sacrarum litterarum, sed etiam sæcularium negotiorum, *§. 1. & ca. qui ecclesiasticis 36. dist.* Item Qui eligunt indignum, ipso iure priuantur pro ea vice potestate eligendi, hic, & *c. cum in cunctis, sup. eod.* vnde falluntur qui dicunt, *c. cum in cunctis* non esse latæ sententiæ, sed ferendæ.

159 Cap. LIV. Dudum.

HAbens plura beneficia curata sine dispensatione Papæ, vel plures personatus, est ineligibilis, & electio circa ipsum facta est irritanda. Item in Concil. Lateran. statuitur, vt qui habens beneficium curatum aliud curatum recipit, ipso iure sit priuatus primo beneficio; & si præsumpserit vtrumque retinere, vtroque spolietur. Item retinens plura beneficia curata sine dispensatione, quasi furtum, vel rapinam committit, & decipit animas illorum, quorum curam sine vlla potestate gerit. Item litis contestatio non fit per positiones, & responsiones super articulis factas, sed per petitionem in iure propositam, & responsionem factam, & processus sine tali litis contestatione est irritandus. Item Archidiaconus, qui de consuetudine suspendit, excommunicat, & absoluit presbyteros, inquirit & cæt. dicitur habere curam animarum. Item
Trid. f. 24. de ref. c. 1 ante Concil. Lateran. nemo poterat habere duas parochiales, nisi

vna

vna ex altera penderet, vel vnam intitulatam, alteram commendatam.

Glos. Qui opponit in formam electionis, si non probauerit quod opponit, condemnatur in expensis: qui opponit in personam electi, si non probauerit, suspenditur per triennium à beneficijs, ad quæ si intra id tempus se ingesserit, perpetuo est illis priuatus. Innoc. iv. *c. statuimus de elect. electique potest. in 6.* Item Habens plures ecclesias parochiales sine dispensatione decipit animas, quarum curam gerit, quia cum desierit esse illarum prælatus, nullam in illis habet iurisdictionem, vnde non potest illas, nec absoluere, nec ligare. Poterant autem ante Concil. Lateran. episcopi id dispensare, nunc potest solus Papa. Item tempus electionis spectandum est, an tunc quis possideat plures ecclesias curatas; nam non sufficeret post electionem illas dimittere. Item, vt fiat litis contestatio, necesse est, vt oblato libello aduersario, & proposita actoris petitione reus neget in iudicio, vel confiteatur, quia contestari est, veluti simul testari, vnde requiritur, vt reus directe respondeat petitioni, quam facit actor in libello, *l. vnica, C. de lit. contest.* & *c. un. inf. de lit. contest.* Item in causis spiritualibus iuramentum tantum de veritate dicenda, & non de calumnia præstantur: & qui non vult illud præstare, si sit actor cadit à sua actione, si sit reus habetur pro confesso, sicut etiam accidit in eo qui non vult præstare iuramentum calumniæ. An cum prælatus testificatur, debeat illud præstare, res est controuersa, vide *glos. in verbo, de veritate dicenda*. Item nemo potest habere duas ecclesias intitulatas. & quot modis accipiatur titulus, vide *glos. in verbo, intitulatam*. Item videtur, quod episcopi possint dispensare, vt clerici inferiores habeant plures præbendas in diuersis ecclesijs, dummodo non sint dignitates, vel beneficia curata, non enim reperitur id prohibitum. Item qui habet plura beneficia, quorum vnum per se sufficeret, sine dispensatione, peccat mortaliter.

160 *Cap. LV.* In Genesi.

SI maior pars capituli non conuenit, & si electio communiter non celebratur, vel si non præcedat collatio, electio non valet, sicut etiam si non admittatur ad eligendum ille, qui existebat in canonicatus possessione habendo stallum in choro, locum in capitulo, legendo, & cantando, &c. vel si non vocentur illi, qui de consuetudine illius ecclesiæ solent vocari.

Glos. **Communis debet esse electio, hoc est non singularis, nec clandestina, *hic*, & *c. quia propter, sup. eod.* Item qui manet in quasi**

quaſi poſſeſſione eligendi pacifica, etiam ſi ius in veritate non haberet, non eſt excludendus ab electione.

161 *Cap. LVI.* Maſſana.

E Lectio epiſcopi facta per laicos, & canonicos, etiam ſi hoc habeat conſetudo, non valet.

Gloſ. Imo laici, qui hoc attentauerint, ſunt excommunicandi, *c. ſi quis deinceps* 16. *q.* 7.

162 *Cap. LVII.* Eccleſia veſtra.

A D confirmationem electionis non ſufficit, quod fuerit facta à maiori parte capituli, niſi etiam fuerit facta à ſaniori, & ſic non ſemper ſtatur maiori parti. Item qui non vult intereſſe electioni, nihil valet deinde, ſi poſt factum ſcrutinium ipſius conſenſus accedat. Item non eſt credendum, quod Papa velit euertere vnico verbo, quod eſt excogitatum, & inuentum multis vigilijs.

Gloſ. In electione non ſtatur ſemper maiori numero. Nam conſideratur etiam auctoritas, & zelus eligentium: auctoritas noſcitur ex dignitatibus in quibus ſunt, ex ſcientia, ex ætate, &c. Zelus, ſi ſine vllo carnali affectu merita ſolum perſonæ reſpicientes eligant aliquem omnino dignum, & alia pars eligat aliquem, qui nonnullos patitur defectus. Item qui noluit adeſſe electioni, ſi pœniteat, ante ſcrutinij publicationem, bene poteſt ſuum votum dare: ſi autem fuerit publicatum ſcrutinium, non poteſt.

163 *Cap. LVIII.* Publicato.

E Lectores publicato ſcrutinio non poſſunt amplius variare, ſed ſtatim faciant collationem, & electionem celebrent; & ſi noluerint, per ſuperiorem compellantur.

Gloſ. Licet per ſolam publicationem ſcrutinij non dicatur quis electus, non poſſunt tamen electores variare, quia iam res non eſt integra: & quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt, *c. de illis, infra de deſpon. impub. l. Pomponius, ff. de negot. geſt.* & negotium electionis nimis protraheretur. Idem iuris eſt in poſtulatione; nam publicato ſcrutinio tenentur illam ſuperiori porrigere, *cap. vlt. & penult. ſupra de poſtulat.*

164 *Cap. LIX.* Si alicuius.

C Aſſata electione alicuius prælati ob ſimoniam, etiam electo ignorante, non diſpenſat Epiſcopus pro ea vice. Poteſt tamen diſpenſare in eo, qui libere reſignauit ſimplex beneficium,

quod

quod simoniace, sed ignoranter recepit.

Glos. Qui ratam haberet simoniam ipso ignorante ob receptionem beneficij commissam, non debet dispensari.

165 *Cap. LX.* His, quibus.

Electoribus, qui debent petere licentiam ad eligendum, currit tempus statutum à canone, si sint in mora postulandi licentiã.

Glos. Ratio est, quia nemo debet ius suum negligere, vnde quamuis non possent hi eligere, debebant tamen petere licentiam, sicut ille, qui ob iustam causam non potest appellare, nisi hoc coram publicis personis fuerit protestatus, currit tempus appellationis.

IN SEXTO LIBER I.

DE ELECTIONE, & electi Potestate. Tit. VI.

166 *Cap. I.* Statuimus. *Innoc. iij.*

SI quis in electione, prouisione, seu postulatione alicuius dignitatis, personatus, aut canonicatus, aliquid obiecerit, ac proinde fuerit ad Papam appellatum, tam adpellans, & se defendens, quam cæteri, quorum interest infra mensem à die obiectionis, per se, vel per procuratores ad Sedem Apostolicam iter arripiant. Et si post aduentum vnius partis, altera pars intra viginti dies non compareat, procedatur in causa appellationis. Qui vero obiecerit contra formam electionis, & plene non probauerit, condemnabitur ad expensas partis contrariæ; si obiecerit contra electi personam, & plene non probauerit, erit per triennium suspensus à beneficijs ecclesiasticis, ad quæ si temere in illo triennio se ingesserit, erit ipso iure perpetuo priuatus, sine vlla spe indulgentiæ, nisi forte constaret, quod causa probabilis ipsum excusauit à calumnia.

Glos. Opponens contra personam eligentium, si plenè non probauerit, non tenetur his pœnis, sed tenetur ire Romam ad prosequendam suam appellationem. Qui opposuit, sed non appellauit non tenetur ire Romam; nam censetur cessisse iuri suo, & electionem admisisse. Si vero, qui appellauit, dolosè appellationem non prosequitur, qui solum opposuit potest appellationem prosequi. facit *c. concertationi, de appell.* Item pars, quæ venit facto, vel incepto

cepto iam processu, puta receptis testibus, si petat libellum fieri, seu litis contestationem, non est audienda, ob illius enim contumaciam litis habetur iam pro contestata. Item si postmodum procuratori obijciatur, quod non habeat mandatum, non est cogendus ad partis petitionem probare mandatum, sed bene poterit Iudex, ne in vanum laboret, procuratorem compellere ad exhibendum mandatum; vel dandam cautionem, *arg. c. 1. supra, de procurator.* & *c. causam, de iudic.* Item has pœnas suspensionis beneficij, &c. non incurrit ille, qui solum appellat, sed qui appellat, & assumit onus probandi: quia licet ab appellatione recedere, *c. ei qui, §. appellatione cessante 2. q. 6.* Sed si ob talem appellationem pars aduersa fecerit aliquas expensas, tenetur ad illas, quia condemnatio expensarum non imponitur sicut pœna, sed tanquam interesse appellati. Item hæ pœnæ suspensionis, &c. locum habent, non solum in eo qui obijcit crimen, sed etiam in eo qui obijcit defectum electo. Et si plura quis obiecerit, sufficit ad euitandas has pœnas vnũ probasse, quod per se sit sufficiens ad cassandam electionem, *cap. inter cætera, supra, de rescrip.* Item obijciens contra electum, & non probans, non suspenditur ab omnibus, sed solum ab ijs beneficijs, quæ habet in illa Ecclesia, in qua fit electio, ita expresse in *cap. si compromissarij, in fin. eod. hic in 6.*

167 *Cap. II.* In electionibus.

IN electione, postulatione, scrutinio, vota conditionalia, vt eligo talem, si talis eum eligit; vel alternatiua, vt eligo talem, vel talem; vel incerta, vt eligo quem talis eliget: sunt nulla, & tota potestas eligendi deuoluitur ad alios, qui pure elegerunt.

Glos. An collatio beneficij conditionalis valeat? Respondetur quod si sit talis conditio, quæ insit de sui natura, v. g. do tibi hoc benefitium, si vacat, vel si capax es, valet: secus non. sed vide *glos. in verbo, incerta*, vbi fuse de his conditionibus. Item qui dat vota conditionalia, &c. in scrutinio, licet non sit secuta electio, perdit pro ea vice eligendi potestatem, & deuoluitur ad eos, qui pure elegerunt; & in quem maior pars horum consenserit, erit electus.

168 *Cap. III.* Vbi periculum. *Greg. ix.*

AGitur de modo eligendi Pontificem, & confirmatur constitutio Alexandri III. & iubetur quod Cardinales præsentes in loco, vbi est mortuus Papa, teneantur expectare alios Cardinales per decem dies, quibus elapsis, siue venerint, siue non, ingrediantur conclaue in eodem Palatio Papæ demortui, cum singulis famulis,

nisi

nisi patens necessitas aliquorum admittat duos. Conclaui autem nullo intermedio pariete, seu alio velamine omnes in communi inhabitent, & ita vndique clausum sit, vt nullus intrare, vel inde recedere valeat. Cardinales autem nemo secrete alloquatur, nec illi vllum admittāt, nisi forte esset ab omnibus pro negotio electionis vocatus. Qui aliter eos alloquitur, vel scribit, vel nuncium mittit, est ipso iure excommunicatus. Item si elapsis tribus diebus ab ingressu conclauis Pontificem non elegerint, illis detur vnum tantum ferculum, octo elapsis, solum panis, vinum, & aqua per fenestram. Item sede vacante Cardinales nihil pro se accipiant de camera, sed omnia reseruentur futuro Papæ; si secus fecerint, non recipiant proprios redditus, donec plene restituant. Item non tractent alia negotia nisi vrgentia, & de consensu omnium. Item si quis Cardinalis noluit intrare, vel sine infirmitate est egressus, sine eo procedatur, nec rursus admittatur. Qui vero propter infirmitatem, eo absente adhuc procedatur; sed si voluerit redire admittatur, sicut etiam absens, qui post clausum conclaue venit. Item hæc omnia fiant, etiam si Papa moriatur extra Vrbem in ciuitate illius regionis, dummodo non sit interdicta, vel in manifesta rebellione contra Ecclesiam; & hæc faciant obseruare Domini, & officiales ciuitatis præmisso iuramento coram clero, & populo. & si præmissa non obseruauerint, cuiuscumque sint status, &c. eo ipso sint excommunicati, & perpetuo sint infames, inhabiles ad dignitates, &c. feudis ecclesiasticis priuati, & ciuitas sit interdicta, & priuata Episcopo. Item Cardinales deponant omnem priuatum affectum, nec promittant, aut paciscantur; si autem promiserint, &c. omnia pacta, & promissiones, etiam iuramento firmatæ, sunt irritæ, ac nullæ, nec quisquam ex eorum transgressione notam vereatur fidei non seruatæ, sed potius laudem mereatur. Item fideles quotidie orent pro electione, &c. fiant processiones, &c.

169 *Cap. IV.* Vt circa.

Appellantes contra electiones, postulationes, vel prouisiones, vel contra personas eligentium, aut electi, tenentur exprimere in instrumento publico, seu litteris super appellatione confectis, omnia, & singula, quæ obijciunt contra formam, vel personam, & simul iurare, quod credunt ea esse vera, & se posse illa probare. Alioquin opponentes non poterunt, nec tempore appellationis interpositæ, vel postea obijcere aliqua in huiusmodi litteris non contenta, nisi forsan essent aliqua de nouo emersa, vel quæ licet antiqua, verisimiliter tamen constet, quod tempore appellationis

tionis potuerint ignorari; teneantur autem appellantes hanc ignorantiam per iuramentum probare. Item ſtatutum Innocentij IV. contra non probantes quæ obijciunt, confirmatur.

Sup. c. 1. hic eod.

Gloſ. Indefinita ſecundum logicos in materia neceſſaria æquipollet vniuerſali, vt homo eſt animal, ergo omnis homo,&c.in materia contingenti non æquipollet; ſed ſecundum iuriſtas non eſt hoc ſemper verum. Nam ſi quis leget marmor indefinite,non comprehenduntur ſtatuæ marmoreæ, ſed ſola rudis materia, *l. quæſitum*, *§. illud fortaſſe, ff. de leg.* 3. ſi vero leget omne marmor,comprehenduntur, *l. hæres meus, §.* 1. *ff. de leg.* 3. & ſic de ſimilibus. Vnde dicendum eſt, quod ſi omnia particularia comprehenſa ſub vniuerſali non ſunt eiuſdem rationis propter aliquod accidens, ex hominis operatione, puta quia aliquod marmor eſt laboratum, aliud non, vel aliqua lana tincta, alia non; tunc indefinita non æquipollet vniuerſali. Si vero omnia particularia ſint eiuſdem conditionis, licet vnum ſit perfectius alio ex natura, ſeu origine ſua, puta, quia vnum marmor eſt melius alio; tunc indefinita affirmatiua, vel negatiua æquipollet vniuerſali, *l. ſi pluribus, ff. de leg.* 2. *l. ſi ita*, *ff. de reb. dub.* In ſtatutis autem indefinita non æquipollet vniuerſali, quia ſunt ſtricte intelligenda, *cap. in noſtra, de iniur.* Item in Romana curia quilibet clericus de diœceſi admittitur ad dicendum contra electum Epiſcopum, contra electionem autem ſoli Canonici. Item iuramentum corporale dicitur, cum quis tangit manu Euangelia, & iurat: & hoc iuramentum requirit hæc Decretalis. Si quis autem tangeret pede, vel cubito Euangelia, vel ſi iuraret, non tangendo, non ſufficeret. An epiſcopus teneatur tangere, vide *gloſ. in verbo, corporali*. Sed videtur negatiue reſpondendum. Item ſi quis vno die appellaret, alio vero iuraret, non ſatisfaceret huic Decretali, etiam ſi ſe offerret paratum ad iurandum; nam in continenti requiritur iuramentum ſuper oppoſitis in appellatione, & tabellio debet in inſtrumento fidem facere de iuramento, & illius qualitate. Item ſatisfacit huic Decretali,qui aliqua ex oppoſitis ſufficientia ad caſſationem electionis probauit, licet alia non probauerit. Item ignorantia probatur per iuramentum proprium, hoc eſt per iuramentum appellantis, vel ipſius procuratoris habentis ad hoc ſpeciale mandatum, generale enim non ſufficeret.

Trid. ſeſſ. 7 Ref. 13.

170 ## *Cap.* V. Auaritiæ.

ELectus, ante confirmationem non præſumat adminiſtrare in Eccleſia, etiam vt œconomus, vel procurator, vel ſub alio quæ-

quæsito colore in spiritualibus, vel temporalibus, per se, vel per alium, in totum, vel in partem. Si secus faciat, eo ipso priuatur omni iure acquisito per electionem.

Glos. Hæc Decretalis non intelligitur de Vltramontano concorditer electo, immediate Papæ subiecto, hic enim ante confirmationem administrare potest, *c. nihil, supra eod.* Item qui se ante confirmationem fecerit procuratorem, vel œconomum, si non administrauerit, non incurrit hanc pœnã priuationis ipso facto.

Cap. *VI.* Quam sit.

Electores, quam primum possunt, præsentent electionem electo, & petant ipsius consensum: electus autem teneatur illum infra mensem à dicta præsentatione præstare, alias priuatur ipso facto iure acquisito, nisi forsan electus esset subditus, nec posset consentire sine licentia superioris; tunc enim quam primum debet illam petere, & si infra tempus pro absentia superioris moderandum non petierit, electores alium eligant. Item electus tenetur infra tres menses post consensum petere confirmationem: si absque causa non fecerit, amittit ius.

Glos. Tempus datum electoribus ad præsentandam electionem electo, cum non sit statutum à canone, est moderandum arbitrio boni viri: & si electores fuerint negligentes in præsentando, non nocent electo, & puniuntur vt infra *cap. cupientes, §. cæterum, eod.* Item mensis datus electo ad consentiendum, non habebit semper triginta dies, sed quot sunt in illo mense, in quo præsentatur electio; licet alij contrarium sentiant. Item Religiosus electus tenetur petere licentiam à suo superiore, & si non obtinuerit, adhuc potest consentire.

171 ## *Cap.* *VII.* Perpetuo.

Qui in scrutinio eligit indignum, si electio non habet effectum, licet peccet, non tamen priuatur potestate eligendi. Trid. sess. 7. & 24.

172 ## *Cap.* *VIII.* Nulli licere.

Qui eligunt, vel consentiunt electioni, non possunt postea electo opponere contra electionem, nisi de nouo aliquid oriatur, vel nesciuerint præcedentes defectus: quam ignorantiam tenentur iuramento probare.

Glos. Vocatio absentium non est de sententia, & absentes possunt opponere. Item ignorantia eius, qui pendet à conscientia alicuius, probatur per iuramentum eius.

Cap.

173 *Cap. IX.* Siquando.

QVando pars maior duplo eligit vnum,& minor pars alterum, non poteſt minor opponere aliquid, quod extenuet vota maioris, vt quod minor pars ſit maioris auctoritatis, vel zeli, vel quod electus à minori ſit dignior;ſed bene poteſt opponere aliquid, quod votum maioris partis annullet.

Gloſ. Extenuare votum eſt, aliquid opponere voto, quod illud non annullet, ſed minoris reddat auctoritatis. v. g dicere, quod electus à maiori parte ſit ſimplex canonicus, à minori ſit in Dignitate conſtitutus, ſit magis litteratus,&c. Annullare vero votum eſt opponere id quod votum nullum reddat, v. g. dicere, quod electus ſit excommunicatus maiori, vel ab homine ſuſpenſus, vel his ſimilia &c. Item ſi aliquis ex eligentibus erat excommunicatus, ſi ſcienter cum eo communicarunt, non tenet electio, alias ſic, *c. ad probandum, de ſent. & re iudic.*

174 *Cap. X.* Quamuis. *Greg iij.*

CAuſæ electionum epiſcoporum, & ſuperiorum computantur inter maiores ſpectantes ad Sedem Apoſtolicam: ſed, vt deuoluatur ad Sedem Apoſtolicam,debet fieri appellatio in ſcriptis,in quibus ponatur cauſa appellationis, quæ ſit legitima,& non friuola. Item ſi appellans, antequam appellatio præſentetur Sedi Apoſtolicæ renunciat appellationi,iudex à quo appellatum eſt,inquirat, an huiuſmodi renunciatio fuerit ex prauitate; & ſi eam intercesſiſſe reperiat, præfigat terminum, in quo renuncians cum omnibus actis ſe Apoſtolicæ Sedi præſentet.

Gloſ. Appellatio, ſiue iudicialis, ſiue extraiudicialis debet fieri in ſcriptis, niſi cum à diffinitiua, & in continenti appellatur, tunc enim viua voce fieri poteſt, *l. 2. ff. de appellat.* Sed in caſu, de quo textus, ſemper debet fieri in ſcriptis, & exprimi cauſa. Item re integra ſolus appellans poteſt renunciare appellationi, ſed re non integra, non poteſt, niſi altera pars conſentiat, dummodo appellans non vellet ſatisfacere aduerſario de ſuo intereſſe, tunc enim poſſet etiam re non integra. Sed quando appellatio eſt præſentata Papæ, etiam ſi vtraque pars conſentiat, non poteſt ab ea recedi, *cap. ad hæc, de poſtulat.* Item renunciatio dicitur facta ex prauitate, ſi ex aliqua ſimoniaca datione, vel pactione, vel violentia, vel metu facta fuerit, de quo iudex inquirere debet, vt in textu.

Cap.

175 *Cap. XI.* Si forte.

QVando quis opponit contra electum, vel postulatum ad aliquam dignitatem, euidentem defectum scientiæ, vel personæ, & alia impedimenta, prius inquiratur de defectu personæ, aut scientiæ; & si probentur tales defectus, electus declarabitur ineligibilis; si autem non probentur, obijciens condemnabitur in expensis, & punietur, nec debebit admitti ad alias obiectiones probandas.

Glos. Hoc cap. intelligitur solum de eo, qui opponit contra electum ad aliquam dignitatem, non ad simplex beneficium. Item loquitur tex. solum de eo, qui opponit euidentem, seu manifestum defectum scientiæ, seu personæ: qui enim opponeret defectum, sed non euidentem, & non probaret, posset adhuc admitti ad alios defectus probandos, vide *glos. in verbo, euidentem*. Item vnusquisque præsumitur castus, sobrius, pacificus, &c. sed non litteratus, nisi id probetur per examen.

176 *Cap. XII.* Sciant.

QVi præsumpserit grauare personas ecclesiasticas, vel earum consanguineos, vel ecclesias, seu monasteria, vel ipsarum bona, per se, vel per alios, ex eo quod noluerunt eligere illum, pro quo rogabantur, est ipso facto excommunicatus.

Glos. Vsque ad quem gradum dicantur consanguinei, vide infra in *glos. c. postremo, de appell.* Et quia hoc cap. est pœnale, non debet extendi ad affines. Item hoc cap. non comprehendit illum, qui molestaret Patronum laicum, vel eius bona, ex eo, quia noluit præsentare eum, pro quo rogabatur; sed molestans patronum ecclesiasticum comprehenderetur. Item ab hac excommunicatione absoluere possunt Episcopi, quia non est reseruata Papæ.

177 *Cap. XIII.* Generali.

OCcupantes de nouo custodiam, regalia, vel guardiam alicuius ecclesiæ, vel loci pij, & vsurpantes bona ecclesiarum vacantium, & clerici, vel monachi hoc fieri procurantium, sunt ipso facto excommunicati. Item illi, qui vt debent non se opponunt talia facientibus, non possunt pro eo tempore de prouentibus ecclesiæ participare. Item qui ex fundatione beneficiorum, vel antiqua consuetudine, & approbata, sibi vendicant tale ius, non vsurpent per se, vel per ministros ea, quæ non pertinent ad redditus, seu fructus tempore vacationis, sed ipsorum custodiam habeant, & in bono statu conseruent.

Gloſ. Regalia ſunt iura, quæ habet Rex, ſeu Princeps in aliquibus eccleſijs, accipiendi nimirum fructus tempore vacationis. Item Rex habens regalia poteſt cædere ſyluam cæduam, ſi tempore vacationis eſt tempus cędendi, alias non. Item patronus laicus non habet cuſtodiam eccleſiæ vacantis, ſed patronus eccleſiaſticus habet, & poteſt colligere fructus, non ſibi, ſed futuro ſucceſſori. Sed ſi tempore fundationis patronus eccleſiaſticus auctoritate ſuperioris retinuit ſibi ius in fructus, poteſt illos prætendere. Item curans vacante Eccleſia non poteſt colligere fructus non maturos. Item dicitur quis de nouo occupare, ſi citra annum quadrageſimum id faciat. Item fundans, & dotans eccleſiam, poteſt de diœceſani conſenſu imponere illi onus, vt fructus tempore vacationis ſint ſui. Item quando verbum maſculinum, comprehendat etiam femininum, vide *gloſ. in verbo, vniuerſos*. In Canone verbum, maſculinum, comprehendit etiam feminas, niſi eadem, vel alia conſtitutione excipiatur.

Trid. ſeſ. 7 Ref. 3. inf

178 *Cap. XIV.* Licet canon.

NVllus ad regendam parochiam aſſumatur, niſi ſit idoneus moribus, ſcientia, ætate. Prouiſio de parochiali facta non habenti vigintiquinque annos, eſt nulla: & prouiſus tenetur perſonaliter reſidere; poteſt tamen ordinarius diſpenſare ſuper reſidentia ad tempus cum cauſa rationabili. Item infra annum à tempore commiſſi regiminis ordinetur ſacerdos, alias eſt ipſa eccleſia priuatus.

Gloſ. Satis eſt, vt Parochus attingat xxv. annum, non ſic in Epiſcopo, qui debet habere triginta completos. Item poſt adeptam pacificam poſſeſſionem currit annus, vel à tempore, quo per ipſum ſtetit, non accipere poſſeſſionem. Item iſte canon non habet locum in alijs dignitatibus, vt in canonicatu, nec in parochialibus collegiatis; nam in illis valet, *cap. cum in cunctis, eod.* Item Epiſcopus non poteſt diſpenſare in ætate. Item qui non eſt in aliquo ordine maiori, vel minori, non poteſt eligi in Parochum. Item qui cauſa ſtudij eſt diſpenſatus ab epiſcopo, non tenetur vſq; ad ſeptennium promoueri, niſi ad ordinem ſubdiaconatus dumtaxat, ad quem ſub hac pœna infra annum ordinari debet, *cap. cum ex eo, infra eod.* Item mora elapſo anno, per aliquot dies purgari non poteſt. Item nota quod compellitur quis ad ordines per ſubtractionem beneficij. Nam ſi beneficium habet certum ordinem annexum, (dummodo quis poſt adeptum beneficium abſque culpa ſua non inciderit in aliquam irregularitatem) ſi ſit parochiale,

Trid. ſeſ. 7. de Ref. c. 12 & ſeſſ. 22. c. 4 & ſeſ. 24. c. 12.

elapſo

elapso anno, est illo ipso iure priuatus: si non sit parochiale, si monitus non vult promoueri, est illo priuandus, *cap. cum in cunctis*, *§. inferiora, supra eod.* In episcopatu autem non requiritur monitio, sed sufficit negligentia electi per tempus à Canone determinatum, *cap. 1. dist. 100. circa finem*.

179 *Cap. XV.* Nemo.

PArochialis ecclesia non potest commendari, nisi habenti legitimam ætatem, & sacerdoti, & cum euidenti ecclesiæ vtilitate, & vna solum, & per sex menses tantum. Quicquid contra factum fuerit, est irritum.

Glos. Episcopus potest commendare ecclesias suas, etiam iuris patronatus ad sex menses. Papa perpetuo. Item mortuo commendatario non vacat ecclesia:& si quis impetrat, vt vacantem per mortem, gratia est subreptitia, nisi addatur, quocumque alio modo vacet. Item ecclesia Parochialis potest dari in titulum non sacerdoti, sed in commendam non potest. Item commendatarius est custos, seu administrator, non Prælatus: vnde non facit fructus suos, quia non habet ius, nisi gubernandi se, & ministros, & reliquos debet conuertere in vtilitatem ecclesiæ:& hoc dicit *Hostien. in c. dudum, de electione*. Item commendatarius si impetrat ecclesiam, tenetur facere mentionem de commenda, & ad eam vocabitur patronus, & qui interesse habent. An possit post sex menses iterum ab ordinario commendari, vide *glos. in verbo, commendare*. Respondetur affirmatiue, quando nimirum ita postulat vtilitas ecclesiæ, vt interim à superiore commodius prouideatur.

180 *Cap. XVI.* Cupientes.

HÆc Decretalis erat valde vtilis suo tempore, antequam Papa electionem episcopatuum sibi reseruasset. Nam statuit, & confirmat tempora ad expeditionem ecclesiarum vtilia, de quibus *cap. quam sit, supra eod.* Et primo, determinat tempus datum electoribus ad præsentandam electionem electo, ad octo dies, nimirum, quod si octo dies distulerint eam præsentare, ex quo commodè potuerunt, non possint amplius electionem prosequi, & sint beneficijs suspensi per triennium; quo tempore si in illis se intruserint, sint ijs perpetuo priuati. Secundo statuit, quod omnes electi cathedralium, vel regularium ecclesiarum, quorum confirmatio, vel ex immediata subiectione, vel ex appellatione, spectat ad Papam, à die consensus, vel à die habitæ notitiæ de sua electione, & si ipsa non fuit debito tempore præsentata, personaliter iter arri-

piant Romam versus, cum actis, & munimentis ad suam causam prosequendam. Finito mense, siue iter arripuerint, siue non, habebunt tempus arbitrarium, intra quod commode iuxta loci distantiam &c. venire possint. quo elapso, adhuc illis concedatur tempus viginti dierum, intra quod tempus, si personaliter non venerint, iusto impedimento cessante, vel si iustum impedimentum habentes intra idem tempus id proponi non fecerint, vel propositum non probauerint intra quindecim dies ad hoc assignatos; vel si non miserint procuratorem instructum, sunt ipso facto omni iure per electionem acquisito priuati. Item si venerint sine actis, & processibus, hanc pœnam patientur, quod pro ipsis producendis extra curiam nullam habebunt dilationem, nisi ex iusta causa. Deinde statuit de aduentu eligentium, & iubet, quod si electio fuit vna, & in concordia facta, duo ex eligentibus debent venire Romam sufficienter instructi infra idem tempus, expensis bonorum ad electum spectantium, si sint discreta, secus expensis capituli. Si autem plures electiones factæ fuerint, tunc pro qualibet parte mitti debent duæ personæ expensis electorum: vel si vnica fuit electio, & illi aliqui se opposuerunt, personæ pro parte electionis veniant expensis electi, pro parte opponentium, eorundem expensis. Et si electus noluerit has expensas ministrare, dummodo non sit pauper, ipso facto cadat à iure acquisito per electionem. Similiter si opponentes noluerint suas expensas ministrare, priuantur, quo ad se à totali causæ prosecutione, & beneficiorum prouentibus, quæ habent in ipsa ecclesia per triennium: dummodo paucitas opponentium, vel eligentium ipsos excusaret, tunc enim sufficeret mittere procuratorem sufficienter instructum. Quæ dicta sunt de electionibus, intelliguntur etiam de postulationibus, excepto quod postulati non tenentur ad exhibendum consensum, & ministrandas expensas.

Glos. Nomine ecclesiarum hic non intelliguntur hospitalia: quādo enim canones loquuntur de hospitalibus, nomine ecclesiarum illa non comprehendunt, sed separatim nominant, vt *cap. sciant*, & *cap. generali*, *supra eod.* Item qui absque iusto impedimento venit post terminum in tex. assignatum, non potest deinde moram purgare, quia cum hoc caput sit latæ sententiæ, statim elapso termino incurritur pœna. Item qui mittit procoratorem elapso termino, dicendo suam confirmationem non spectare ad Sedem Apostolicam, vel appellationem non fuisse talem, quæ ad eandem Sedem deuolueret causam, est audiendus, quia de hoc non loquitur hoc capitulum. Item, qui mittit nuncium, & nuncius fuerit impeditus, si hoc constet, mora ei non nocet; sicut etiam si non possit habere

infra

infra dies assignatos Papam, vel Auditorem: tunc enim si semel, vel ad maiorem cautelam pluries protestetur per se non stetisse, quin non ageret, mora ei non nocet. Item hæc decretalis non habet locum in opponentibus, quando sunt plures electi, sed Decretalis, *c. statuimus, supra*. Item, quando opponens est episcopus, non tenetur personaliter venire, ne suam derelinquat ecclesiam. Item, si electus obijciat opponenti, quod non venit tempore constituto in hac Decretali, & idem obijciat opponens electo, prius discutiatur de iure opponentis, tanquam præiudiciali, *c. tuam, supra, de ord. cog.* Item in pœnalibus sequentia non trahuntur ad præcedentia, nec è contra, si sic pœna extenderetur. Item processus factus contra eligentes, non nocet electo ignoranti, sed solum nocet scienti, *c. cum olim, supra, de re iud.* Item episcopus postulatus ad ecclesiam sic debet respondere, Nec consentio, nec dissentio, sed in hoc me voluntati Domini Papæ submitto. Item postulatio facta in concordia, si superior illam admittat, dicitur facere gratiam, si non admittat, dicitur facere iniuriam. Qui plura vult, videat Glossam super hoc capitulum.

181 *Cap. XVII.* Fundamenta, *Nicol. iij.*

NVllus Imperator, rex, princeps, marchio, dux, comes, aut baro, vel quicumque alterius notabilis præheminentiæ, potentiæ, vel dignitatis, nec eorum frater, filius, vel nepos, ad tempus, vel in perpetuum eligatur in Vrbis senatorem, capitaneum, patritium, rectorem, seu quocumque alio nomine vocetur, ad Vrbis regimen, absque licentia Sedis Apostolicæ speciali; cæteri si verò eligantur tantum ad annum, alioquin tam ipsi, quàm eligentes, & dantes auxilium, consilium, fauorem, sunt excommunicati excommunicatione reseruata Papæ, & priuantur bonis feudatalibus. Item agitur in principio capituli de baptismo Constantini, & de donatione Vrbis facta Sedi Apostolicæ, & de morte Petri, & Pauli Romæ, & quod Deus elegit Romam pro Sede Apostolica. vide.

182 *Cap. XVIII.* Quanquam.

QVando electores cathedralis ecclesiæ, vel priuati sunt ipso iure potestate eligendi ob electionem scienter indigni, vel debent priuari per sententiam ob non seruatam formam electionis præscriptã à Concilio, electio deuoluitur ad Papã, non ad superiorẽ immediatũ: secus autẽ in inferioribus ecclesijs, vel quando canonici cathedralis fuerũt solũ negligentes in eligendo, tunc enim deuoluitur potestas ad superiorẽ immediatum, *c. ne pro defectu, supra, eod.*

183 Cap. XIX. Is qui. Bonif. viij.

APpellans de electione ad Sedem Apostolicam, si iurat, quod ea quæ in appellatione sunt posita, de ipsis, quę deberent sufficere, esse vera credebat, & se posse probare, non est audiendus, quia non iurat secundum constitutionem Gregorij X. idest omnia credere, & posse probare, sed indeterminate, vel aliqua.

Glos. Idem in postulatione procedit.

184 Cap. XX. Qui contra.

QVi appellat contra certam personam ante electionem, ne eligatur, debet seruare constitutionem Gregorij X. ac si electione iam facta contingeret appellare.

Glos. Secus esset si contra incertam personam appellaretur, puta ne fiat electio, nisi canonica, vt obseruentur priuilegia ecclesiæ in electione, ne eligatur excommunicatus, &c. idem dicendum in postulatione.

185 Cap. XXI. Sicut.

QVando electio fit per scrutinium, vel per compromissum, vnus, nomine omnium dicat, Ego eligo talem, licet aliqui discrepent: aliter electio non valet.

Glos. Hæc Decret. non habet locum in canonijs, & beneficijs, sed solum in electione episcoporum & prælatorum, ob quorum mortem dicantur ecclesiæ viduatæ: in ijs enim sufficit singularis electorum consensus. Item ille vnus, qui dicit eligo talem, vel debet esse, qui habet primā vocē, vel is, cui capitulū commiserit: & si capitulū nemini cōmiserit expresse, vnus ex capitulo eligat vice capituli, & satis est, quia ratihabitio, & taciturnitas mandato comparantur.

186 Cap. XXII. Statutum.

QVando Parochialis est collegiata, electus non tenetur ordinari sacerdos intra annum, quia *c. licet canon*, non extenditur ad istum casum, cum sit pœnalis.

Glos. Vt aliqua ecclesia sit collegiata, non sufficit, vt ibi sint plures clerici inseruientes ecclesiæ, &c. sed debent esse plures, vt collegium: nimirum debet esse rector, vt caput, & canonici, seu beneficiati, vt membra, &c. & de his ecclesijs loquitur text. Item si aliqua ecclesia, quæ prius erat collegiata desinat, auctoritate superioris esse collegiata, non habet amplius locum hæc Decret.

Cap.

187 *Cap. XXIII.* Si cui.

QVando compromissario datur hæc forma, vt facto scrutinio vocum, eligat illum, in quem plures consenserint respectu minorum partium, licet maiorem totius capituli partem non attingant: si ita eligat, electio est nulla, quia non seruatur forma Concilij.

Glos. Nota, ius elegendi prælatum est delegabile. Item hæc Decr. habet locum in electione prælatorum, non autem canonicorum.

188 *Cap. XXIV.* Quorundam.

REligiosi mendicantes etiam de licentia superiorum non consentiant in electionem, seu postulationem, &c. ad aliquam prælaturam extra suum ordinem, in discordia de se facta: nec alij religiosi non mendicantes, præstent consensum electioni cuicumque, de se factæ à minori parte numero. Tri 25 R.6

189 *Cap. XXV.* Vt quis.

QVando fiunt plures electiones de vno, electus non potest ambas electiones prosequi, etiam si protestetur se altera consensum esse, sed vnam eligat, & si ista non habet effectum, non potest habere regressum ad aliam.

190 *Cap. XXVI.* Si electio.

QVando electio non habet effectum, quia electus non consensit, vel postea renunciat, vel moritur, vel propter occultum eius vitium irritatur, electores habent integrum tempus eligendi, ac si esset noua vacatio, dummodo non præcesserit fraus vel dolus.

Glos. An electus post consensum possit renunciare sine authoritate superioris? Res est controuersa: sed respondetur, renunciationem ante confirmationem valere quo ad electum, non autem quo ad superiorem, cum ipsi non possit fieri præiudicium. Item qui allegat fraudem, etiã probare tenetur, puta si diceret canonicos fraudulenter elegisse aliquem, quem sciebant electioni nõ consensurum, vt hac ratione haberent sex mensium tempus ad eligendum, tres nimirum pro prima electione, & tres alios à die dissensus electi in prima electione. Item qui vna die fuerit impeditus de anno prosequẽdæ appellationis, & in alia parte anni fuerit semper diligens, habebit integrum annum ad prosequendam suam appellationem: sed si beneficio restitutionis ei subueniretur, habebit tantum tempus, quantum amisit, *l. ab hostibus. ff. ex. qui. caus. maior. in integr. restit.*

191 *Cap. XXVII.* Si religiosus. *Bonif. viij*

QVando religiosus consentit sine licentia superioris electioni de se factæ extra suum monasterium, consensus est nullus: & si præsumpsit consentire, electio ipso facto est nulla. Item superior sine consensu fratrum potest dare licentiam.

192 *Cap. XXVIII.* Nullus religiosus.

AD Abbatiam, vel Prælaturam suæ, vel alterius religionis non potest eligi Abbas, nisi expresse professus. Ad episcopalem vero dignitatem in ecclesia seculari, vel regulari potest eligi non professus.

Glos. Hoc caput extenditur ad quamlibet prælaturam. Item ad prælaturam non sufficit tacita professio.

193 *Cap. XXIX.* Cum expediat.

CAp. *cum dilectus*, in quo statuitur licite in electione posse compromitti, vt compromissarij secrete, & singillatim voluntatibus omnium requisitis eligant illum, in quem maior, & sanior pars capituli consenserit, non est correctum per. *c. quia propter*.

194 *Cap. XXX.* Cum non deceat.

QVi secundum *cap. cupientes*, in causa electionum veniunt ad Sedem Apostolicam, absentes recipiunt omnes fructus beneficiorum, exceptis quotidianis distributionibus.

Glos. Absentes pro vtilitate ecclesiæ censentur præsentes, & faciunt fructus præbendarum suos, exceptis quotidianis distributionibus. Infirmi faciunt fructus suos, etiam quotidianas distributiones. Item licet de iure communi absentes non accipiant grossos præbendarum, tamen consuetudo vel statutum in contrarium valet. Item cessante negocio, cessat priuilegium. An si esset statutum iuratum, ista Decret. haberet locum? Respondeo negatiue, quia iuramentum illud potest obseruari sine præiudicio animæ.

Trid. s. 24. Ref. c. 12. 195 *Cap. XXXI.* Ab eo qui.

QVi opponunt notorium defectum in personam, vel scientiam electi, non possunt ab eo discedere: & si non probauerint, debent omnino à causæ prosecutione excludi.

196 Cap. XXXII. Ex eo quod..

CAnonicus impubes ante 14. annum si non vocetur ad electionem episcopi,non potest dici contemptus,nec impugnare electionem,quia non admittitur ad suffragium dandum. Item inter regulares, qui non sunt professi interesse non debent cum professis in electione, sicut nec laici conuersi cum clericis.

Glos. Hodie canonici etiam puberes, non habent vocem, si non sunt in sacris. Item si absentes non vocentur,electio valet, sed potest cassari per absentes. Item ad electionem actiuam sufficit tacita professio,ad passiuã requiritur expressa. Item valet hoc caput, etiam in electione inferiorum episcopis. Item loquitur de conuersis,non de professis fratribus. Item potest præscribi, vt conuersi eligant.

196 Cap. XXXIII. Si postquam.

IN ecclesia cathedrali,vel regulari,quando quis appellat canonice ab electione ad Papam, si Ordinarius confirmat electionem, & appellans non recedit ab appellatione,confirmatio est nulla.Item si electus,qui Romã venit, antequam finiat negocium,sine licentia discedit, eius electio est nulla. Item si electus est confirmatus, & appellatur, eodem modo eundum est Romam sicut in electione.

Glos. Quod statutum erat de cathedralium ecclesiarum electione, *c. quamuis, sup. eod.* hic etiam extenditur ad regulares ecclesias,vt nimirũ appellatio in scriptis facta, causa probabili interposita,deuolueret causam ad Sedem Apostolicam,&c. Item quod hic in tex.dicitur,electum,si ante negotium confectum sine licentia Roma discedat, electionem esse nullam, non intelligitur de eo, qui per 20. vel 30. milliaria animi recreandi causa, vel simili,tempore quo non impeditur processus, discederet.

197 Cap. XXXIV. Cum ex eo.

EPiscopi, & eis superiores possunt dispensare cum electis ad parochias,vt accepto subdiaconatus ordine, infra annum per septennium studeant, quibus elapsis, infra annum fiant sacerdotes, nisi legitime fuerint impediti, aliter sunt priuati parochijs: eo tamen tempore prouideant de vicarijs idoneis ecclesiæ, assignata prouisione ex fructibus.

Glos. Solus episcopus beneficij potest dispensare, & non domicilij vel originis. Item si non student,non prodest dispensatio. Item non licet studentibus expensis beneficiorum redire ad statum secularem. Item Prælati episcopis inferiores possunt dispensare super resi-

refidẽtia,fed non in hoc cafu. Item quo ad dandas dimifforias æquiparantur epifcopi originis,domicilij,vel beneficij,fed non in hac difpenfatione. Item cafus circa difpenfationem,vide ibi. Item cum ijs, qui non funt dociles,non eft difpenfandum. Item debent ftudere in ftudio generali,non in villis An in minoribus poffit quis eligi in parochialem ecclefiam fine difpenfatione,& infra annum ordinari, res eft dubia. Sed refpondetur non poffe, quia vt habetur hic in textu, infra annum ab accepta parochia debet fieri fubdiaconus.

198 Cap. XXXV. Commiffa.

NEmo priuatur parochiali ecclefia ex eo,quia nõ eft ordinatus, nifi totus annus fuerit elapfus, & annus incipit poft regimen ecclefiæ,vel pacificam poffeffionem,vel fi per ipfum ftetit,quod eam non accepit. Item fi ex iufto impedimento ordinari non poteft, annus ei non currit: fed fi nullo obftante impedimento infra annum non eft ordinatus, (& fic ecclefia vacat) non poteft idem prouideri de eadem pro illa vice. Item qui non animo retinendi illam ecclefiam accipit, fed vt fructus illius anni lucretur, reftituat fructus,nifi animum mutet: & qui contulit ecclefiam, non credens electum fore ordinandum, feruet ecclefiam indemnem.

Glof. Qui ante ætatem eligitur ex difpenfatione, eft ordinandus eo ordine, quem patitur ætas. Item qui bona intentione accepit ecclefiam,fed ex caufa fuperuenienti non vult ordinari,non tenetur reftituere fructus.Item quando beneficium eft proxime vacaturum, poteft conferri alteri,de confenfu Rectoris,fine renunciatione.Item intelligitur de parochiali non collegiata *cap. ftatutum.* Item ftipulatio pœnalis non committitur ante diem, etiam fi certum fit, non poffe parere: circa poffeffionem pacificam aliqua dubia vide *glof. in verbo, pacificam.*

199 Cap. XXXVI. Si Abbatem.

ABbas exceptus,& immediate Papæ fubiectus, poteft eligi in epifcopum, fed non poteft deferere monafterium fuum, fine licentia Papæ, vel Legati à latere, non vero aliorum legatorum, qui non poffunt confirmare electionem.

Glof. Legatus de latere an poffit extra prouinciam fuam hanc licentiam tribuere,res eft controuerfa,videtur dicendum poffe,dummodo legatio ipfius non fuerit finita. Item Legatus de latere poteft confirmare electiones omnium Prælatorum epifcopo inferiorũ,non poteft autẽ dare licentiam epifcopo poftulato ad alium epifcopatũ, hoc .n. fpeciale habẽt epifcopi,vt nõ poffint eligi,fed folũ poftulari.

Cap.

200 *Cap. XXXVII.* Si compromissarius.

SI compromissarij non eligunt intra tempus statutum. electio deuoluitur ad superiorem: si eligunt indignum, eligendi potestas reuertitur ad compromittentes, nisi ipsi scientes habuerint talem electionem ratam; idem si electus non vult consentire. Itẽ compromissarius eligens indignum, & etiam Canonici si ratum habeant, suspenduntur à beneficijs ecclesiasticis per triennium: non tamen intelligitur de episcopo compromissario, quia de iure episcopus non est suspensus, nisi de ipso fiat expressa mentio. Item pœna priuationis fructuum intelligitur in electione episcoporum, & prælatorum non inferiorũ. Item ista pœna priuationis intelligitur de beneficijs, quæ habent in illa ecclesia quam offendunt, (sicut in casu illius, qui obijt in electione,) & non de alijs beneficijs.

201 *Cap. XXXVIII.* Procurator.

PRocurator ad appellãdum contra electionem, debet in procuratorio habere expressa omnia, quæ obijcit, & speciale mandatum iurandi in eorum animas, quorum est procurator, quod expresse putent, obiecta esse vera, & quod possint probare.

202 *Cap. XXXIX.* Si confirmationem.

CAssata, & irrita confirmatione, ob defectum auctoritatis, vel ob iuris solemnitates non seruatas, non intelligitur cassata electio.

Glos. Principale non sequitur naturam accessorij, licet accessorium sequatur naturam principalis, *l. accessorium, de reg. iur.*

203 *Cap. XL.* Quia sæpe.

QVi in Sede vacante cathedralium, regularium, collegiatarum bona relicta, vel tempore vacationis collecta occupant, dissipant, consumunt, &c. sunt suspensi ab officijs, & beneficijs, donec integre restituant, non obstantibus consuetudinibus, statutis etiam iuratis, & à Sede Apostolica confirmatis.

Glos. Lex tollens statutum, non tollit pacta, & priuilegia, nisi de his mentionem faciat. Item qui Sede vacante dissipant bona ecclesiæ, & sunt suspensi non solum à beneficijs, quæ habent in illa ecclesia, quorum bona dissipauerunt, sed etiam ab omnibus, quia in textu dicitur, ab officio, & beneficio: qui enim suspenditur ab officio, intelligitur suspensus ab omnibus beneficijs, *can. eos, dist.* 81. *c. ministratores, de cler. excomm.*

Cap.

204 *Cap. XLI.* Constitutio.

DEcretalis *Vt circa*, qua præscribitur forma seruanda in appellatione ab opponentibus se electionibus, postulationibus, & prouisionibus, habet locum, quando appellatur extra iudicium, non quando in iudicio.

Glos. In iudicio non est ita facile committere fraudes, sicut extra iudicium: ideo non est necessarium seruare formam illam rigorosam appellationis, quæ statuitur in *cap. vt circa*. In iudicio enim sufficit, si appellatur ab interlocutoria, exprimere grauamen; si à diffinitiua, dicere se appellare ab iniqua sententia.

205 *Cap. XLII.* Is cui.

QVi habet plenam administrationem ecclesiæ cathedralis à Sede Apost. potest omnia, quæ sunt iurisdictionis, excepta alienatione bonorũ immobiliũ, & non põt, quæ sunt ordinis, nisi fuerit Episc.

Glos. Potest facere dimissorias. Itẽ donare non potest, nisi sit cõsuetudo, & modica. Itẽ hæc administratio mortuo Papa non expirat.

206 *Cap. XLIII.* Indemnitatibus.

MOnialis non eligat, nisi agat annum IV. & sit professa tacite, vel expresse: non eligatur in Abbatissam, nisi trigesimum annum compleuerit, & sit expresse professa.

Glos. Minor 30. annis eligi non potest, sed bene posset postulari, sicut in Episcopo accidit, *c. innotuit, eod.* Item eligens sufficit quod sit tacite professa, quod fit, cum maior sciens, sumit habitum professorum infra annum, & triduo perseuerat, vel cũ stat in religione vltra annum. Et hoc est verum in religionibus nõ mendicantibus, *c. ad nostram, & cap. ex parte, de reg. c. constitutionem, infra eodem tit.* Item fiat collatio numeri ad numerum tantum, non meriti ad meritum, nec zeli ad zelum. Item per hanc constitutionem non prohibetur, quin moniales non possint electum, & benedictum denunciare, vel accusare, vt deponatur.

§. Sane. Electa per scrutinium à duabus partibus monialium, debet statim præmisso diligenti examine, à superiore cõfirmari, nulla appellatione obstante, & benedici, si sit Abbatissa. Quando vero publicato scrutinio nulla fuerit à duabus partibus electa, poterunt moniales, antequam ad alios actus diuertant, ad illam accedere, quæ maiorem partem habebat: & si addito hoc accessu ad duas partes perueniat, est confirmanda. Si vero moniales noluerint ad illam accedere, vel si accedant, non perue-

perueniant cum alijs in illam consentientibus ad duas partes, tunc superior sine strepitu iudicij, antequam illam confirmet, inquirat de obiectis, & interim poterit electa in spiritualibus, & temporalibus ministrare, ita tamen, vt nihil alienet, & nullam de nouo recipiat in monialem.

Glos. Electio facta à minori parte, vel à media monialium, etiam si alieni accedant, est nulla: & hoc in quacunque electione verum est, quia per accessum non potest ratificari, quod in suo principio fuit nullum.

§. Cæterum, & §. Porro. Si contra electam per compromissum, pars minor monialiũ se opponat, adhuc confirmetur: si maior, non confirmetur, donec fuerit obiectis satisfactum, interim tamen administret; si vero pars opponentium fuerit duplo maior, non administret; sed litis euentum expectet. Item ab opponentibus, in casibus præmissis obseruetur constitutio, *cap. vt vice*. Non tenentur tamen personaliter venire Romam, sed mittant procuratores.

Glos. Idem obseruandum est, si Abbatissa eligeretur per formam *cap. cum dilectus.* Licet enim sit mixta, magis accedit ad formam compromissi, & actus mixtus denominandus est ab actu simplici, quem magis intendit agens. Item licet in multis casibus forma scrutinij, & compromissi æquiparentur, quos vide in *glos. in verbo, litis euentum*; tamen in hoc differunt, quod electus per compromissum, licet contra illum duplo maior pars opponat; potest tamen, postquam obiectis satisfecit confirmari, electis tamen per scrutinium à minori parte non potest. Ratio est, quia in electum per compromissum videntur omnes tacitè consensisse, quando compromiserunt, non sic in scrutinio.

§. Postremo, & reliqui. Ponentes, vel nutrientes discordiam in electione Abbatissæ Monialium, sunt excommunicati. Item hoc decretum valet in monialibus regularibus, & in his quæ viuunt, vt canonici seculares: quarum tamen statum per hoc non approbat, & non loquitur de electione virorum.

Glos. Decem sunt specialia in hac Decretali, circa electionem, quam vide in *glos. in verbo, an multis. & in additione.*

207 *Cap. XLIV.* Prouida. *Bonif. viij.*

QVando quis, in electione episcopi, vel superiorum appellauit ad Papam, & deinde recessit ab appellatione simoniace, sed procedit, confirmat, vel consecrat; tunc omnia prædicta

sunt

sunt irrita, & ipse ordinarius est suspensus per annum integrum à confirmatione, & consecratione Episcoporum.

Glos. Per hoc tamen non vitiatur electio, sed petetur confirmatio de nouo: non debebit autem si erat consecratus, de nouo consecrari, quia quod dicitur in textu, consecrationem esse nullam, intelligitur, quo ad executionem tantum.

208 *Cap. XLV.* Si eo tempore.

QVando Papa reseruat sibi electionem inhibens, electionem irritans, &c. quæ præcesserunt reseruationem, tenent; quæ sequuntur, non tenent.

Glos. An sola reseruatio absque inhibitione afficiat ignorantes, vide *glos. in verbo, prouisionem*, & *in additione*. Item si reseruatio, & electio fuissent facta eadem die, si constaret de hora, & reseruatio esset posterior, electio teneret, secus non: si vero de hora non constaret, Papa debet determinare. Si vero Papa reseruasset, & contulisset beneficium, sine dubio prouisus à Papa præualeret.

209 *Cap. XLVI.* Si quis.

ABsens in casu electionis si legitime impeditur, potest plures procuratores constituere, sed insolidum tantum, & tunc erit melior conditio occupantis: sed si simul concurrant, capitulum, vel maior pars eligat vnum ex procuratoribus: & si non concordant, qui primo nominatur in instrumento: & si nullus nominatur insolidum, nullus est admittendus, & illi imputetur. Item constitutus procurator non potest in scrutinio nominare vnam personam suo nomine, & alteram nomine domini sui, nisi dominus dedisset speciale mandatum de certa persona, & illam tantum potest nominare. Itē absens, si nullus de capitulo vult esse eius procurator, & ipse non potest extraneum deputare sine consensu capituli, non potest per litteras exprimere votum suum, quia non esset secretum.

Glos. Qui est impeditus, debet dare speciale mandatum procuratori ad iurandum in animam suam, quod vere sit taliter, vel taliter impeditus. Item plura, quæ potest, vel non potest facere procurator, vide fuse in glos.

210 *Cap. XLVII.* Quoniam.

ELectus quando adsunt competitores, vel opponentes, non confirmetur, nisi fiant publice edicta, quod volentes opponere, veniant peremptorio termino assignato, articuli confirmatio est irrita.

Glos.

Glos. Iudex non debet esse festinus. Item actus dicitur repentinus, qui fit sine citatione, & cognitione requisita.

CLEMENTIN. LIB. I.

DE ELECTIONE, electiq. potestate. Tit. III.

211 *Cap. I.* Cum ratione.

Religiosus non eligatur in Abbatem, vel prælatum alterius religionis, vel habitus, & si contra fiat, electio est nulla; potest eligi in prælatum ecclesiæ secularis, vel regularis.

Glos. Nec etiam monialis alterius religionis potest eligi in Abbatissam, ex constitutione huius Capituli, quia masculinum comprehendit etiam femininum. Item diuersitas coloris non facit diuersitatem habituum, si alioquin sub eodem viuant instituto: videmus enim aliquas religiones in vna Prouincia deferre habitum vnius coloris, in alia alium. Item religiosus vnius ordinis, licet non possit eligi in Abbatem monasterij alterius ordinis, potest tamen postulari ex causa.

212 *Cap. II.* Ne Romani.

Coetus Romanorum circa electionem Romani Pontificis nihil potest innouare præter id, quod est in Bulla Gregorij X. & si quid aliud attentauerit, sit irritum. Item officium Camerarij, & Pœnitentiariorum durat post mortem Papæ, & si quis horum moritur, potest cœtus Cardinalium alios subrogare ad tempus. Item eligendus est Papa in districtu vbi moritur, idest in diœcesi, & in particulari vbi audientia causarum manebat, nisi ante mortem Papa de transferenda curia ordinasset. Itē si Cardinales exiuerint de conclaui non creato Papa, executores constitutionis Gregorij X. illos compellant intrare, & sub pœna prosequi, &c. Item Cardinales non possunt expelli ab electione Papæ prætextu excomunicationis, suspensionis, vel interdicti. Item electi, vel alij, qui sunt adstricti venire, vel mittere ad Sedem Apostolicam, teneantur venire, vel mittere, dum vacat, ac si non vacaret.

213 *Cap. III.* Causam electionis.

Sess.24.c.20 CAusa electionis, postulationis, seu prouisionis, non intelligitur deuoluta ad Sedem Apostolicam, nisi infra mensem, vel post mensem, quam citò commode fieri potest. Itē sit appellatio interposita, in pręsētia appellati, vel procuratoris specialiter ad id electi, porrigendo, vel legendo ex scriptura auctentica libellum. Item si appellatus, & procurator non inueniuntur, affigatur in domo, vbi consueuit habitare, vel si est remota, in ecclesia cathedrali ciuitatis, vel diœcesis, vbi est beneficium; & semper publicetur in ecclesia, vel beneficio, & detur copia appellato petenti. Item si propter potentiam, vel metum appellanti, vel suorum, intimatio fieri non possit, publicetur solemniter in loco publico, & tunc intelligatur deuoluta ad Papam, aliter non, nec intimatio habet vim. Item idem est seruandum in alijs casibus, in quibus requiritur intimatio.

214 *Cap. IV.* Constitutionem vt circa.

COnstitutio, vt circa, non habet locum, quando quæ opponuntur, directe respiciunt ius ecclesiæ, vel opponentis personæ, sed quando per competitorem, vel oppositorem opponuntur defectus vel crimina, in formam, vel personas: & in hoc casu si omittit specificationem circumstantiarum, non est amplius audiendus, etiam si sciret de nouo illas accepisse. Item si aliquis alius habet interesse proprium contra appellatum, potest illud prosequi, sed non debet admitti pro interesse cōmuni contra appellatum, nō seruata forma circa eosdem articulos, licet possit appellanti assistere. Item appellans quando potest agere per viam simplicis querelæ, vide ibi. Item ommissio formæ Decretalis, licet repellat appellantes, tamen non infirmat probationem factam super his per confessionē aduersarij.

215 *Cap. V.* In plerisque.

NVllus sine speciali facultate Papæ potest prouidere ecclesiæ sibi subiectæ de pastore, quæ clero caret, & populo christiano. Item nullus religiosus licentietur à superiore ad similem episcopatum: & si licentiatus consenserit, & se in episcopum fecerit consecrari, non recipiatur in episcopali honore, & in pœnam maneat subditus in sua religione, nec ascendat ad aliquem gradum,
Sess.14.c.2 vel dignitatem eiusdem religionis. Item nihil coarctat, vel limitat circa prouisionem aliarum ecclesiarum, idest habentium clerum & populum, cathedralium, vel non cathedralium.

Glos. In episcopis opprobriosa est mendicitas, & episcopus debet

bet habere facultates, sine quibus spiritualia diu esse non possunt. An si ecclesia habeat clerum tantum, prohibeatur quis eligi in episcopum illius, in hoc cap. videtur non, quia dicit, careat clero, & subditis, ergo vtroque. Sed videtur affirmatiue respondendum, quia idem est, ac si diceret, non eligatur in ecclesiam, nisi habeat clerum & subditos.

216 *Cap. VI.* Quod circa.

DEclarat *cap. quorumdam, in 6.* quod est constitutio Bonifacij I. quando dicitur in constitutione, quod electio facta de religioso pro dignitate, est facienda ab omnibus: & explicat, vt intelligatur ab omnibus de facto, & non ex fictione iuris, v. g. quia, qui non consenserunt, sunt excomunicati.

217 *Cap. VII.* Statutum.

CAp. *quia sæpe, in 6.* quod bona sedis vacantis non occupentur, extenditur ad emolumēta quæ proueniunt ex iurisdictione, & sigillo curiæ ecclesiasticæ vel secularis, & ad omnia quæ spectarent ad prælatum sede non vacante; nec obstat consuetudo contraria: deductis tamen rationabilibus expensis. Item hæc constitutio non loquitur de personis singularibus, ad quas deuoluitur iurisdictio, cum emolumentis ratione dignitatis, quam habent in sede vacante, de consuetudine, priuilegio, vel iure speciali.

218 *Cap. VIII.* Cum concessa.

COncessio licentiæ generalis datæ religioso à suo superiore, vt possit consentire electioni, vel prouisioni, si quam de ipso fieri contigerit, non valet.

EXTRAVAG. IOAN. XXII.

DE ELECTIONE, electiq. potestate. Tit. I.

219 *Cap. I.* Cum ad onus.

ELecti, qui Romam venire, vel mittere tenentur, si personaliter se præsentarunt, & fecerunt quod de iure debebant, si deinde sede vacāte alibi morentur, nullū eis fit præiudiciū.

Glos. Hoc etiam intelligitur de prouisis: Sede vacante dicitur esse Sedes Apostolica, vbi mortuus est Papa.

220 *Cap. II.* Suscepti.

QVando est consuetudo priuilegium, vel statutum in aliqua Ecclesia, vt beneficio vacante debeantur fructus alicui, puta fabricæ, vel personæ habenti annalia per aliquod tempus: si consueuerunt taxari decimæ, accipiant illas decimas solum, & nouus beneficiarius reliquum, vel vice versa, cuius rei optio datur annalium collectori: & si infra decem dies non elegerint, optio defertur ad beneficiatum. si non consueuit, diuidantur fructus per dimidiam partem, & si aliquis non est contentus, qui acquiescit, accipiat totum cum onere expensarum. Qui vero prædictis non fuerit contentus, sed voluerit vltra debitam sibi partem accipere, si infra mensem non restituerit, si est superior, aut episcopus, ipso facto à Pontificalibus, & ingressu Ecclesiæ est suspensus: si Capitulum, vniuersitas, vel Collegium, eo ipso interdicto, donec plenè satisfaciat, subiacet: si sit particularis persona, excommunicationis sententiam Papæ reseruatam, ipso facto incurrit.

EXTRAV. COMMVN.

DE ELECTIONE. Tit. I.

221 *Cap. I.* Iniunctæ. *Bonif. viij.*

EPiscopi, & alij prælati superiores. Item abbates, priores, & exercentes regimina monasteriorum, qui à Sede Apostolica promouentur, confirmantur, consecrantur, benedicuntur, non præsumant ire ad ecclesias, & administrare bona ecclesiastica, sine litteris Apostolicis: si secus præsumpserint, quicquid actum fuerit, interim est irritum, & non possunt percipere fructus: capitulares vero ipsos recipientes, vel eis obedientes sine prædictis litteris, sunt suspensi à suis beneficijs. Idem dicendum de Episcopis, & alijs prælatis, qui non præstant solitum iuramentum fidelitatis, & obedientiæ. Idem de his, qui accepto pallio, sine litteris discedunt. Item clerici sine litteris ordinarijs non sunt admittendi ad ordinem, vel vsum, nec monachi.

Cap.

222 Cap. II. Si Religiosus. *Benedictus ij.*

Religiosus electus si ipse, vel electores intra certum tempus, non obtineant licentiam consentiendi, perdit ius, & electores possunt alium eligere, & est ipso facto electus priuatus omni iure, quod sibi ex tali electione competebat.

223 Cap. III. Sancta.

In quatuor Patriarchalibus, scilicet Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochæna, Hierosolymitana ecclesijs, quamdiu sunt sub potestate infidelium, non procedatur ad electionem inconsulto Papa: alias irrita est electio.

224 Cap. IV. Ex debito.

Episcopales, & superiores sedes monasteria, & regulares ecclesiæ, prioratus, officia, administrationes, dignitates, personatus, præbendæ, aliaque ecclesiastica beneficia cum cura, vel sine cura, in Romana curia vacantia, sunt reseruata Sedi Apostolicæ. Hoc autem intelligitur, siue prædicta beneficia vacauerint per mortem, siue per depositionem, priuationem, electionum cassationem, postulationum repulsionem, renunciationem, prouisionem, translationem, siue quocumque alio modo. Item ecclesiæ, monasteria, beneficiaque Cardinalium, etiam si alibi moriantur, intelliguntur apud curiam vacare. Idem procedit in dignitatibus, siue beneficijs officialium Papæ, puta Vicecancellarij, Camerarij, Notariorum Auditoris contradictarum, correctorum, scriptorum, litterarum, ac pœnitentiariorum, abbreuiatorum, capellanorum, commensalium, & similium, si decedant extra curiam, in aliqua legatione, vel negotio Sedis Apostolicæ. Nomine autem beneficiorum non comprehenduntur pensiones, illæ enim libere reuerti debent ijs, ad quos earum dispositio pertinet, nisi vel canonicum impedimentum obstiterit, vel aliter Papa disposuerit.

DECRETALIVM LIBER I.

DE TRANSLATIONE Episcopi. Tit. VII.

225 *Cap. I.* Cum ex illo. *Innoc. iij.*



Atriarcha non potest transferre Archiepiscopum ad episcopatum, sub pœna suspensionis ab episcoporum confirmatione, solus enim Papa potest.

Glos. Nota quod Archiepiscopus potest suos suffraganeos confirmare. Item licet non sit consecratus, potest tamen mandare suffraganeis suis, vt electum consecrent. Item, quæ solus Papa facere potest, his versibus comprehenduntur.

Restituit Papa solus, deponit & ipse.
Diuidit, ac venit, eximit, atque probat.
Articulos soluit, Synodumque facit generalem.
Transfert, & mutat, appellat nullus ab illo.

226 *Cap. II.* Inter corporalia.

TRanslatio, depositio, cassatio ab episcopatu, spectant ad solum Papam de iure diuino potius quam canonico. Idem dicendum est de electo, & confirmato, licet non fuerit consecratus: non potest enim deijci ab ecclesia per metropolitanum, nisi in casu quo post sex menses, à die confirmationis, sua negligentia non fuerit consecratus: tunc enim deijci potest à metropolitano, non tamen ad aliam ecclesiam transferri, quia illud est concessum à Papa, Archiepiscopis, hoc vero non. Qui contra faciunt, suspenduntur à consecratione, & confirmatione Pontificum: episcopi ab executione pontificalium; deinde, quia non ex malignitate, sed ex simplicitate peccarunt, datur eis venia.

Glos. Ecclesia quæ habet episcopum inutilem, dicitur viduata. Item pœna non debet trahi ad gratiam. Item quod non est expressum, aliquando intelligitur prohibitum.

227 *Cap. III.* Quanto.

PApa solus, qui vicem veri Dei gerit in terris, potest auctoritate diuina transferre episcopum ab ecclesia ad ecclesiam; vnde si episcopus auctoritate propria se transfert, vtraque est priuatus.

Item

Item canonici,qui illum recipiunt,priuantur electione pro illa vice.

228 *Cap. IV.* Licet.

DIcit idem, quod supra: & addit,quod episcopus, cui indulgetur, vt possit transire ad maiorem dignitatem, non potest transire ad æqualem. Item postulatio eadem diligentia est examinanda, sicut electio, an sit contra canones.

Glos. Facilius dispensatur cum aliquo, vt ad maiorem dignitatem transeat, quam ad æqualem, vel minorem: quia, ibi maior vtilitas, & gradatim conferri debent honores.

DECRETALIVM LIBER I.

DE AVCTORITATE, & vsu pallij. Tit. VIII.

229 *Cap. I.* Cum super. *Clem. iij.*

ARCHIEPISCOPVS potest vti pallio intra quamlibet ecclesiam prouinciæ sibi commissæ, non tamen extra ecclesiam: vnde in processione extra ecclesiam illo vti non posset.

230 *Cap. II.* Ad hoc.

ARchiepiscopus non potest alteri archiepiscopo pallium commodare, quia pallium personam non transit, & cum eodem debet sepeliri.

Glos. Nemo potest vti pallio extra prouinciam sine licentia illius, cuius est parochia, etiam si priuilegium habeat. Item quæ inhærent personis, cum personis extinguuntur. Item ornamenta & annuli prohibentur cum cadaueribus presbyterorum sepeliri, ne effodiantur.

231 *Cap. III.* Nisi specialis. *Innoc. iij.*

PLenitudo potestatis,& nomen archiepiscopi in susceptione pallij sumuntur. Item Cardinalis legatus non potest dare licentiam episcopis transeundi ad alias ecclesias. Item Papa debet tueri potius dignitatem sedis Apostolicæ,quam priuatam alicuius.

232 *Cap. IV.* Ad honorem.

ROmanus pontifex solus vtitur pallio, semper & vbique, quia habet plenitudinem potestatis; alij non, nisi in ecclesia, in qua habent iurisdictionem ecclesiasticam, & certis diebus.

Glos. Isti dies sunt expressi in priuilegijs illius ecclesiæ. Regulariter autem. sunt Natiuitas Domini, festum sancti Ioannis, & sancti Stephani, Circumcisio, Epiphania, dies Palmarum, cœna Domini, sabbatum sanctum, tres dies Resurrectionis, Pentecostes, Festum sancti Ioannis Baptistæ, & omnium Apostolorum, tres festiuitates beatæ Mariæ, commemoratio omnium Sanctorum, dedicatio ecclesiæ, & festiuitates illius principales, dies ordinationis clericorum, vel consecrationis episcopi, anniuersarium consecrationis Archiepiscopi, &c.

233 *Cap. V.* Ex tuarum.

COnsuetudo non potest facere, vt extra suam diœcesim, quis vtatur pallio, nisi de licentia Papæ, & de consensu ordinariorū.

Glos. Pallium pro parte est beneficium personale, quia cum persona sepelitur; partim est locale, quia non transfertur cum personæ ad alium episcopatum.

234 *Cap. VI.* Cum sis. *Honor. iij.*

ARchiepiscopus vbique in sua diœcesi solemniter celebrans, potest vti pallio.

235 *Cap. VII.* Quia nos.

LIcitum est Archiepiscopo celebrare sine pallio, & sandalijs, exceptis diebus priuilegiatis.

EXTRAV. COMM. LIB. I.

DE AVCTORITATE, & vsu pallij.

Cap. Malitijs.

TRaditio pallij non impeditur ob crimen obiectum, vel defectum, nisi obijciens præstet iuramentum de obiecto, ad pœnam talionis, intra duos menses probando.

DE-

DECRETALIVM LIBER I.

DE RENVNCIATIONE.
Tit. IX.

236 *Cap. I.* Litteras.

EPISCOPVS licet sit senex, & se insufficientem consideret, si tamen est vtilis ecclesiæ, non datur ei licentia cedendi ecclesiam personæ incognitæ; satius enim est sub vmbra sui nominis gubernari.

237 *Cap. II.* Cum inter.

QVi renunciat beneficio, iurando non repetiturum, si deinde authoritate Papæ eligitur à maiori parte, potest beneficium retinere, quia iuramentum non impedit.

Glos. Iuramentum non extenditur ad prohibita iurari. Item ius semel amissum non renascitur; ideo authoritate Apostolica fuit electus. Item iurauit non repetere, sed non iurauit non recipere si eligatur. Item iuramentum non extenditur ad non cogitata. Item agebatur nouo iure post iuramentum.

238 *Cap. III.* Ex transmisso.

QVi renunciauit suo beneficio, vel iuri saltem tacite, repetendo, quæ ecclesiæ contulerat, non potest illud repetere, possunt tamen illum canonici recipere, non tanquam vnum de ecclesia, sed tanquam de nouo.

Glos. Actio semel extincta nunquam reuiuiscit.

239 *Cap. IV.* Admonet.

BEneficiatus non potest renunciare beneficio, sine licentia sui episcopi.

Glos. Si admoniti non redeunt, sunt excommunicandi, possunt tamen transire ad religionem. Item si Clericus eligatur ad aliam ecclesiam, debet petere licentiam à suo Episcopo: & si ille malitiose denegaret, compelleretur per superiorem.

240 *Cap. V.* Super hoc. *Clem. iij.*

PEtenti beneficium, ſuper quo fuit canonice inſtitutus, exceptio de ſpontanea abiuratione, etiam non aſſignando cauſam renunciationis, eſt admittenda, & teſtes recipiendi circa ſpontaneam renunciationem, & iudex poteſt inquirere cauſam renunciationis: licet non teneatur. quam ſi inuenerit probabilem, imponat ſilentium, niſi actor replicet. Item qui negat ſe ſpontanee renunciaſſe, licet videatur negatiuam aſſerere, ac proinde non poſſe illam probare, tamen inuoluit affirmatiuam, ideo illius probationes admittendæ.

Gloſ. Renunciatio facta per vim non tenet, per metum tenet, ſed datur illi actio prætoria, quia coacta voluntas, eſt voluntas. Item non ſolum numerus, ſed etiam teſtium dignitas eſt conſideranda.

241 *Cap. VI.* In præſentia.

QVando quis ſponte renunciat electioni de ſe factæ, non eſt amplius audiendus ſuper eadem electione.

Gloſ. Nota, Iudex non ſemper ex vna probatione, ſed ex varijs, quæ in eius præſentia fiunt, debet deliberare: & ſemper præſumitur pro ſententia, dum in contrarium aliud non conſtat. Item litteris epiſcoporum creditur in præiudicium alterius. Item victor non tenetur probare cauſam ſententiæ.

242 *Cap. VII.* Sane. *Cæleſtin. iij.*

LIcet qui reſtituit inſtrumenta ſui iuris, renunciet iuri ſuo, quod ſibi ex litteris competebat, poteſt tamen qui eſt deceptus, implorare officium iudicis, quando deficit actio. ſed in caſu textus reſtituendo litteras, non renunciauit facto legati ſedis Apoſtolicæ, ideſt inſtitutioni, ideo fuit auditus.

243 *Cap. VIII.* Quod in dubijs. *Innoc. iij.*

QVando quis renunciat beneficium eccleſiaſticum in manu laici, & à laico iterum accipit illud, renunciatio fuit nulla, ipſe tamen eſt priuandus beneficio.

Gloſ. Et laici excommunicandi, & clericus ineligibilis fit.

244 *Cap. IX.* Ad ſupplicationem.

PApa ſolet concedere epiſcopis, vt cedant eccleſijs, quando adeſt periculum mortis, vel aeris intemperies, vel ob inimicitiam.

Gloſ.

Glos. Clerici qui consentiunt electioni de se factæ per secularis potestatis abusum, ineligibiles efficiuntur, *c. quisquis, supra de elect.* non tamen sunt ipso iure clerici suspensi, & laici excommunicati, sed laici sunt excommunicandi, & clerici qui recipiunt beneficia, suspendendi.

245 *Cap.. X.* Nisi cum pridem.

POnuntur sex causæ, ob quas episcopus cedendi licentiam potest postulare: Conscientia criminis, debilitas corporis, defectus scientiæ, malitia plebis, graue scandalum, irregularitas personæ. Non sufficit autem quælibet conscientia criminis, sed illius dumtaxat, propter quod etiam per acta pœnitentiæ, exequutio officij impeditur. Nec sufficit quæcumque debilitas corporis, sed illa solum quæ impotentem reddit ad officium pastorale. Defectus quoque scientiæ debet esse talis, vt nesciat ecclesiam salubriter regere: alioquin imperfectum scientiæ potest supplere perfectum charitatis. Malitia plebis non sufficit quæcunque, sed solum illa per quam non solum non obediunt, verum irreuocabiliter contradicunt. Scandalum etiam non quodcumque sufficit, sed debet esse graue, & quod aliter sedari non possit, nisi petendo cessionem. Denique non propter quamlibet irregularitatem personæ debet cedendi licentia dari, vtpote si de legitimo matrimonio non sit natus: quia cum eo, qui laudabiliter suum officium impleuit, iniuncta pœnitentia dispensari debet. Irregularitas vero, ob quam contraxit bigamiam, est sufficiens causa petendi licentiam, cum dicat Apostolus, Oportet episcopum esse vnius vxoris virum. Item non sufficiunt ad cedendum angustiæ laboris, vel incursus persecutionis: & qui dicit quod spiritu Dei agitur ad relinquendam ecclesiam, errat: quia agit contra spiritum Dei, & sic non agitur à Deo. sicut etiam qui dicit se inspirari à Deo ob patentem causam; immo charitas est, persistere in episcopatu, etiam si pauci proficiant. Quare facilius dispensatur, cum monacho, vt fiat episcopus, quam cum episcopo, vt fiat monachus.

Glos. Istæ sex causæ, propter quas episcopus potest petere licentiam cedendi, enumeratæ in capitulo, memoriæ causa comprehenduntur his versiculis,

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

Item an episcopus possit aliquando cedere sine licentia Papæ. vide *glos. in verbo, sed dumtaxat.* Item pro criminibus, quæ per acta pœnitentiæ impediunt exequutionem ordinis, aut beneficij re-

retentionem, tenetur episcopus petere licentiam cedendi, pro alijs vero non.

246 *Cap. XI.* Post translationem.

EPiscopus si fiat monachus, non potest amplius in episcopum eligi, nisi in his casibus: nimirum quando cessit propter magnam persecutionem: secundo, propter inualetudinem corporis, cum auctoritate tamen Papæ: tertio, si cessit propter ignorantiam, sed in monasterio deinde didicit: tunc enim potest iterum reassumi: quarto, si propter simoniam parentum, ipso inscio, fiat episcopus, mox regularis potest reassumi ad alium episcopatum. Concilium autem Constantinopolitanum, vnum ex quatuor principalibus, dum decernit episcopum monachum factum, non posse reassumi ad episcopatum, intelligitur quando episcopus propter aliquod crimen ad vitam monasticam descendit.

Glos. Cum simonia scienter contracta solus Papa dispensare potest, sed cum simonia commissa ignorante illo, cui acquisitum est beneficium, possunt episcopi dispensare, post liberam resignationem talis beneficij. Imo si resignauit sponte, vel beneficium, vel dignitatem, potest ad illud reassumi. Si vero iudicialiter ipsius electio, tanquam simoniaca fuerit reprobata, non possunt pro illa vice dispensare, alias sic, *cap. si alicuius, supra, de elect.*

247 *Cap. XII.* Quidam.

PEtentes licentiam cedendi, ea obtenta sunt compellendi ad cedendum.

248 *Cap. XIII.* Veniens. *Honor. iij.*

QVi habens litteras apostolicas v. gr. contra capitulum, committit se gratiæ capituli, vel aduersarij, non dicitur renunciasse iuri suo sibi competenti ex litteris, secus si renunciasset litteris impetratis.

Glos. Nota, quod cum aliquis statuit terminum suæ appellationis, vtraque pars appellationis causam prosequi debet, per sufficientem procuratorem ad totam causam. Item iudex post terminum peremptorium non debet statim procedere. Item per litteras exequutorias acquiritur tantum ius, vt impetrans possit implorare officium exequutorium ad exequendas litteras Apostolicas.

Cap.

249 *Cap. XIV.* Lectæ coram.

PRælatus qui eximit subditos à sui obedientia, non propterea intelligitur renunciare prælaturæ, nisi illam vere resignauerit.

Glos. Voluntas resignandi non sufficit vbi opus est facto. Item re integra licitum est pœnitere.

250 *Cap. XV.* Dilecti filij. *Greg. ix.*

ABbas exemptus, idest immediate pertinens ad Romanum Pontificem, non potest renunciare sine licentia Papæ: & si renunciauerit etiam sequuta resignatione in manu alicuius Prælati, renunciatio, & resignatio sunt nullæ.

Glos. Resignatio debet fieri in manibus illius, ad quem pertinet confirmatio. Item qui non ita renunciauit, sed in manu alterius, licet renunciatio non teneat, compelletur tamen deinde cedere in manu sui Prælati.

IN SEXTO LIBER I.

DE RENVNCIATIONE. Tit. VII.

251 *Cap. I.* Quoniam. *Bonif. viij.*

ROmanus Pontifex potest Pontificatum renunciare, vt fecit Cælestinus, præsertim cum se videt impotentem ad regimen.

Glos. Licet renunciatio debeat fieri in manibus superioris, Papa tamen cum illum non habeat, non debet ita renunciare. Item si renunciaret, vacaret Papatus, & Cardinales eligerent aliũ. Item Papa insufficiens non posset deponi, sed hæreticus posset, *cap. si Papa, distin.* 40. Item superior potest cogere volentem resignare, vt resideat, nisi adsit iusta causa resignandi.

252 *Cap. II.* Si te præbendam. Hodie cõcil. Trid. s. 24. de ref. c. 19. oĩno sustulit has expectatiuas ad primo vacatura.

QVi auctoritate Apostolica expectat in aliqua ecclesia dignitatem, vel præbendam primo vacaturam, & aliquis in fraudem, ne expectans consequatur pinguiorem præbendam verisimiliter in proximo vacaturam, renunciat suæ præbendæ tenui; expectans, relicta tenui renunciata, potest expectare pinguio-

guiorem primo vacaturam. Item qui renunciauit tenui, si consequatur pinguiorem, carebit vtraque, quia intelligitur fraus eo ipso probata.

Glos. Quod hic dicitur de vacatione per renunciationem, intelligi etiam debet de quacunque vacatione fraudulenta, puta, si occideretur, vel deponeretur habens tenuem præbendam, vt præcluderetur expectanti via ad pinguem. Item dolus probatur ex perspicuis coniecturis. Item si expectans vult scienter tenuem, non dicitur illi facta fraus.

CLEMENTIN. LIB. I.

DE RENVNCIATIONE. Titulus IV.

253 *Cap.* Cum illusio.

RENunciatio dignitatis, vel beneficij, potest fieri per procuratorem ad hoc constitutum. & si procurator reuocatur antequā renunciet, si ipse procurator, vel superior, apud quē renunciatio fit, ignorant reuocationem, renunciatio tenet: si aliquis horū sciebat, non tenet sicut etiam, si per ipsos, vel per alios fuit malitiose impeditum, ne alter eorum renunciationem sciret.

DECRETALIVM LIBER I.

DE SVPPLENDA NEGLIG. *Prælatorum*. Tit. X.

254 *Cap. I.* Statuimus. *Alex. iij.*



BBATES confirmati, si diœcesanus tertio admonitus, nolit eos benedicere, possunt benedicere suos monachos, & alia sui officij exercere, donec episcopus non recuset eos benedicere.

Glos. Nota quod in odium episcoporum negligentium Papa hoc concedit, ne propterea in spiritualibus, vel alijs monasteria detrimentum patiantur.

Cap.

255 Cap. II. Sicut nobis. Clem.iij.

REgulares habentes ius patronatus in ecclesijs non possunt illas in proprios vsus conuertere, nec deputare Vicarios, & illos pro libito instituere, & deponere: sed debent, nisi ecclesiæ sint exemptæ, intra tempus semestre, à Concilio Lateranen. assignatum præsentare episcopo personas idoneas pro ecclesijs vacantibus. Secus remota appellatione episcopus prouideat de rectore idoneo, pro illa vice.

Glos. Concessio ecclesiæ facta ab episcopo sine iuris solemnitate non valet. Item exempti non possunt puniri à diœcesano. Item elapso tempore sex mensium dato ad præsentandum, episcopus sine vlla admonitione, potest aliquem idoneum instituere, pro illa vice.

256 Cap. III. Licet magister. Innoc.iij.

SI prælatus est negligens in conferendis beneficijs, transacto tempore Concilij Lateranen. idest semestri, quod incipit à die notitiæ, & non vacationis, superior debet illud conferre, & si Prælatus non habeat superiorem, ad Papam collatio est deuoluta.

Glos. Nota quod tempus sex mensium currit à die notitiæ, & non vacationis, & sic tempus non currit ignoranti. Item mora in electionibus purgari non potest, *c. dilecto, infra eodem*.

257 Cap. IV. Litteras. Idem.

QVi debet conferre, si post transactum tempus Concilij Lateranensis conferat, collatio non tenet, nisi misericorditer in persona idonea toleretur.

Glos. Nota quod collatio quæ non tenet, de patientia superioris sustinetur.

258 Cap. V. Dilecto.

QVi debet eligere, si infra sex menses non eligit, electio deuoluitur ad superiorem, nullo appellationis obstaculo suffragante.

DE SVPPLENDA NEGLIG. Prælatorum. Tit. VIII.

259 *Cap. I.* Romana.

SI episcopus ob aliquam culpam fuerit excommunicatus, ipsius iurisdictio non deuoluitur ad Archiepiscopum, sed debet puniri alia pœna.

Glos. Casus, in quibus metropolitanus habet iurisdictionem in subditos suffraganeorum, vide in *Hostien. super hoc cap.* Item metropolitanus potest totam prouinciam visitare, & si Episcopi nolint dare procurationem, potest eos excommunicare. Item episcopo excommunicato, si interim non conferat beneficium, non currit tempus, nisi sit negligens ad petendam absolutionem. Item iurisdictio non solet deuolui pro culpa episcopi, sed pro negligentia, sicut in beneficijs.

260 *Cap. II.* Grandi. *Idem*.

SI qui regit est negligens & remissus in gubernando, superior debet illi dare coadiutorem idoneum, vt fecit Papa Regi Portugallensi, sine ipsius præiudicio, vel filiorum.

Glos. Nota, coadiutoris offitium expirare morte eius cui adiutor datus est: tunc enim potestas ad capitulum pertinet in ecclesia cathedrali.

261 *Cap. III.* Si episcopus. *Bonifac. viij.*

SI episcopus fiat captiuus à paganis, vel schismaticis, gubernabit capitulum tanquam in sede vacante, & non archiepiscopus, donec Papa quam primum consultus prouideat.

Glos. Quia captus ab hostibus habetur tanquam ciuiliter mortuus. facit *l. vlt. C. de episc. & cler.* Item in his quæ requirunt ordinem, capitulum in tali casu vocabit vicinos episcopos cum cautela, *c. Pontificis* 7. *q.* 1. non posset tamen conferre beneficia quæ spectant ad collationem solius episcopi, nec dare clerico licentiam transeundi ad aliam diœcesim, hæc enim neque mortuo episcopo posset. Item capitulum sede vacante potest confirmare electionem archidiaconi per ipsum capitulum electi.

Cap.

262 *Cap. IV.* Ecclesiæ. *Idem.*

VAcante ecclesia cathedrali solus Papa potest mittere visitatorem: Excipitur quando capitulum ob negligētiam, vel malitiam male gubernaret: tunc archiepiscopus vocato capitulo, & præmissa cognitione causæ poterit deputare visitatorem, vel administratorem: & talis visitator, licet habeat administrationem in temporalibus, & spiritualibus, non potest conferre beneficia.

Glos. Quando agitur de præiudicio alicuius, iudex debet illum vocare, quando cognoscit de illo actn. Item nota quod visitator datus à Papa potest conferre beneficia, cæteri visitatores siue sint dati ab archiepiscopo, siue à legato, non possunt.

CLEMENTIN. LIB. I.

DE SVPPLENDA NEGLIG. Prælatorum. Tit. V.

263 *Cap.* Quia.

REgulares qui possunt conferre beneficia, si intra sex menses non conferant, episcopus in non exemptis propria auctoritate conferat in; exemptis apostolica auctoritate: ita tamen, vt conferat regularia beneficia regularibus, secularia secularibus, nec permittat illa incorporari mensæ, nec augeri; vel imponi pensionem. Hoc autem intelligi debet, de beneficijs, quæ non sunt de mensa Prælatorum, sed de alijs, quæ habent suos rectores, ad quæ beneficia extenditur constitutio Bonifacij, *c. præsenti, de officio ordinarij*, vbi prohibetur, ne prælati bona beneficiorum vacantium occupent. Item prohibetur regularibus, quod non possint præesse pluribus prioratibus, aut ecclesijs, curam animarum habentibus, etiam si cura per alium exerceatur.

Glos. Hæc decretalis non habet locum in secularibus, in quantum ponit ius nouum. Item, si ad collegia regularium sine prælato spectaret collatio beneficiorum, prius ad prælatum, & demum ad Diœcesanum deuolueretur potestas. Item regularis prouisus ab episcopo potest deinde ob causam remoueri ab abbate.

DE-

DECRETALIVM LIBER I.

DE TEMPORIBVS ORDINAT. & qualitate ordinandorum. Tit. XI.

264 *Cap. I.* Subdiaconos. *Alex. iij.*



VLLVS potest dare subdiaconatum diebus Dominicis, præter Papam, licet possit consecrare virgines, & conferre ordines minores diebus dominicis. Item nulli licet dare sacros ordines in sabbato Pentecostes, sed in sequenti hebdomada.

Glos. Quæ Romana ecclesia seruat, & docet alios obseruare, ad illa seruanda omnes tenentur: quæ vero in signum priuilegij sibi tantum seruauit, nullus alius sine sua speciali licentia attentare debet. quæ vero sint illa, dicetur *infra c. quod translationem, de offic. legati.*

265 *Cap. II.* Sane.

COnsuetudo dandi sacros ordines in die dedicationis ecclesiæ, vel altaris extra quatuor tempora, non valet: & nisi multitudo, & antiqua consuetudo terræ esset, non excusarentur ordinantes, & ordinati essent suspensi.

Glos. Multitudo inducit dispensationem, iuxta illud, Ob populum multum crimen pertransit inultum: non tamen parcitur illis, qui magis causa delicti fuerunt, *cap. latores, infra, de cleric. excomm. minist.* Item consuetudo, siue multitudo excusat à pœna temporali, quæ propter scandalum imponi non potest, non à pœna æterna. vel potius consuetudo excusat in ijs, quæ sunt contra ius positiuum, dum tamen sit rationabilis, & præscripta; in his vero quæ sunt contra ius naturale, nullo modo excusat: & sic concordantur iura quæ videntur contraria.

266 *Cap. III.* De eo.

EST licitum episcopis, promouere vnum, vel duos ad minores ordines diebus dominicis, & festis, ad sacros non, nisi in quatuor temporibus, in sabbato sancto, & sabbato ante Dominicam de Passione.

Glos.

Glos. Potest episcopus die Dominico, non solum duos, sed plures ad minores promouere, dummodo non videatur fieri generalis ordinatio. Item videtur posse aliquem accipere omnes minores ordines in vno die festo, nisi consuetudo generans scandalum repugnet.

267 *Cap. IV.* Ex tenore.

CLericus, qui occulte commisit tale crimen, quod si esset manifestum, degradaretur ab ordine suscepto, peracta parte pœnitentiæ, potest ministrare in suscepto, & debet admoneri, ne ad superiores ordines ascendat, sed si velit ordinari, non potest prohiberi, cum crimen sit occultum.

Glos. Peccata occulta in foro exteriori non habent vindictam. Item quod dicitur de promouendis, intelligitur etiam de promotis, sed facilius impeditur promouendus, quam promotus. Circa promotos vero quatuor consideranda sunt. Primo qualitas criminis, an sit enorme, vel mediocre. Secundo, an sit occultum, vel manifestum. Tertio modus publicationis, an scilicet innotuerit per euidentiam operis, vel sententiam Iudicis, vel spontaneam confessionem in iudicio. Quarto, an egerit pœnitentiam veram, vel simulatam. Si crimen est enorme, & manifestum, deponitur, & numquam restituitur, etiam peracta pœnitentia: si occultum, monendus est, vt abstineat, & non cogendus: si mediocre, & occultum, acta parte pœnitentiæ maneat, & promoueatur; si mediocre, & manifestum, vel quia sit conuictus in iudicio, vel timore probationum sit confessus, deponitur; si vero sit publicum per euidentiam, vel spontaneam confessionem; poterit cum eo misericorditer agi, & iudicabit episcopus, quod crimen dicatur occultum, vel manifestum. Item quod dicitur, criminosos occultos non esse prohibendos ab ordinum susceptione, intelligitur de secularibus: nam prælatus suus bene posset repellere regularem, ne accederet ad ordines suscipiendos.

268 *Cap. V.* Ad aures. *Lucius iij.*

REgulares non debent ordinari sine voluntate sui superioris.

Glos. Prælato obediendum est in omnibus, dummodo non præcipiat aliquid manifeste malum. Si vero dubium sit, an id quod præcipitur, obediens excusatur à peccato propter bonum

obedientiæ, licet in veritate id esset malum. Item pro vitando scandalo sæpe cessat rigor ecclesiasticæ sententiæ, sed malum perpetrari non debet, *arg. c. quid ergo* 11. *q.* 3.

269 *Cap. VI.* Si Archiepiscopus.

METropolitanus debet consecrari ab omnibus suffraganeis in sua cathedrali: episcopus verò de consensu omnium à tribus eligendis à metropolitano; sed melius esset si ab ipso metropolitano, præsentibus omnibus consecraretur.

270 *Cap. VII.* Ne Episcopi. *Arelat.*

DEciditur idem, quod superiori capitulo: & additur, quod si episcopi respondentes per litteras dissentiunt, metropolitanus maiori numero consentire debet.

271 *Cap. VIII.* Cum quidam. *Urbanus iij.*

ORdinatus extra tempora est suspensus à susceptis ordinibus, donec Papa cum illo dispenset: & ordinans, punitur canonica disciplina.

Glos. Idest suspenditur à collatione illorum ordinum, *cap. sane supra, eodem. c. litteras, infra eod.*

272 *Cap. IX.* Cum secundum. *Cælestinus iij.*

GRæci à Latinis, & Latini à Græcis non ordinentur, ne ritus misceantur.

273 *Cap. X.* Ex parte vestra. *Innoc. iij.*

MOnachus ex vna religione transiens ad aliam, si in secunda sumit ordines, & reuertitur ad primam, potest administrare in susceptis.

Glos. Monachus transiens ad arctius monasterium non peccat, & libere potest in ordine ministrare. Si vero relicto monachatu ad seculum transeat, & ordinem assumat, non solum peccat, sed neque etiam potest ministrare in ordine suscepto, nisi per Papam dispensetur, *cap. vltim. infra, de apostatis*, secundum Ioannem Andræam.

274 *Cap. XI.* Quod translationem.

CLericus latinus si ordinetur ab episcopo Græco ritu Græco, sine licentia sui ordinarij, interdicitur ab exequutione

ne suscepti ordinis: si cum licentia ordinarij, quamdiu talis mos ab ecclesia toleratur, non est impediendus, sed ordinarius culpandus.

Glos. Talis mos hodie non toleratur, *cap. quoniam, infra de offic. ord. c. cum secundum, supra eod.*

275 *Cap. XII.* Cum in distribuendis.

ORdinatus à Papa non potest ab alio, ad superiores ordines promoueri sine licentia Papæ.

276 *Cap. XIII.* Litteras.

DVo sacri ordines eodem die, vel duobus diebus immediate continuato ieiunio dari non possunt, quia ex fictione iuris habentur pro vno die: & sic ordinans suspenditur à collatione ordinum collatorum, & ordinatus ab exercitio ordinis, v. gr. sacerdotij, donec Papa dispenset.

Glos. Si episcopus die Sabbati non potuit perficere ordinationem, poterit sequenti die Dominico continuato ieiunio, quia ex fictione iuris habentur pro vno die. Item omnes ordines die Sabbato conferri debent, *cap.* 1. 2. *&* 3. *supra eodem*. Præter episcopalem dignitatem, quæ die Dominico tantum confertur, *c.* 1. *dist.* 75. & præter minores ordines, qui possunt diebus Dominicis, & alijs solemnibus conferri, *c.* 2. *&* 3. *supra eodem*.

277 *Cap. XIV.* Vel non est. *Honor. iij.*

ORdinans puerum ante ætatem, suspenditur à collatione omnium ordinum, & ordinatus suspenditur ab exequutione, ordinis, donec perueniat ad ætatem. Item ordinans, prouideat ordinato de beneficio competenti.

Glos. Nota. Qui non est in ætate legitima, suscipit ordinem, sed non exequutionem ordinis.

278 *Cap. XV.* Dilectus.

EPiscopus eodem die plures ordines sacros vni conferens, etiam de mandato metropolitani, suspenditur à collatione ordinum, donec Papa dispenset.

Glos. Episcopus non potest dispensare in ijs, quæ pertinent ad generalem statum ecclesiæ, in criminibus tamen dispensare potest, nisi sit expresse prohibitum. Item auctoritas superioris non excusat, & præceptum iniustum prælati non est adimplen-

 dum,

dum, *cap. Iulianus* 11. *quaest.* 3. si certum sit, quod est iniustum: secus si dubitaretur, *cap. quid culpatur* 32. *quaest. prima.* Item qui in iure varius, seu contrarius est dicto suo, periurus reputatur.

279 *Cap. XVI.* Consultationi. *Greg. ix.*

CVm ijs qui ordinantur extra tempora, potest episcopus dispensare, prius tamen imposita competenti pœnitentia.

Glos. Quocumque tempore ordines conferantur, character imprimitur, quia tempus non est substantia ordinis, sicut nec ætas: taliter tamen ordinati suspenduntur ab exequutione ordinum, & ordinantes à collatione, tanquam canonis transgressores. Item dispensare cum ijs, qui ordinantur extra tempora, non est in hac decretali speciali iure episcopis concessum, sed solum respondetur id ipsis competere de iure communi.

280 *Cap. XVII.* Quæsitum.

OCculti criminosi, vt adulteri, periuri, testes falsi, &c. si non sint homicidiarij, possunt post pœnitentiam in susceptis ordinibus ministrare, & ante pœnitentiam sunt admonendi, ne etiam in susceptis ministrent.

Glos. Notorium tribus modis dicitur crimen; per sententiam, per confessionem in iudicio factam, & per rei euidentiam, *cap. vlt. infra de cohab. cleric. & mul.* Item nota quod homicida quantumcumque occultus, etiam post peractam pœnitentiam administrare non potest. Item cum sunt occulta peccata, monendi sunt, non compellendi, ne ordines suscipiant, &c.

IN SEXTO LIBER I.

DE TEMPORIBVS ordinationum, & qualitate ordinandorum. Tit. IX.

281 *Cap. I.* Sæpe. *Clem. iv.*

Trid. sess. 23 c. 10.

EPiscopi Italiæ non ordinent Vltramontanos, nisi de licentia Papæ, vel cum litteris dimissorialibus sui ordinarij, in qui-

quibus exprimatur causa, quare nolint, vel nequeant eos ordinare: si secus fiat, ordinatus est suspensus, à qua suspensione non potest absolui, neque à pœitentiarijs Papæ, absque illius speciali licentia, & careat spe illam obtinendi: ordinans vero punitur pœnitentia condigna.

Glos. Si è conuerso episcopus Vltramontanus ordinet Italicum, non habet locum hæc decretalis, quia pœnalis est restringenda: & licet videatur esse omnino casus similis, tamen est diferentia, quia Vltramontanus citra montes existens habet duo remedia, vt cito mittat ad proprium episcopum, vel saltem petat licentiam à Papa qui vicinus est: quod non sic facile potest Italicus vltra montes existens.

282 *Cap. II.* Eos qui. *Greg. x.*

QVi scienter vel affectata ignorantia, præsumpserit ordinare alienum clericum sine sui ordinarij licentia, est suspensus per annum à collatione ordinum, & ordinatus incidit in pœnas iuris. post quam vero suspensio episcopi fuerit manifesta, subditi ipsius, sine licentia possunt ordinari à vicinis episcopis in eo anno. Tri. ses. 23 de Ref. c. 7

Glos. Episcopus nisi probet ignorantiam, præsumitur scire aliquem esse alienæ diœcesis, & culpa examinatorum imputabitur episcopo ob negligentiam. Item si episcopus iurat se nesciuisse, altera pars debet probare illum sciuisse saltem per coniecturas, vel figmenta, vide *glos. in verbo, affectata*. Item episcopus suspenditur à collatione omnium ordinum, quia hic non limitatur, vt in *cap. litteras*. An ordinati hoc modo sint suspensi ipso iure, vel suspendendi? respondetur, sunt suspensi ipso iure suspensione, sed non illa quæ irregularitatem inducit, & debent ab homine illa etiam suspendi, *c. quod translationem, eodem*.

283 *Cap. III.* Cum nullus. *Bonif. viij.*

DImissorias potest concedere episcopus originis, beneficij, vel domicilij, inferiores vero prælati, vt religiosi, non possunt nisi habeant indultum à Sede Apostolica. Episcopo vero agente in remotis potest ipsius vicarius generalis in spiritualibus, & sede vacante, Capitulum, vel qui habet administrationem spiritualium, officiales autem episcopi non possunt homini litteras dare. Item prælati religiosi possunt ordinari à locorum ordinarijs, in quibus habitant, licet non sint oriundi. Tri. ses. 7. R. c. 10 & ses. 23. c. 10.

Glos. Officialis episcopi, si in electione sua habet hoc expressum, potest dare dimissorias. Item quis potest habere domiciliũ in plu-

ribus locis, *leg. assumptio*, *§. iuris prudentibus*, *ff. ad municipal.* sed requiritur, quod quis in vtroque se æqualiter collocet: alioquin dicitur habere domicilium, vbi maiorem rerum suarum partem habet, *l. eius*, *§. vlt. ff. ad municipal.* nam sola domus possessio, comparata in alia ciuitate non facit domicilium. Item in remotis dicitur esse episcopus, si absit per duas diætas, sed hoc relinquitur arbitrio iudicis. Item hodie conceditur vicarijs, vt etiam præsente episcopo possint dare dimissorias.

284 *Cap. IV.* Nullus.


PRimam tonsuram episcopus non det infanti, nisi religionem ingrediatur, neque illitterato, neque alicui alterius diœcesis, sine licentia sui superioris, nec coniugato, nisi velit ingredi religionem, vel in sacris promoueri. si secus fiat, episcopus est suspensus per annum à collatione tonsuræ.

Glos. Hæc decretalis comprehendit etiam abbates, & alios, qui possunt conferre primam tonsuram. Item infans intelligitur ille, qui est minor septem annis. Item si quis non solum primam tonsuram, sed etiam minores ordines conferret contra huius capituli constitutionem, esset suspensus à collatione omnium illorum ordinum per annum.

DECRETALIVM LIBER I.

DE SCRVTINIO IN ordine faciendo. Tit. XII.

285 *Cap.* Ex parte. *Innoc. iij.*



IN ordinationibus, quando interrogatur, an ordinandus sit dignus, & Archidiaconus respondet esse dignum, quantum humana fragilitas patitur, non peccat nisi de indignitate ordinandi ipsi constiterit: ad verificandum enim dictum illud, sufficit si ipse nesciat ordinandum esse indignum.

Glos. Scientia aliquando stat pro credulitate, & vnusquisque præsumitur dignus, nisi probetur indignus; nam de quolibet præsumendum est bonum, nisi probetur contrarium. & hoc procedit, nisi

nisi agatur de periculo animæ, quia tunc tutius est deterius præsumere: vnde in dubio præsumitur quis excommunicatus, & præsumitur potius fornicatio quam matrimonium.

DECRETALIVM LIBER I.

DE ORDINATIS AB EPISC. qui renunciauit episcopatui. Tit. XIII.

286 *Cap. I.* Requisiuit. *Alex. iij.*



PISCOPVS qui renuntiauit loco tantum, potest rogatus ab alio ordinario, conferre omnes ordines: si renuntiauit loco, & dignitati, & contulit tantum minores ordines, sic ordinatus potest exercere minores, & accipere maiores, quia minores aliquando conferuntur à non episcopo: si contulit maiores, tunc ordinatus, qui scienter ab illo ordines sacros accepit, est suspensus; qui ignoranter, dummodo non sit crassa, & supina ignorantia, potest discretus episcopus cum illo dispensare.

Glos. Qui non habet exequutionem ordinis, non potest ordinare. Item qui à suspenso ordinatur, est suspensus. Item crassa, & supina ignorantia dicitur, quando aliquid publice fit; & coram populo: & hæc non excusat. probabilis vero facti ignorantia quemlibet excusat. Recipiens autem ordines à non habente executionem sui officij, etiam ignoranter, in totum non excusatur, & indiget dispensatione sui episcopi.

Cap. II. Cum clericis. *Greg. ix.*

EPiscopus potest dispensare cum suis clericis, qui ignoranter receperunt ordines ab episcopo excommunicato.

Glos. Excommunicatus, licet sit extra ecclesiam, characterem retinet episcopalem, & sic potest ordines conferre: non potest autem alium excommunicare, cum ipse sit extra ecclesiam, *cap. audiuimus 24. quæst. 1.*

DECRETALIVM LIBER I.

DE AETATE, ET QVALIT. & ordine præficiendorum. Tit. XIV.

287 *Cap. I.* Vt Abbates. *Conc. Pictau.*



Abbates, Decani, Præpositi, Archipresbyteri, fiant sacerdotes; Archidiaconi verò fiant Diaconi: & si nequeant fieri, etiam iusta causa prohibente amittant prælationem.

Glos. Præpositura est dignitas specialis, quamuis sit nomen generale ad omnes prælationes. Item qui absque culpa sua ordinari non possunt, non amittunt prælationem, ne afflicto addatur afflictio.

288 Cap. II. Ex ratione. *Alex. iij.*

Qvando ex dispensatione conceditur ecclesia puero, vel minori, est regenda per clericos, non per laicos, donec ad ætatem peruenerit. Item ecclesiæ non concedantur regendæ, nisi habentibus ætatem, & scientiam, secus concessio est nulla, & episcopus puniendus.

Glos. Puer dicitur à septem vsque ad quatuordecim annos, sed puer dicitur in ordine ad beneficium obtinendum, qui seruire non potest, *cap. super, infra, de praben.* Item beneficia simplicia pueris, qui sunt à septennio vsque ad 14. annum, licite conferuntur. An rector administrans ecclesiam vice pueri habeat plenam administrationem, & vocem in capitulo, vide *glos. in verbo, ætatem*, quæ respondet negatiue.

289 *Cap. III.* Indecorum.

Nemini intra decimumquartum annum constituto, est concedendus personatus ecclesiæ; nam eligendi debent præeminere discretione, & morum honestate. Si quis contraire præsumpserit, irritabitur factum, & punietur inobedientia.

Glos. Ex eo quod prohibet, quod intra decimumquartum annum nemo eligatur, non proinde concedit, quod statim post decimum quar-

quartum annum, quis eligatur; nam debet expectari vigesimus quintus annus, *c. cum in cunctis, sup. de election.*

290 *Cap. IV.* Eam te.

AD regimen animarum non est instituendus, nisi qui scientia, moribus, & ætate polleat, iuxta Conc. Lateran. etiam obtentu litterarum apostolicarum. Item habens plures ecclesias, quæ ex vna non pendeant, dimittat, & vnam retineat quam maluerit, nisi sint adeo tenues, vt proprios sacerdotes non possint conuenienter sustentare.

Glos. Si minor impetraret à Papa litteras, ex certa scientia, posset, & deberet institui: textus autem loquitur de litteris, per taciturnitatem impetratis. Item permittitur quis habere plures ecclesias, primo propter paupertatem, secundo propter penuriam clericorum, tertio in titulum, & in commendam.

291 *Cap. V.* Præterea. *Alexand. iij.*

AD curatam non est quis eligendus, nisi sit subdiaconus: dispensatiue tamen potest eligi in minoribus ordinibus constitutus, dummodo talis sit, qui infra breue tempus ordinari possit in presbyterum.

Glos. Breue tempus in isto casu, est vnus annus. Item, episcopus potest dispensare in ordinibus, sed non in ætate, *cap. indecorum, supra eodem.*

292 *Cap. VI.* Quæris.

CLericis habentibus beneficia si nolint promoueri ad sacros ordines, dicentes, se propter occulta peccata promoueri non posse; imo si impediti ad sacros ordines, recipiendos, non sint admodum vtiles in alijs ecclesiæ exercitijs, auferantur ab eis beneficia, & alijs canonicè conferantur. Qui vero non sunt impediti, & sunt idonei, compellantur ad ordines sacros recipiendos, per amissionem locorum, & beneficiorum, omni appellatione postposita.

Glos. Nota, quod propter vtilitatem ecclesiæ compellitur quis ad ordines suscipiendos.

293 *Cap. VII.* Ad aures. *Clem. iij.*

MEdicus eruditus, qui cum diligentia secundum artis traditionem exhibuit medicinam, & infirmus mortuus est, potest promoueri ad sacros ordines: sed si ipsum conscientia remordeat, non potest.

Glos.

Glos. Nemo contra conſcientiam ordinari debet. Item ſi præter culpam alicuius caſus fortuitus accidit, ei non imputatur.

294 *Cap. VIII.* Cum bonæ.

QVi per triennium cum pertinacia, & contemptu ſteterunt in ſuſpenſione, priuantur beneficijs, quæ prius habebant, & quæ poſtea acquiſiuerunt.

Glos. Suſpenſus ab homine eſt incapax beneficij. Item ſi per triennium pertinaciter quis manet, eſt priuandus. Item ſuſpenſi eligere, vel eligi non poſſunt, nec impetrare litteras pro beneficio obtinendo; & ſi quæ interim obtinuerunt, etiam poſt abſolutionem non poſſunt illa retinere. & idem de excommunicato dicendum.

295 *Cap. IX.* A multis. *Innoc. iij.*

SVbdiaconatus eſt ordo ſacer, & ſubdiaconus poteſt eligi in epiſcopum, vt diaconus, & presbyter.

296 *Cap. X.* Tuam in Domino.

QVando non reperitur idoneus pro abbate, poteſt ſumi monachus in minoribus, & fieri abbas abſque eo quod aſcendat ad maiores: & licet aliqui laici hoc illicite ſupplicauerint, tamen poteſt hoc fieri non habendo reſpectum ad preces, dummodo ſi laici non ſint conſanguinei, vel affines.

Glos. Licet preces ſint illicitæ, tamen ſi non habetur reſpectus ad illas, non ſit ſimonia. Item diſpenſatur in minoribus, vt fiat abbas. An preces inducant ſimoniam? Reſpondetur ſi ſuis precibus, & eſt indignus, eſt ſimonia; ſi eſt dignus, non: ſi alienis, & ſunt carnales pro indigno eſt ſimonia, ſi pro digno non, dummodo ſuperior non habeat reſpectum ad preces; prius ſi ſunt ſpirituales, non eſt ſimonia.

297 *Cap. XI.* Cum contingat.

ABbas ſacerdos benedictus ab epiſcopo, & in proprio monaſterio, poteſt ſuis conferre primam tonſuram qui eſt ordo clericalis: per 7. Synodum poſſunt conferre lectoratum.

Glos. Idem poteſt abbas electus, & confirmatus, ſi epiſcopus differt benedicere. Item ex hoc cap. videtur colligi, primam tonſuram eſſe ordinem. Item percutiens habentem primam tonſuram eſt excommunicatus.

Cap.

298 *Cap. XII.* Intelleximus.

CAnonicus regularis si fiat monachus in alio monasterio, & deinde reuertitur ad suum, potest creari abbas.

Glos. Qui nullo modo petit licentiam, & transit ad aliam religionem, etiam strictiorem, potest cogi vt reuertatur, secus si petita licentia transiuit.

299 *Cap. XIII.* Accepimus.

ORdinatus in sacris sine titulo, iuste petit, vt episcopus ei prouideat de beneficio: & licet episcopus non deberet excipere contra ordinatum, cum idoneum illum iudicauerit ordinando, tamen si excipit, quando Papa simpliciter scribit, vt illum prouideat, exceptiones admittentur.

Glos. Semel examinatus iterum examinari non debet, nisi de his quæ postea contingunt. Item qui dignus reputatur ad ordines, dignus etiam reputatur ab beneficium. Item si per alium non ab episcopo fuerit examinatus semel examinatus, iterum examinetur. Item qui aliquem ordinat, non potest illi obijcere impedimentum, nisi ex causa superueniente. Item qui reputatur dignus ad vnam dignitatem, dignus etiam reputatur ad alteram, & contra si indignus: & intelligitur de æquali. Item episcopus potest examinare examinatum ab examinatoribus, vt suppleat negligentiam. Item si Papa scribit, vt prouideat in tali ecclesia, non potest in alia.

300 *Cap. XIV.* Cum sit.

PRæcipitur vt episcopus per se, vel alios diligenter instruat, & informet promouendos in sacerdotium super diuinis officijs, & sacramentis rite ministrandis, & si præsumpserit ordinare ignaros & rudes, ordinati, & ordinantes grauiter punientur.

301 *Cap. XV.* Quamuis.

OB defectum scientiæ, vt grammaticæ, episcopus iam promotus amouetur ab executione pontificalium, & ab administratione ecclesiæ.

Glos. A fortiori est repellendus ab obtinendo episcopatum ob defectum scientiæ. Item quatuor præcipue requiruntur in episcopo: scientia litterarum, maturitas ætatis, grauitas morum, & quod sit ex legitimo matrimonio motus. Item competens scientia in episcopo tolleratur.

IN

IN SEXTO LIBER I.

DE ÆTATE, QVALITATE, & ordine præficiendorum. Tit. X.

3.02 *Cap.* Permittimus.

EPiscopus potest dispensare, vt qui vigesimum annum compleuerit, si aliud non obstat canonicum, possit obtinere dignitates, & personatus, quibus cura animarum non immineat.

Glos. Supponitur, *c. cum in cunctis, de elect.* Item de lege communi minor 24. non potest habere dignitatem, vel personatum, etiam sine iurisdictione, & cura. Item de abbatia, *cap. indemnitatibus, de elect.* potest tamen episcopus dispensare, in 20. anno. Item episcopus promouendo non dicitur dispensare.

CLEMENTIN. LIB. I.

DE ÆTATE, ET QVALITATE & ordine præficiendorum. Tit. VI.

303 *Cap. I.* Cum Ecclesiæ.

EPiscopis diœcesanis præcipitur, vt diligenter seruent statuta canonica circa præficiendos ecclesijs, & faciant à suis subditis inuiolabiliter obseruari, sub pœna diuinæ offensæ, & apostolicæ vltionis.

Glos. Beneficia conferantur idoneis, *c. cum in cunctis, de elect.* Idoneitas consistit in ætate, scientia, moribus, legitimitate, ordine: si dignitas est episcopatus, eligendus, tangat 31. annum: si dignitas est inferior episcopatu, tangat 25. annum; potest episcopus in habente 20. annum dispensare pro simplici dignitate, non in parochiali. In alijs beneficijs, vt in præbendis, habeat 14. annum, in alijs, vt in Cappellanijs, habeat septem, in alijs, vt in prioratibus sine cura habeat 20. annos, de qua re *Panor. cap. cum sis, de praben. & di-*

& dignit. Item in episcopo requiritur scientia Theologiæ, & iuris Canonici. In abbate non requiritur magna scientia, sed satis est si sit expertus in negocijs, de qua re *Innocen. cap. cum in cunctis, de elect.* Item si prælati sint negligentes, peccant mortaliter.

304 *Cap. II.* Vt his.

IN Capitulo cathedralis, vel collegiatæ ecclesiæ etiam regularis, nullus habet vocem, nec illi concedi potest; nisi sit subdiaconus. Item qui habent dignitates, personatus, officium, vel præbendas, quibus certus ordo est annexus, infra annum ordinentur eo ordine, cessante iusto impedimento: si secus, non habeant vocem in Capitulo, & subtrahatur eis dimidia pars distributionum in horis, & sub alijs pœnis, aliorum iurium non obstan. Trid. ses. 7 de Ref. c. 12 & 14. R. 12.

Glos. Qui accipit beneficium animo retrocedendi, & deinde retrocedit, tenetur restituere fructus, secus si non eo animo. Item habens dignitatem requirentem certum ordinem, si non ordinatur infra annum, punitur, sed non priuatur dignitate. Item canonicus non in sacris, potest exercere actus non collegiales, vt habere stallum, optare præbendam, vel domum, nisi obstet consuetudo.

Glos. An si quando vacat ecclesia, non sit aliquis in sacris, sed quando incipit electio, sit in sacris, habeat vocem? Respondetur sic: & ita qui non erat canonicus, & modo est canonicus; non tamen socij tenentur illum expectare. Quid si nullus esset in sacris, quid agatur de electione prælati, vide. An hoc cap. habeat locum in principalibus prælatis collegiatarum, vt in archipresbitero. Item annus datus ad suscipiendum ordinem computatur à tempore habitæ possessionis, vel quo per eum steterit quo minus haberet.

305 *Cap. III.* Generalem.

AD subdiaconatum promouetur quis in 18. anno, ad diaconatum in 20. ad presbiteratum in 25. Trid. ses. 23 aliter disponit.

Glos. Idest inchoato.

DE-

DECRETALIVM LIBER I.

DE SACRA VNCTIONE. Tit. XV.

306 *Cap. I.* Cum venisset. *Innoc. iij.*



PISCOPVS cum consecratur, caput, & manus illius inunguntur chrismate confecto ex oleo, & balsamo; per caput enim mens intelligitur, per manus opera. vide ibi alia mysteria. Item si id fuerit prætermissum, est supplendū per tres episcopos. Itē rex vngitur oleo, in brachio seu humero, episcopus chrismate in capite. Ratio est, quia episcopus personam Christi capitis in Pontificali officio repræsentat. Item etiam christiani vnguntur quater, bis ante baptismum, oleo benedicto primo in pectore, secundo inter scapulas, & bis post baptismum, chrismate primo in vertice, secundo in fronte. Item omnis chrismate inungitur quando confirmatur. vide ibi mysteria. Item vngitur, cum consecratur altare, cum dedicatur templum, cum benedicitur calix. Item episcopus, potest vti baculo pastorali, licet Papa eo non vtatur.

DECRETALIVM LIBER I.

DE SACRAMENTIS *non iterandis*. Tit. XVI.

307 *Cap. I.* Pastoralis. *Innoc. iij.*



VANDO quis est ordinatus sine manuum impositione, vel est confirmatus cum oleo, & non cum chrismate, non sunt sacramenta reiteranda, sed caute est supplendum, quod incuria fuit omissum.

Glos. Ante quam suppleatur, non debet ministrare. Item non dicitur iterari, quod prius actum non fuit.

Cap.

308 Cap. II. A nobis. Honor. iij.

CORpora sepulta à schismaticis non sunt exhumanda, & indumenta sacerdotalia, in quibus degradati celebrarunt, non sunt iterum benedicenda, sicut nec altaria consecranda.

Glos. Vtile per inutile non vitiatur. Item ornamenta ecclesiastica defectu personæ non polluuntur.

309 Cap. III. Presbiter. Greg. ix.

QVando ordinatur diaconus vel presbiter, si ommittatur impositio manuum, suppleatur sequenti ordinatione. Item presbiteri debent suspendere manus, quando episcopus incipit orationem.

Glos. Quando episcopus incipit orationem ad benedicendum sacerdotem, tunc presbiteri omnes, qui primo tangebant caput ordinandi, debent eleuare manus, ita quod non tangant caput illius. Item super caput diaconi, solus episcopus manus imponit super caput sacerdotis ordinandi episcopus, & presbiteri præsentes.

DECRETALIVM LIBER I.

DE FILIIS PRESBITEROR. ordinandis, vel non. Tit. XVII.

310 Cap. I. Vt filij. Conc. Pictau.



FILII presbiterorum, & cæteri ex fornicatione nati, non promoueantur ad sacros ordines, nisi fiant monachi, vel viuant regulariter in congregatione canonica, sed nullatenus habeant prælationem. Item neque serui, nisi à Dominis eis detur libertas.

311 Cap. II. Ad præsentiam. Alex. iij. Trid. sess. 25. Ref. 15.

FIlius legitimus sacerdotis, qui tacendo hoc, impetrauit capellaniã in ecclesia, in qua pater ministrauit, amouetur ab illa.

Glos.

Glos. Si pater ministrauit nullo medio, quia si media persona interueniſſet, & filius eſſet legitimus, poſſet. *cap. fin.*

312 *Cap. III.* Præſentium.

NOn poteſt filius ſacerdotis miniſtrare in eccleſijs, in quibus pater miniſtrat, vel miniſtrauit.

313 *Cap. IV.* Conſequente.

SI pater ſacerdos habuerit perſonatum in aliqua eccleſia, in illa filius non poteſt habere perſonatum, vel miniſtrare, ſed amoueatur.

314 *Cap. V.* Veniens.

EPiſcopus qui conceſſit Capellam, vel eccleſiam filio ſacerdotis, in qua pater miniſtrauit, ad titulum cuius ipſum ordinauit, ſi hoc ſcienter fecerit, non poteſt illum amouere; imo ſi amouit, debet illi reſtituere capellam, vt pacifice poſſideat: ſi ignoranter, illum non amoueat, donec de alia ſufficienti prouideat.

Glos. Qui ſcienter ordinat indignum, compellitur ei prouidere.

315 *Cap. VI.* Propoſuit.

EPiſcopus qui non vult admittere ad curam ſubdiaconum filium ſacerdotis præſentatũ à patrono, prouideat de honeſto presbitero, qui cum aſſenſu prædicti ſubdiaconi miniſtret in eccleſia, cui inſeruiat ſubdiaconus, & accipiat dimidiam partem omnium fructuum.

Glos. Qui eſt in ſacris, non debet carere beneficio. Item ſacerdos non debet eſſe ſolus ſine clerico. Item dubium eſt, quis horum duorum erit Prælatus? Canon videtur dicere ſacerdotem.

316 *Cap. VII.* Ex tranſmiſſa.

FIlius poteſt habere beneficium patris mediante, ideſt quando poſt mortem patris fuit alius beneficiarius.

Glos. Si eſt legitimus, non eget alia diſpenſatione. Item media perſona tollit vitium ſucceſſionis.

317 *Cap. VIII.* Conſtitutus.

QVando pater miniſtrauit in eccleſia ſine titulo, ideſt non fuit perſona, nec vicarius perpetuus, filius poteſt illam habere: & ſi poſt poſſeſſionem ſpolietur, eſt reſtituendus cum fructibus.

Glos.

Gloſ. Perpetuus Vicarius dicitur habere ius in eccleſia, & ſic filius non poteſt ſuccedere, in temporaneo poteſt. An ſi pater fuerit Prælatus, filius legitimus poſſit eſſe Canonicus in eadem eccleſia, res eſt dubia. vide *infra in cap. ad abolendum*.

318 *Cap. IX.* Ex tua.

QVando Papa concedit, vt Epiſcopus poſſit diſpenſare cum filijs presbyterorum bonæ vitæ, vt immediate ſuccedant beneficijs parentum; & mox alij impetrarunt à Papa, vt ſi conſtet eſſe filios presbiterorum, amoueantur: non intelligitur de diſpenſatis iam, licet diſpenſationem probare non poſſent. Item nemo poteſt inſtitui in eccleſia intuitu laicæ donationis, ſine auctoritate Epiſcopi ſui, & ſic inſtituti ſunt amouendi.

Gloſ. Suſpendi debent clerici, & communione priuari, qui eccleſias recipiunt de manu laicorum, & laici ſunt excommunicandi. *cap. præterea, infra de iure patron.*

319 *Cap. X.* Quoniam.

SI manifeſtum eſt, quod filius in eccleſia ſucceſſit Patri immediate, amoueatur ſine cauſæ cognitione, & teſtibus.

Gloſ. Nota: in manifeſtis non requiritur ordo iudiriarius. Item loquitur de illegitimis, qui nec in paternis, nec in alijs inſtitui debent. *cap. fin.*

320 *Cap. XI.* Ad extirpandam. *Alex. iij.*

FIlius Presbyterorum ſiue legitimi, ſiue illegitimi, non poſſunt habere eccleſias, in quibus patres miniſtrarunt tanquam perſonæ, vel Vicarij perpetui, & ſi habent amoueantur.

Gloſ. Etiam nepotes & alij deſcendentes, quorum eſt ius ſucceſſionis, & ſic non collaterales. Item mediate admittitur legitimus, non illegitimus.

321 *Cap. XII.* Ad hæc. *Clem. iij.*

FIlij Epiſcoporum legitimi, ſi ſint idonei, poſſunt ordinari, & in eccleſia patris habere beneficia.

Gloſ. Idem dicit de omnibus filijs legitimis clericorum, ideſt quod in eadem eccleſia, pater & filius poſſunt habere beneficia, quamuis non poſſint ſuccedere immediate in paterno beneficio, non ſic illegitimus.

322 *Cap. XIII.* Michael.

FIlius Presbyteri, ſicut non poteſt ſuccedere in beneficio, vel perſonatu patris, ſic non poteſt ſuccedere immediate in vicaria perpetua eiuſdem perſonatus.

Gloſ. Varijs modis probatur filiatio, vel illegitimitas: vt ſi natus eſt ex concubina, quam publice domi habebat: ſimiliter ſi ex vxore: item quando cohabitatio talis monſtrat illum filium iam eſſe in poſſeſſione filiationis, & ſic dicimus illum filium. Item ſi pater vocabat eum filium, & filius patrem,& communiter nominabatur filius talis patris, niſi expreſſe contrarium probetur.

323 *Cap. XIV.* Litteras.

SI vir coniugatus emiſſo voto caſtitatis fiat ſacerdos,poſtea ex vxore generet filium, filius habetur pro non legitimo, propter incontinentiam patris, ideſt, ex illicito coitu, ſed permittitur fieri clericus, & habere beneficium eccleſiaſticum vnde honeſte viuat.

Gloſ. Hic etiam diſpenſatur ad minores ordines.

324 *Cap. XV.* Cum decorem.

FIlius illegitimus non poteſt habere præbendam in eadem eccleſia in qua pater eſt Canonicus, & indecorum eſt, vt adminiſtret in miſſa.

325 *Cap. XVI.* Ad abolendam.

CAnonicorum filij illegitimi, ſeu ſpurij non fiant Canonici, in eiſdem eccleſijs ſecularibus: & ſi ſecus fiat,acta non valent, & qui præſumpſerunt illos canonicare,ſuſpenduntur à beneficijs.

Gloſ. Epiſcopus poteſt diſpenſare cum illegitimis ad beneficium ſimplex in alijs eccleſis ſed non in paternis. Item qui canonicat indignos eſt ſuſpendendus à beneficio, & inſtituti remouentur.

326 *Cap. XVII.* Dilectus. *Honor. iij.*

NVllus poteſt diſpenſare, vt filius immediate ſuccedat in eccleſia paterna niſi ſedes Apoſtolica.

Gloſ. Legatus non poteſt per generalem legationem facere ea, quæ dantur ſpecialiter, ſicut habet legatus à latere. Vide ibi.

327 *Cap. XVIII.* Nimis.

ILlegitimus ſine diſpenſatione Papæ non poteſt promoueri ad dignitates, perſonatus, ac beneficia curata.

DE-

IN SEXTO LIBER I.

DE FILIIS PRESBITERORVM, & alijs illegitimis. Tit. XI.

328 *Cap. XIX.* Is qui. *Bonifac. viij.*

CVm illegitime nato non habente aliud impedimentum canonicum dispenset Episcopus non ad ordines sacros, nec ad beneficia curata, sed ad ordines minores, & beneficia simplicia, seu cui cura non immineat animarum, dummodo beneficium sit tale, super quo Episcopus possit dispensare, idest immediate non fuerit patris, vel si habeat ecclesiam curatam annexam, vel si ex consuetudine, vel priuilegio, vel statuto requirat ordinem sacrum, & loquitur de clerico seculari, qui dispensatur ad sacros, non ad Episcopatum.

Glos. Illegitimus, nec ad primam tonsuram potest promoueri sine dispensatione episcopi. Item nec ad beneficia cum administratione, dignitate, personatu, vel cura potest episcopus dispensare, imo neque Legatus, sed solus Papa.

§. Ille vero. Quando Papa dispensat cum illegitimo, vt habeat Curatum, non potest habere, nisi vnicum beneficium curatum; quia sumus in odiosis quæ restringenda sunt.

Glos. Non duo simul, sed melius neque vnum post aliud, dummodo aliter in litteris non explicetur. Idem intelligitur quando dispensatur ab episcopo beneficium simplex.

329 *Cap. II.* Si is cum quo.

QVando illegitimus ex dispensatione Papæ obtinuit beneficiũ curatum, & deinde impetrat aliam dispensationem ad plura beneficia curata, tacendo defectum natalium, talis dispensatio est nulla, & subreptitia.

Glos. Dispensatio addita dispensationi non valet, nisi in secunda fiat mentio de prima. Item litteræ impetratæ ad plura beneficia, tacita veritate, non valent, sed litteræ iustitiæ valent, nisi excipiatur de subreptione. Item quando Papa dicit, dispensamus vt possis obtinere duo, vel plura beneficia, intelligantur tria, quia est

materia odiosa. Item procedit in Episcopo, quando dispensauit cum aliquo ad minores, & ad simplex, & deinde ad alia beneficia, tacita prima dispensatione non valet. Item cum quo in curato beneficio dispensauit Episcopus, tacito defectu, si obtineat dispensationem super pluralitate beneficiorum, non valet.

DECRETALIVM LIBER I.

DE SERVIS NON ORDINAN. & eorum manumissione. Tit. XVIII.

330 *Cap. I.* Instruendi. *Concil. Tolet.*

SErui, ante plenam manumissionem non sunt ordinandi. Item quod vituperari potest, præcauendum est.

331 *Cap. II.* De seruorum.

SEruus, qui ante libertatem consequutam callide ordinatur in sacris, deponatur, & tradatur Domino & seruus.

Glos. Si seruus ordinatur sacerdos Domino sciẽte, & contradicẽte, remanet seruus Domini, si sciente, & non contradicente, fit liber, si ignorante Domino, sed sciente Episcopo, vel præsentatore, fit liber; sed Episcopus, & præsentator tenentur dare Domino duos seruos, æque bonos: si non habent vnde soluant, restituatur Domino; si omnibus ignorantibus ordinatur in minoribus, deponitur, & remanet seruus. sed si Diaconus, vel subdiaconus, det Vicarium pro se, & si non habet ipse seruiat: si sacerdos, fit liber, & perdit peculium; & si non habet peculium, seruiat Domino in spiritualibus: si fiat monachus, vsque ad triennium potest Dominus eum repetere, vltra non potest. vide *glos. verb. deponant*.

332 *Cap. III.* De famulis.

SEruus ecclesiæ manumissus potest ordinari, sed quicquid acquirit, post eius mortem erit ecclesiæ manumittentis, & si inuita Ecclesia aspirat accusare vel testificari contra illam, priuetur gradu honoris, & iterum fiat seruus.

Glos. Libertus non potest accusare Dominum suum, nec contra eum testificari sine venia.

Cap.

333 Cap. IV. Nullus.

SEruus manumissus a Domino, & ordinatus, si non vult elatus recitare horas canonicas pro Domino, episcopus talem accusatum potest degradare.

Glos. Nota quod Dominus in manumisso potest retinere opera spiritualia. Item aliquis propter ingratitudinem ad pristinum statum reducitur. Item corrigit *dist. 54. ex antiquis, & c. frequens.*

334 Cap. V. Consuluit. *Alexand. iij.*

Spurij, & serui non debent ordinari.

335 Cap. VI. Eo libentius.

SErui ecclesiæ si manumittuntur, & ordinantur ea conditione, vt perpetuo inseruiant illi ecclesiæ in officijs, non possunt ad alias ecclesias transire; si absolute manumittuntur, possunt.

Glos. Imo si non seruiunt, iterum fiunt serui.

336 Cap. VII. Miramur.

EST idem ius de seruo facto diacono, & de seruo facto subdiacono.

337 Cap. VIII. Dilectus.

FIlius natus ex seruo, & libera, est liber, & licite promouetur.

DECRETALIVM LIBER I.

DE OBLIGATIS AD ratiocinia ordinandis, vel non. Tit. XIX.

338 Cap. I. Magnus.

OBligatus ad ratiocinia, vt procurator, actor &c. non ordinentur, nisi post onus curæ depositum, & reddita ratiocinia. Cōc. Cartag.

Glos. Limitationes vide in glos.

DECRETALIVM LIBER I.

DE CORPORE VITIATIS ordinan. vel non. Tit. XX.

339 *Cap. I.* De presbitero.

PResbiter, qui duellum obtulit, vel oblatum acceptauit, si in eo amisit partem digiti, ita vt sine scandalo possit solemniter celebrare, Episcopus potest dispensare, vt in suo ordine ministret.

Glos. Secus si membrum amisit.

340 *Cap. II.* Cum de tua.

QVi habet maculam in oculo, an sit promouendus, relinquitur iudicio episcopi.

Glos. Nisi sit magna difformitas, potest.

341 *Cap. III.* Ex parte.

SAcerdos qui ex iusta causa facit sibi abscindi virilia, potest in ordine ministrare.

Glos. Qui ex iusta causa se ipsum abscindit, non fit irregularis, & potest promoueri, & promotus exercere; secus si ex iracundia.

Cap. IV. Significauit.

CVm sacerdote, qui ex deuotione amputauit sibi virilia, episcopus auctoritate papæ dispensat, vt exerceat suum officium, sed non in ministerio altaris.

Cap. V. Ex parte.

SAcerdos, qui ex iusta causa fecit sibi amputari virilia, non est irregularis.

342 *Cap. VI.* Exposuisti. *Innoc. iij.*

MVtilatus manu, si creetur Abbas, est amouendus, quia non potest ordinari in sacris.

Glos. Abbas debet promoueri ad sacros ordines: idem si amisisset digitos, ita vt non posset frangere hostiam, secus si posset. Item inhabilis ad vnum connexorum est inhabilis ad reliquum, vt inha-

inhabilis ad ordines est inhabilis ad Abbatiam, quia Abbas debet ordinari. Item ordinandus debet suos defectus manifestare.

343 *Cap. VII.* Thomas. *Honor. iij.*

CArens vngula pollicis, si est fortis in pollice, vt possit frangere hostiam, potest ordinari.

Glos. Modica difformitas non impedit, vt in casu dicto; si est magna impedit, vt si perdidit totum digitum. Item nota pro isto titulo: difformitas in aliquo membro, quando non generat scandalum, nec impedit officium sacerdotis, non impedit ordinari. Item corpore vitiati, vel sunt sponte, vel casu; si sponte & nulla iusta causa interueniente, sunt reijciendi; si iusta causa, vt timore lepræ, vel alia simili, non prohibentur, nisi generet scandalum; si casu, & in magnis membris corpulentia, vel dignitate, ita vt difformitatem generet, reijcitur; si in paucis membris, & difformitas est modica, & sine culpa, non reijcitur; si cum culpa sua, misericorditer tolleratur.

DECRETALIVM LIBER I.

DE BIGAM. NON ORD. Tit.XXI.

344 *Cap. I.* Vt bigami.

BIgami pœnitentes, & mariti repudiatarum non possunt ordinari. Tri.ses.23. ref. 17.

345 *Cap. II.* Super eo.

ORdinans bigamum, est priuandus officio, & potestate conferendi talem ordinem, sed potest cum eo dispensari; & ordinatus in sacris est priuandus, & cum eo non dispensatur.

Glos. Episcopus non potest dispensare cum bigamis, licet possit cum criminosis. Ratio est, quia criminosus post peractam pœnitentiam, restitutus videtur in pristinum statum, & incipit esse, quod non fuit. *can. ferrum, distinct.* 50. Bigamus vero, qui est irregularis, non propter crimen, sed propter Sacramenti defectum, quia carnem suam diuisit in plures, ab vnitate recedendo, amplius restitui non potest per aliquam satisfactionem, neq; per ipsum baptismum, qui non tollit irregularitatẽ bigamiæ, *c. acu-*

tius, dist. 26. Item quoad legem promotionis aliqui reputātur bigami interpretatiue, vt qui castitatem promissam violat; qui contrahit cum vidua, vel corrupta, qui diuersis temporibus habuit vnam de facto, alteram de iure; qui scienter cognouerit vxorem adulteram. Sed ille vere, & proprie dicitur bigamus, qui diuersis temporibus habuit duas vxores.

346 *Cap. III.* De bigamis. *Calestinus iij.*

MAritus bigamus non potest ordinari, & ordinatus non potest celebrare, siue sit viua, siue mortua vxor.

347 *Cap. IV.* Nuper. *Innoc. iij.*

SI quis habuit vnam vxorem, qua mortua accepit ordinem sacrum, & deinde iterum contrahit, licet matrimonium non teneat; bigamus reputatur, & non potest vlterius ordinari, vel ordinem susceptum exercere: sicut verbi gratia si quis in sacris constitutus cum diuersis contraheret, licet matrimonium cum nulla teneret, reputaretur tamen bigamus, licet re vera bigamus non esset, non propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto.

Glos. Voluntas sine effectu punitur, quando procedit ad factum. Item qui simul duas habet vxores, est infamis. Item aliquando plus consideratur effectus, quam affectus, vel factum ipsum; aliquando magis factum quam ius. Item in aliquibus præfertur opinio veritati, vt in fauorem contrahentium, odium decipientium, fauorem prolis, vel testamenti, vel sententiarum. vnde versus.

Testamenta, fauor, odium, sententia, proles
Ex istis causis præfertur opinio veris.

348 *Cap. V.* Debitum.

QVi ducit vxorem sponsam alterius, non carnaliter ab illo cognitam, non est bigamus, quia illa se pluribus non commiscuit, nec carnem suam diuisit, & sic non adest defectus Sacramenti, cùm vere vnica tantum sit commistio, coniugium Christi cum ecclesia per incarnationis mysterium contractum, significans.

Glos. Triplex mysterium designatur in matrimonio cōsummato primo dum alter per mutuum consensum consentit in alterum, significatur vnio fidelis animæ ad Deum per dilectionem, & charitatem.

tatem. Secundo, per carnalem commistionem viri, & vxoris, significatur vnio humanæ naturæ ad Deum, quæ facta est per incarnationem. Tertio per coniugium illius, qui vnicum tantum matrimonium contraxit, significatur vnitas ecclesiæ vni viro Christo subiecta. Hoc tertium non significatur per matrimonium bigami, & ideo promoueri non potest, propter defectum sacramenti. Item vxor ordinandi debet esse virgo, non est autem id necesse in viro. Item qui ducit aliquam à se prius corruptam, potest promoueri, quia illa non diuisit carnem suam in plures.

349 *Cap. VI.* Quia circa.

SAcerdos habens plures concubinas, non est bigamus, sed in simplici fornicatione, & potest Episcopus cum eo dispensare, ad exequutionem sacerdotalis officij.

350 *Cap. VII.* A nobis.

SVbdiaconus si contrahit cum vidua, licet verè bigamus non sit, quia matrimonium est nullum, tamen reputatur bigamus propter affectum intentionis cum opere sequuto.

IN SEXTO LIBER I.

DE BIGAMIS. Tit. XI.

351 *Cap. I.* Altercationis. *Greg. x.*

BIGAMI sunt nudati omni priuilegio clericali, & foro seculari astricti, non obstante contraria consuetudine, & sub pœna excommunicationis, non deferant habitum, vel tonsuram.

Glos. Hoc capitulum intelligitur de bigamis veris, vel interpretatiuis, vt qui duas vxores habuerunt, vel cum vidua, aut corrupta contraxerunt; non autem intelligitur de ijs, qui in sacris constituti contraxerunt; nam de his habetur supra *cap. nuper, & cap. à nobis, eod.*

DE-

DE CLERIC. PEREGRIN. Tit. XXII.

352 *Cap. I.* Tua nos. *Alex. iv.*



Lerici peregrini ordinati in remotis regionibus, qui habent litteras ordinationum, sed incertum est, an sigilla sint episcoporum, debent suam ordinationem probare per quinque episcoporum sigilla, vt statutum est de transmarinis clericis dist. 98. Interim tamen suspendantur, & inquiratur an prætermiserint aliquem ordinem, quibus peractis, si sunt digni poterit circa eos dispensari.

Glos. Si constaret de sigillo vnius episcopi, non est inquirendum de quinque. Item hoc capitulum intelligitur, quando volunt recipi in ecclesia tanquam clerici; nam si tanquam viatores, vellent secreto celebrare, permittendi sunt. *c. tua, infra eod.* Item dispensari, idest recipi.

353 *Cap. II.* Inter quatuor.

CLerico peregrino non habenti dimissorias, sed iuranti se ordinatum non creditur, & sic non admittitur ad ordinem quem dicit habere, nec ad alios suscipiendos.

Glos. Clericus debet probare suam ordinationem per litteras: quas si perdiderit, probet amissionem, & tenorem ipsarum, & quod sine vitio fuerint, *c. cum olim, infra de priuileg.* vel per testes, *infra c. proximo.*

354 *Cap. III.* Tuæ fraternitatis.

PEregrinus ignotus sine litteris commendatitijs, nisi legitime constet vel per litteras, vel per testes de eius ordinatione, non permittitur in publico celebrare, sed potest in secreto, & ex deuotione.

355 *Cap. IV.* Te nobis. *Honor. iij.*

INferior Prælatus non potest in sua ecclesia instituere clericos non diæcesanos, sine licentia episcopi: & si instituat, episcopus potest illos remouere.

Glos.

Glos. Clerici sunt instituendi de eodem loco vel diæcesi. Item ex hoc sumitur bonum argumentum, pro ijs qui dicunt electum de gremio ecclesiæ etiam a minori parte, præualere alijs.

DECRETALIVM LIBER I.

DE OFFIC. ARCHID. Tit. XXIII.

356 *Cap. I.* Vt Archidiaconus.



OFFICIVM archidiaconi est esse vicarium episcopi in omnibus, & curam habere in clero posito in vrbe, vel Parrochijs, & de eo est redditurus rationem, de conuersatione, honore, doctrina ecclesiasticorum, & studio aliarum rerum, & delinquentium. Item si episcopus non potest, tertio quoque anno visitet Diæcesim, & vice episcopi emendet, & corrigat, quæ indigent emendatione. Tri. ses. 24 ref. 3.

Glos. Archidiaconus est vicarius episcopi, & habet cognitionem causarum ad corrigendum & iurisdictionem, sic etiam & ad coërtionem, quia iurisdictio sine coërtione nulla est: secus de consuetudine, *c. vlt. infra. eod.*

357 *Cap. II.* Officium.

OFficium etiam Archidiaconi est legere euangelium, vel præcipere alicui diacono, vt legat. Item dum celebrat Episcopus præcipere leuitis, vt induant se vestibus sacris, & præcedant ad missam. Item disponere de Acholitis, quis eorum deferat cādelabrum, vel thuribulum. Item nullus cantet epistolam, vel euangelium, nisi prius archidiaconus auscultet.

Glos. Hoc videtur esse potius officium magistri scholarum, sed ex consuetudine pertinet hoc ad archidiaconum.

358 *Cap. III.* Ea quæ.

ARchidiaconus est custos vasorū ecclesi.de quib.reddit rationē. *Glos.* Prælatus tenetur, non solū de dolo, sed de culpa lata, & leui vt tutor; item negligentia in prælato, est peccatum mortale.

359 *Cap. IV.* Cum satis.

ARchidiaconus sine licentia episcopi, nulli committat curam animarum, non obstante consuetudine.

Glos.

Glos. Quæ non sit præscripta. Item aliqua competunt Archidiaconis de iure communi, aliqua de consuetudine: quæ vide in glos. in verbo, consuetudinis.

360 *Cap. V.* Archidiaconus.

NOn potest excommunicare, sine licentia episcopi secundum ecclesiasticam institutionem.

Glos. Id est de iure communi. Item an possit ex consuetudine, respondetur affirmatiue: vide glos. in verbo promulgare.

361 *Cap. VI.* Mandamus.

ARchidiaconus non visitet suas ecclesias nisi semel in anno, nisi noua causa aliud exigat.

Glos. Et si non est causa visitandi, & vult ire ad ecclesias, eat suis sumptibus.

362 *Cap. VII.* Ad hæc. *Innocen. iij.*

OFficium Archidiaconi, est imperare subdiaconis, & leuitis, sollicite ordinare Parochias, audire iurgia singulorum, cuius iurisdictioni subiacent archipresbiteri, seu decani. Item est primus post episcopum, & vicarius episcopi. Item oculus episcopi, vt quæ corrigenda viderit corrigat, & emendet, dummodo non
Tri. ses. 14. ref. 10. sint ardua negocia. Item ad ipsum pertinet institutio corporalis pro beneficijs, & dignitatibus. Item examinare promouendos ad ordines & beneficia. Item decani rurales institui, vel destitui debent ad mandatum episcopi, & archidiaconi simul.

Glos. Circa coercitionem (præter iurgia) in alijs enumeratis, standum est consuetudini. Item si nesciente episcopo examinatus ordinatur sine titulo, examinator tenetur illi prouidere, & si non potest, Episcopus.

363 *Cap. VIII.* Significasti.

ARchidiaconus non potest dare litteras dimissoriales alicui ad ordines, & qui sic ordinatur interdicitur ei vsus ordinum ab episcopo.

Glos. Episcopus potest cum talibus dispensare. Item quando episcopus non est in Diæcesi, si adest consuetudo, vel speciale mandatum, potest dare dimissorias.

Cap.

364 Cap. IX. Dilecto.

ARchidiaconus non habet iurisdictionem in monasterijs regularium, nisi consuetudo pacifica ei hoc concesserit: quæ consuetudo consideratur, vel in ipso monasterio, vel in similibus.

Glos. Quando dubitatur quid agi debeat in vna ecclesia, recurrendum est ad consuetudinem aliarum ecclesiarum.

DECRETALIUM LIBER I.

DE OFFICIO ARCHIPRESBIT. Tit. XXIV.

365 *Cap. I.* Vt Archipresbyter. *Conc. Tolet.*

ARCHIPRESBITER subest Archidiacono, cuius mandatis, sicut Episcopi obedit. Item habet curam supra presbiteros, & absente Episcopo solemniter canit missam, vel is, cui ipse iniungit, seu collectam.

Glos. Missam matutinalem, seu ferialem. Item archipresbiter est maior Archidiacono, quo ad ordinem, non quo ad dignitatem; nam illi subest, *c. ad hæc, sup. de offic. Archidiac.*

366 *Cap. II.* Ministerium.

ARchipresbiter habet curam, & sollicitudinem de omnibus sacerdotibus, qui sunt cardines ecclesiæ, vt diligenter faciant sacrum, & horas, &c. Item absente Episcopo prouideat, & suppleat officia sacerdotum, vt fontes benedicere, infirmos vngere, pœnitentem infirmum, consulto Episcopo reconciliare, exceptis his, quæ sunt illi prohibita.

367 *Cap. III.* Officium.

OFficium archipresbiteri vrbani est absente præsule vice ipsius inchoare officium, benedicere in ecclesia in matutino, missam cantare, vel imponere alicui, vt cantet, & celebrante episcopo iubere sacerdotibus, vt se induant vestibus sacris, & procedant, curare vt non desit eucharistia pro infirmis, non desint Confessarij

pro

pro iis, & pro aliis diœcesanis, similiter ad baptizandum.

Glos. Quilibet de Episcopatu potest accipere sacramenta in maiori ecclesia.

368 *Cap. IV.* Vt singulæ.

ARchipresbiter ruralis, gerit curam, non solum plebis, sed aliorum presbiterorum, & cuncta debet referre ad episcopum, nec potest ordinare aliquid contra decretum episcopi, & quælibet plebs habeat suum archipresbiterum.

Glos. Archipresbiter potest determinare quædam minora, & illa non deferre episcopo.

DECRETALIVM LIBER I.

DE OFFIC. PRIMICERII.

Tit. XXV.

369 *Cap.* Vt Primicerius.



ST sub Archidiacono, vt Archipresbiter. Item distribuit lectiones nocturnorum diaconis, & aliis, & responsoria cantoribus, & eos instruit, vt sensum habeant.

Glos. Standum est diuersis consuetudinibus.

DECRETALIVM LIBER I.

DE OFFIC. SACRISTAE.

Tit. XXVI.

370 *Cap.* Vt sciat.


SAcrista est sub Archidiacono, habet curam sacrorum vasorum, vestimentorum ecclesiasticorum, & thesauri ecclesiastici, & eorum quæ pertinent ad luminaria, in cera & oleo.

DE-

DECRETALIVM LIBER I.

DE OFFICIO CVSTODIS.
Tit. XXVII.

371 *Cap. I.* Custos.



OBEDIAT Archidiacono circa custodienda ea, quæ sunt ecclesiæ, pulset signum pro horis canonicis, custodiat pallia, linteamina, & alia vtensilia, vigilet in accendendo lampades, & laternas sine excessu, & defectu: & si non bene fungitur suo officio, corrigatur ab archidiacono, & si non se emendat, re delata ad episcopum eijciatur & prouideatur de idoneo.

372 *Cap.* Custos.

CVstos sit sollicitus de omni ornamento ecclesiæ, & luminarijs, & in censo: habeat paratum panem & vinum ad missam omni tempore, det signum ad singulas horas canonicas, vt iubet archidiaconus; de eiusdem consensu absente episcopo, diuidat oblationes, & decimas inter fratres. Item hi tres videlicet, archidiaconus, archipresbiter & custos, sunt quasi columnæ ecclesiæ: ideo sint vnanimes, sine inuidia, & zelo.

EXTRAV. COMMVN.

DE OFFICIO CVSTODIS.

373 *Cap.* Quia custos.

MEndicantes absque licentia Papæ non possunt habere nisi vnam campanam pro populo, sed ad vsus proprios multas campanulas.

DE-

DECRETALIVM LIBER I.

DE OFFICIO VICARII.
Tit. XXVIII.

374 *Cap. I.* Ad audientiam. *Alex. iij.*

Trid. ses. 5 ref. 17. VIcarius, si est adeptus ecclesiam curatam, amittit vicariam. *Glos.* Qui habet vicariam perpetuam, & recipit curam animarum, vel prælationem, si vtrumque contendit retinere, vtrumque perdere debet.

375 *Cap. II.* Prouideas.

NVllus poteſt habere plures vicarias, eſt enim contra ius, cum vicarius debeat ſeruire eccleſijs, & perſonis eccleſiarum. *Gloſ.* Nemo poteſt ponere vicarium in ſua eccleſia niſi in caſibus *c. extirpandæ §. qui vero infra de praben.*

376 *Cap. III.* Ad hæc.

BEneficiarius non poteſt amouere vicarium perpetuum conſenſu epiſcopi poſitum, nec eum ſua portione aſſignata fraudare. *Gloſ.* In inſtitutione vicarij perpetui non requiritur conſenſus patroni, quia non cenſetur eccleſia vacare. Item ſi adeſt iuſta cauſa remouendi vicarium, hoc faciat legitimus Iudex, & non prælatus eccleſiæ.

377 *Cap. IV.* Clericos. *Innoc. iij.*

Tri. ſeſ. 14. ref. 16. VIcarius non poteſt ſubſtituere vicarium. *Gloſ.* Imo nec prælatus eccleſiæ poteſt ſubſtituere vicariũ.

378 *Cap. V.* Sua nobis.

VIcarius Papæ non habet iuriſdictionem extra vrbem, niſi ſpecialiter illi concedatur. *Gloſ.* Litteræ per ſubreptionem obtentæ non conferunt iuriſdictionem.

379 *Cap. VI.* Ex parte. *Honor. iij.*

VIcarij perpetui ſunt compellendi reſidere, vel fieri presbiteri (ſi habent curam) per ſubtractionem prouentuum, & vicariarum.

DE-

IN SEXTO LIBER I.

DE OFFICIO VICARII. Tit. XVIII.

380 *Cap. I.* Romana. *Innoc. iij.*

Quando excomunicatur officialis, & deinde substituitur alius, substitutus non est excõmunicatus, si non participat in crimine, pro quo fertur excommunicatio; an vero acta substituti teneant. Resp. si accepit iurisdictionem ab excommunicato, non tenent; secus tenent. Tri. ses. 25 Ref. 3.

Glos. Officialis Episcopi potest excomunicari sub nomine dignitatis,& excommunicatio non extenditur ad successorem, si non cõmunicat eidem in crimine damnato. Item Episcopus excommunicatus non potest exercere iurisdictionem, & sic nec conferre beneficia, & tunc nec confert capitulum, quia Episcopus non est negligens.

381 *Cap. I.* Licet. *Bonif. viij.*

Officialis Episcopi cum commissione generali, non potest inquirere, corrigere, vel punire excessus aliquorum, vel eos amouere à suis beneficijs, officijs, administrationibus, nisi illi specialiter hæc committantur.

Glos. Officialis cum commissione generali potest cognoscere de causis, sed non criminalibus. Item nec de hic expressis. Item nec de spiritualibus. An possit omnia cum clausula vniuersali. Resp. si in mandato sit expressum aliquod de illis quod requirit speciale mandatum secuta clausula generali, omnia posse; secus si non esset aliquod speciale expressum, sicut accidit in procuratoribus. *cap. qui ad agendum, §.1. infra de procur.*

382 *Cap. III.* Cum in generali.

Officialis, vel Vicarius Episcopi non potest conferre beneficia, si specialiter ei non committatur: quia in generali commissione non veniunt illa, quæ verisimiliter in specie quis non esset concessurus: & cui committitur, bo-

norum administratio, regulariter dare non potest.

Glos. Officiali in generali commissione datur iurisdictio in causis ciuilibus, non in criminalibus, Item collatio beneficij partim est donatio, partim non. Item episcopus potest dare potestatem conferendi beneficia spectantia ad suam collationem alicui, sed non ad conferendum beneficia proxime vacatura.

CLEMENTIN. LIB. I.

DE OFFICIO VICARII. Tit. VII.

383 *Cap.* Quæ de ecclesijs.

SIcut qui obtinet parochiam, si acquirat aliud beneficium simile, vel dignitatem, post pacificam possessionem amittit primum, & vacat; eodem modo extenditur ad Vicarios perpetuos Parochiæ, &c. Et sicut rector Parochiæ infra annum est promouendus ad sacerdotium, sic Vicarius perpetuus.

Glos. Cap. hoc loquitur de vicaria perpetua, non temporanea.

DECRETALIVM LIBER I.

DE POTESTATE, ET OFFIC. iudicis delegati. Tit. XXIX.

384 *Cap. I.* Quia quæsitum. *Alex. iij.*



ELEGATVS Papæ potest procedere, non solum contra partes, sed etiam contra eos, qui manifestè impedirent suam iurisdictionem terrendo minis partes, vt taceant.

Glos. Iurisdictio iudicis extenditur etiam in eos qui impediunt suam iurisdictionem, licet in litteris de his non fiat mentio. Item iudex omnia potest, quæ per-

pertinent ad ipsam iurisdictionem, & sine quibus causa expediri non potest.

385 *Cap. II.* Sane.

SI diuersæ litteræ impetrentur à diuersis super eadem causa, non facta mentione de primis, ad eosdem iudices; iudices supersedeant, donec consulant Papam, vt plenius intelligant eius voluntatem.

Glos. Pro varietate litterarum series causarum non debet impediri, sed recurrendum ad superiorem. Item hoc caput non habet locum hodie, quia procedere debent per formam primo datam, ex qua secundæ litteræ non faciunt mentionem de primis, *cap. vt debitus, infra de appellat. c. capitulum sanctæ Crucis, de rescript.*

386 *Cap. III.* Si pro debilitate.

DElegatus legitime impeditus in causis, quæ sine sua præsentia commode terminari possunt, idest quando non sunt causæ graues, potest subdelegare alium.

Glos. Etiam inuitis partibus.

387 *Cap. IV.* De causis.

QVando committitur, vt causa intra certum tempus terminetur, si de consensu partium terminus non prorogatur, transacto termino spirat iurisdictio. Item delegatus potest punire pœna iuris non obtemperantes; & si non est pœna statuta à iure, pœna arbitraria.

Glos. Partes possunt remittere illas solemnitates iuris, quæ sunt introductæ in fauorem partium, & non alias. Item si iudex fert sententiam vltimo die, potest deinde illam exequi, quia expirauit potestas cognoscendi, & non exequendi. Item delegatus dispensare non potest in pœnis iuris, licet minimam possit inferre, secus de ordinario, qui dispensare potest.

388 *Cap. V.* Præterea.

DElegatus, cui simpliciter aliqua causa committitur, consequenter recipit potestatem plenam omnium, quæ ad causam spectant, & sic potest partes compellere, contumaces excommunicare, licet hæc non sint expressa in mandatis.

Glos. Si aliqua forma exprimitur, illa simpliciter est seruanda,

da, si non exprimitur, habet locum hoc cap. ideſt, conceſſo principali, conceditur acceſſorium, ſine quo non.

389 *Cap. VI.* Quamuis.

QVando cauſa committitur duobus ſimpliciter, alter poteſt ſuas vices delegare coniudici, vel alteri.

Gloſ. Iudex delegatus poteſt committere ſuas vices, niſi prohibeatur.

390 *Cap. VII.* Significaſti.

IVdex ordinarius, ſi non vult, vel non poteſt exequi ſententiam iudicis delegati, ipſe delegatus poteſt exequi, & impedientes excommunicare.

Gloſ. Executio ſententiæ delegati primo loco videtur ſpectare ad ordinarium. Item delegatus poteſt punire, impedientes ſuum officium tam in cognoſcendo, quam in exequendo.

391 *Cap. VIII.* Si quando.

SI clericus trahat epiſcopum ad iudicem delegatum ſuper cauſa alicuius eccleſiæ, in qua non eſt canonicè inſtitutus, vel non eſt in poſſeſſione; ſi delegatus per tranſactionem, vel alio modo confert eccleſiam, epiſcopus non debet violenter reſiſtere delegato, ſed inſtare precibus, vt differat poſſeſſionem, donec Papa informetur.

Gloſ. Ordinarius non debet violenter reſiſtere delegato, nec impedire eius officium. Item ſi delegatus non admittat preces, ordinarius appellet.

392 *Cap. IX.* In litteris.

POſt diffinitiuam executioni datam per ſe, vel per alium ceſſat iuriſdictio delegati.

Gloſ. Iuriſdictio delegati multis modis expirat. Primo ſententia executioni data. Secundo mortuo iudice proprio. Tertio mortuo illo contra quem ſunt litteræ, re integra. Quarto reuocato mandato per ſecundas litteras expreſſe loquentes de primis. Quinto ſi iudex remittit cauſam ſuperiori. Sexto elapſo termino commiſſionis. Septimo ſi re integra, moriatur delegans. Octauo per legitimam recuſationem. Nono per legitimam appellationem. Decimo per delationem appellationis.

Cap.

393 *Cap. X.* Consultationibus.

SI quis obtinet litteras pro possessione Ecclesiæ, quam alter habet, qui non habita notitia litterarum est absens bona causa, nec potest intra tempus coram Iudice comparere, Iudex non debet procedere, secus si per contumaciam se absentasset.

Glos. Contra absentem causa studij, vel peregrinationis, vel simili non est procedendum diffinitiue, nec est reputandus contumax.

394 *Cap. XI.* Sane.

DElegatus Papæ in causa delegata est superior Episcopo, vel ordinario, & potest in ipsos vti suspensione, vel interdicto.

Glos. Delegatus gerit vices delegantis, & est maior illis, quorum causam terminat, & ab initio contra maiores temperate procedat. Item terra potest interdici ob delictum Domini.

395 *Cap. XII.* Ex parte.

QVando vnus impetrat primam dignitatem in ecclesia vacaturam, vt primum diaconatum, & alter impetrat litteras pro certa dignitate in eadem ecclesia vacatura, verbi gratia sui Auucunculi Archidiaconatu, non facta mentione de prima impetratione, si vacat hæc certa dignitas, est danda primo, & non secundo.

Glos. Hodie litteræ quæ primo præsentantur pro beneficio habendo, præualent, cap. capitulum sanctæ Crucis, de rescriptis.

396 *Cap. XIII.* Ex parte.

QVando Papa non explicat oppositum, delegatus debet seruare formam iuris, & admittere rationabiles exceptiones.

Glos. Quacunque forma mandati datâ semper admittuntur exceptiones iuris, & si forma rescripti contradicat iuri, seruetur ius, nisi in speciali constet de contraria intentione Papæ.

397 *Cap. XIV.* Quoniam Abbas.

QVando causa delegatur alicui dignitati, vt Abbati non expresso nomine Abbatis, si moriatur Abbas, successor, vt delegatus debet prosequi causam.

Glos. Quando sunt plures, v. g. Archidiaconi, & mandat Papa, vt archidiaconus cognoscat: peto quis eorum debeat cognoscere. Respondetur ille quem elegerit actor, seu potius ille cui primo litteræ fuerint præsentatæ: si vero vtrique simul fuerint litteræ præsentatæ, dignior erit iudex; vel si erunt æqualiter digni, forte dirimatur. vide insignem glos. in verbo substitutum.

398 *Cap. XV.* Super eo.

QVando est quæstio de iure præsentandi inter partes, & causa delegatur alicui, vbi constiterit cuius partis sit ius præsentandi, delegatus terminet quæstionem postposita appellatione, & ordinet ecclesiam, idest ferat sententiam, ecclesiam esse ordinandam secundum præsentationem illius, qui probauit ad se ius pertinere; sed non instituat seu mittat in possessionem; hoc enim est episcopi, vel archidiaconi, vel archipresbiteri, qui licite possunt appellare, si præiudicium sibi generetur.

Glos. Priuilegia, rescripta, & alia consimilia ad ea extenduntur, de quibus cogitatum est, *l. tres fratres, ff. de pact.* iurisdictio vero extenditur etiam ad consimilia de quibus cogitatum non est. *c. 1. cum ibi notatis sup. eod.*

399 *Cap. XVI.* Causam matrimonij.

QVando causa, verbi gratia An matrimonium, teneat delegatur duobus, & vnus tantum eam definit, illa sententia non valet.

Glos. Quando sunt duo iudices, si vnus non se excusat, vel committit suas vices, sententia vnius non valet. Item causa possessorij est priuilegiata, ideo præferenda.

400 *Cap. XVII.* Causam quæ.

QVando delegatus est Dominus impetrantis delegationem, tanquam suspectus amouetur, & alius subrogatur.

Glos. Causæ rationabiles suspicionis sunt, si est Dominus aduersarij, si est vasallus impetrantis, si consanguineus, vel aduocatus in eadem causa pro ipso, si habet consimilem causam, &c.

401 *Cap. XVIII.* Cum te consulente.

QVando delegatus committit alicui causam non totam, sed sibi aliquid reseruat, verbi gratia sententiam, si appel-

lent

lent ad Papam, delegatus non obstante appellatione debet prosequi causam.

Glos. Delegatus debet subdelegare causam personis ecclesiasticis, non laicis, sed iam est prouisum *de rescriptis in 6. cap. Statutum*.

402 *Cap. XIX.* Relatum. *Lucius iij.*

MOrte delegantis, si lis est contestata, delegati iurisdictio non expirat, si non est contestata, expirat.

Glos. Secundum leges, si ante litem contestatam moriatur, mandato expirat mandatum; secundum Canones sufficit sola citatio ante mortem mandatoris ad perpetuandam iurisdictionem, *c. proximo, & cap. licet, infra eod.* sed si citatio non praecedat mortem, statim expirat iurisdictio, *c. vlt. de off. legat.*

403 *Cap. XX.* Gratum. *Vrbanus iij.*

SI ante obitum delegantis fuit citata pars, etiam si post obitum contestetur lis, delegatio non expirat. Item qui appellat, & deinde petit inducias ad producendum testes, dicitur renunciasse appellationi.

Glos. Tacite per contrarium factum renunciat quis iuri suo.

404 *Cap. XXI.* Prudentiam.

QVando causa delegatur tribus cum clausula, quod si vnus nequiuerit, vel noluerit adesse, duo expediant causam, si non constat de impotentia tertij per nuncium, vel per litteras, alij duo non possunt procedere in causa, & si quid faciunt est irritum. Item quando dicitur, si interesse nequiuerit, & vnus licet possit, tamen non vult interesse; alij duo, vel vnus possunt prosequi causam, & ille tertius est arguendus, quia subterfugit exequi mandatum ecclesiae. Item reus si obijcit actorem esse excommunicatum, & intra competentem terminum non legitime probat; actor admittatur contra reum; si constet per confessionem actoris, vel alio modo esse excommunicatum, propter causam de qua agitur, delegatus absoluat, si propter aliam causam mittatur ad excommunicatorem, qui si ex malitia nolit absoluere, delegatus absoluat; dummodo excommunicatio non sit reseruata Papae. Item quia iste absolutus à delegato ex iuramento debet stare mandato Ecclesiae super causa

I 4 ex-

excommunicationis, ideo comparebit coram excommunicatore, qui iudicabit de causa excommunicationis, &c. nisi Papa alteri illam committat: & si excommunicator malitiosè differat cognitionem talis causæ, tunc delegatus de ea cognoscat, tanquam de accessoria ad principalem.

Glos. Colligitur cautela, si excommunicatus non potest, vel non vult absolui ab excommunicatore, impetret litteras contra aliquem, ad amicos Iudices, à quibus absoluatur vt in textu. Item si iudices sunt ordinarij vno absente, reliqui possunt procedere; si sunt delegati, vel arbitri non possunt; & citatus non tenetur venire, & Iudices tenentur ad interesse, nec per ratihabitionem illius, qui fuit absens, firmaretur sententia, nec partes possunt hoc concedere. Item testificatio de impotentia tertij debet fieri per litteras, vel per nuntium habentem litteras, vel per nuntium iuratum, & non per simplicem nuntium. Item licet melius sit esse plures delegatos, quam vnum, tamen in compromisso, melius est vnum esse arbitrum quam plures. Item litteræ impetratæ ab excommunicato non valent ad agendum, vel ad beneficia, sed valent ad sui defectionem, verbi gratia, quia appellauit, & text. loquitur, quando impetrauit litteras ante excommunicationem, & post litteras fuit excommunicatus: sed hodie valent, *cap. quæ, de except. in 6.* Item hodie terminus competens sunt dies octo, non computato primo, in quo proponitur.

405 *Cap. XXII.* Cum causa.

QVando causa delegatur tribus, & tertio non committente suas vices, nec se excusante, duo citant, vel sententiant, citatus non tenetur obedire, & quicquid fit, est irritum, & potest appellare. Item si ante citationem, Romam mittit pro iure suo, & delegati volunt procedere, potest appellare.

Glos. Hodie vt appellatio valeat, debet appellans in exceptione proposita adijcere, quod paratus est illam probare, *c. interposita, de appellat.* Si tertius malitiose non venit, nec se excusat; quid fiet? debebunt alij duo Iudices illum, per tres, vel quatuor vices admonere, vt veniat, vel alium substituat, vel se excuset, & si neutrum horum fecerit, tunc poterunt illi duo solum procedere, quia præsumitur illum nolle interesse: & talis præsumptio habebitur pro illius responsione, arg. *c. decernimus 3. q. 9.*

Cap.

406 *Cap.* XXIII. Cum ſuper.

QVando cauſa delegatur duobus cum clauſula, quod vnus altero impedito poſſit; ſi vnus per exceptionem recuſatur, alter licet ſolus poſſit, tamen ſi cum recuſato procedat, proceſſus eſt nullus.

Gloſ. Iudex ſi non admittit legitimam excuſationem, interpoſita appellatione deſinit eſſe iudex. Item aliquis ipſo facto confitetur, vel amittit iuriſdictionem.

407 *Cap.* XXIV. Conſuluit.

QVando pars citata die ſtatuto non comparet, & in termino poteſtas Iudicis non expirat, poteſt Iudex de æquitate expectare ſequentem diem, & pars contumax elapſo peremptorio non eſt de nouo citanda, niſi benignitas Iudicis hanc gratiam fecerit: ſi poteſtas expirat, in eadem hora termini peremptorij Iudex procedat. Item licet dies Romanus ſit, a media nocte in mediam noctem, tamen iudex eccleſiaſticus iudicet ante tenebras, nec arctet ſuam iuriſdictionem tempore.

Gloſ. Iudex poteſt parcere in ferenda ſententia termino conſtituto, ſed non in expenſis, & ſumptibus, alioquin reſtituat de ſuo.

408 *Cap.* XXV. Inſinuante.

QVando deputatur Iudex in lite conteſtata, & nondum data definitiua ſententia, inſurgat de nouo cauſa refutandi Iudicem tanquam ſuſpectum, poteſt refutari, & mutari: vt ſi pars litigans fiat familiaris iudicis. ſed ſi poſt nouam cauſam ortam, pars contraria eſt contenta proſequi litem coram illo iudice, & proſequitur, non poteſt amplius illum allegare ſuſpectum.

Gloſ. Lite conteſtata ex noua cauſa poteſt recuſari iudex; ſed ſi quis conſentit in illum, non poteſt amplius recuſare. Item familiaritas non parua repellit iudicem.

409 *Cap.* XXVI. Quærenti.

DElegatus Papæ, qui poſt ſententiam definitiuam excommunicat nolentem obedire, non intelligitur functus officio ſuo, ſed poteſt non ſolum ad quadrimeſtre tempus, quod ſolet à lege reo concedi ad ſoluendum, ſed & per integrum annum exequi ſententiam, & abſoluere excommunicatum, ſicut fit cum contumace, & ante litis conteſtationem.

Gloſ.

Glos In actione personali regulariter dantur reo quatuor menses ad soluendum, *l. 1. & 3. C. de re iudic.* In reali vero actione, si reus dixerit se velle parere, statim debet exequi sententia, alias post decem dies, si non fuerit appellatum. In criminalibus, etiam statim mandanda est executioni sententiā: unde versus, quorum explicationem vide *in glos. c. cum adhuc. 1. q. 3.*

In personali post menses quatuor, in re
Protinus est omnis sententia perficienda.
Sic in criminibus; sed casus excipe quinque,
Confessus, prægnans, iratus, & insula, seruus.

Item hoc cap. loquitur delegato, cuius iurisdictio non est perpetua. An si infra annum victus molestat victorem, delegatus possit cognoscere, Respondetur infra annum posse legatum compescere contradictos, & excommunicare generaliter illos, qui non patiuntur victorem quiete possidere, sed non assumere aliquam de nouo, cum Iudex delegatus post sententiam, non possit amplius cognoscere, sed tantum illam executioni mandare. An delegatus possit absoluere post annum excommunicatum contumacem ante litis contestationem. Respondetur posse illum semper absoluere, & procedere in causa quando voluerit. Iurisdictio enim delegati durat post litis contestationem, vsque ad definitiuam sententiam. Quod autem hic dicitur in textu, intelligitur de excommunicato post definitiuam sententiam, cui non parebat: & talis post annum à delegato absolui non potest, cum illius iurisdictio post annum à diffinitiua sententia quo ad omnia cesset.

Cap. XXVII. Super quæstionem.

Delegatus Papæ potest subdelegare alijs cognitionem causæ, & testium examinationem, reseruata sibi sententia ad quam potest procedere, etiam si fuerit interposita appellatio. Imo si executor, vel cognitor ad aliquem certum articulum fuerit de consensu partium deputatus (nisi modum excedat) non licet ab eo appellare, dummodo vel litis exordium, vel causæ finis, vel totum negotium non fuerit illi sublegatum, tunc enim potest ab illo, tanquam à Iudice appellari. Item Delegatus bene potest, non solum principium, medium, & finem causæ coniunctim, sed etiam diuisim alij delegare, dumodo antequam ferat sententiam, diligenter inquirat de vniuersis, quæ acta sunt in Iudicio.

Glos. Nullus potest committere alteri causam, appellatione remota, nisi Princeps. *l. c. in fin. à quibus appell. non licet.* Item exc-

executor proprie dicitur qui rem iudicatam ducit ad effectum; & non habet aliquam cognitionem causæ: hic autem in textu pro executore, seu cognitore intelligitur, ille, qui aliquem certum articulum examinat, & de eo cognoscit, puta an sit admittendus testis, &c. & ab hoc non licet appellare, nisi modum excedat. Item exordium litis, intelligitur vel libelli oblatio, vel potius ipsa litis contestatio. Finis litis intelligitur cognitio causæ, cum calculo sententiæ. Item causa criminalis alteri delegari non potest. Item secundum leges Iudex delegat causam solum consiliarijs suis, secundum Canones cuicunque.

§. Verum, & reliqui. Delegatus si delegat principium vel finem causæ, à suo delegato potest licite appellari, tanquam à Iudice; sed si medium tantum, ab ipso tanquam ab Auditore non potest appellari, si detur, vel recipiatur de consensu partium, nisi excedat fines mandati, vel merito, vt suspectus recusetur. Item à subdelegato in totum appellatur ad Papam; à subdelegato in partem appellatur ad delegatum. Item neutra pars potest recusare sine iusta causa Auditorem datum à Delegato. Item quando Princeps delegat duos, in vna causa, cum expressa clausula, vt impedito vno possit alter procedere, appellatione remota, si vnus horum delegat suas vices alteri, ille non potest procedere appellatione remota, nec alteri delegare, & si ab eo fuerit appellatum, appellandum est ad principem, & non ad condelegatum. Item quando delegatus committit audientiam causæ alicui, reseruata sibi definitiua sententia, sine consensu partium, pars non potest appellare, nisi paratus sit ostendere coram Iudice delegato iustam causam recusationis. Si adest iusta causa, delegatus sine appellatione expediat, si non vult admittere iustam causam. Sed quid si subdelegatus procedat; appelletur ad Pontificem, & hic est sensus capitis.

Glos. Pars eligiens Iudicem potest appellare, & non recusare. Item Iudex ordinarius licet committat totam causam, semper retinet iurisdictionem, delegatus non. Item Iudex semper potest committere vices suas, siue apponatur clausula, quod ambo, vel quod si non omnes, siue non. An delegatus, postquam committit vices suas, possit reuocare, vide glosam in verbo, si non possunt ambo.

411 *Cap. XXVIII.* Pastoralis.

DElegatus potest cogere aliquos, vt suscipiant subdelegationem habita ratione personarum, & ipse non se exoneret maliciose. Item vt potest committere totam causam, sic & solam ci-

tationem, & punire contemptorem. Item si Papa scienter admittit appellationem contra Iudicem habentem potestatem, remota appellatione, appellatio valet, & sententia Iudicis suspenditur. Item ordinarius cui à delegato mandatur executio sententiæ, quam scit esse iniustam, si non potest se ab onere liberare, illam exequatur. Item delegatus puniat partem, quæ curat impedire, ne statuto die procedatur, & procedat illa die, per non suspectum, appellatione remota nisi partes velint prolongari.

Glos. Hodie delegatus Papæ non potest subdelegare nisi illis personis, quibus Papa delegat, *cap. statutum, de rescript. in 6.* Item nota quod reperitur executio mera, & executio mixta. Executio mera dicitur, quando partibus præsentibus, vel altera contumaciter absente, seruato tamen iudiciario ordine, cognoscit Iudex de causa, at mandat alicui, vt sententiam suam exequatur *L. executio, C. de except. rei iud.* & talis executor non debet audire exceptiones. Executio mixta dicitur, quæ habet cognitionem annexam, vt cum Papa mandat alicui restitui rem suam, & coram tali executore, admittuntur legitimæ exceptiones. vide insignem glossam in verbo & si sciat, vbi docet, quando appellatur ab executore, quando non, &c. An Ordinarius debeat exequi sententiam iniustam delegati: Respondetur debere, tenetur enim procedere secundum allegata, & probata, & non secundum conscientiam læsam. *cap. iudicet 3. quæst. 7.*

412 *Cap. XXIX.* Ex litteris.

SVbdelegatus à delegato Papæ potest coërcere impedimentum, nam alioquin demandata iurisdictio delusoria redderetur.

Glos. Merus executor habet potestatem coërcendi.

413 *Cap. XXX.* Licet vndique.

QVando delegatur tribus cum clausula, quod duo possint, si vnus impeditur, quorum vnus delegat suas vices alteri, & moritur, & tertius legitimè reijcitur vt suspectus; qui superest, si causa est integra, non potest iudicare, quia morte subdelegantis expirat potestas; si vero causa fuit incepta illo viuente, potest quia repræsentat duos.

Glos. Morte mandantis re integra, hoc est si neque citatio præcesserit, expirat mandatum, nisi sit tale vt post mortem necesse sit impleri. Item si mandans deponatur, vel excommunicetur, non cessat iurisdictio delegati.

Cap.

414 *Cap. XXXI.* Cum in iure.

NEmo cogitur exequi, quæ mandantur à delegato, nisi constet, seu probetur de delegatione Sedis Apostolicæ.

Glos. Non creditur Iudici, si se delegatum dicet, nec præsumitur pro eius sententia, nisi ostendatur commissio, *c. cum à nobis, infra de testamen.* hodie sufficit solus tabellio, vt detur fides sententiæ, sed vt nulla sit dubitatio, debet auctoritate Iudicis rescriptum Papæ in publica forma inseri in sententia, & alia instrumenta procuratoria, si sint. vide glos.

415 *Cap. XXXII.* Cum olim.

DElegatus intelligitur constitutus ad illa tantum, quæ in litteris inueniuntur expressa, & eius iurisdictio non extenditur ad alia, & si alia quærit, reus non tenetur comparere, nec respondere, nec potest excommunicari propter illa alia.

Glos. Procuratores non possunt prorogare iurisdictionem, possunt tamen extendere mandatum, in ea, quæ sunt præparatoria, & accessoria mandati: si dominus non contradicat facto Procuratoris extendentis fines mandati, intelligitur habere ratum.

416 *Cap. XXXIII.* Cum olim.

QVi violando sigilla aperit acta causa relationis iudicum, non est audiendus contra acta iudicis qui aperuit.

Glos. Iudices tenentur ostendere partibus relationem, quam faciunt superiori, alioquin potest appellari.

417 *Cap. XXXIV.* Coram dilecto.

QVando causa delegatur duobus, cum clausula, quod si ambo interesse non possint, vnus procedat; & vnus non potest interesse, sed sublegat alterum, alter delegatus potest ferre sententiam, sine subdelegato, quia clausula si ambo, non intelligitur per se, vel per alium, sed per se præsertim, quando secundus delegatus obtinuit litteras subreptitias.

Glos. Delegatus a principe, potest alteri causam subdelegare, & alter delegatus tenetur illum recipere, sed hic in textu subdelegatus a delegato Papæ ideo non fuit admissus, quia habebat litteras subreptitias. vel potius distingue, aut sunt delegati a principio plures iudices, cum clausula quod si non omnes &c. aut est delegatus vnus, vel plures, & deinde alter iudex adiungitur cum primo, di-

cta

cta clausula, quod si non omnes, de primo modo sit sermo, potest vnusquisque iudex delegatus alium subdelegare, & coniudices tenentur illum recipere: si de secundo, re integra, adhuc tenentur illum adiunctum, vel ab ipso subdelegato admittere; re vero non integra, puta quia iam processum sit ad litis contestationem, & hoc non fuit litteris expressum, non tenentur illum recipere. Item clausula illa, quod si non omnes, intelligitur, quod si non omnes potuerint interesse de iure, vel de facto, vide *glos. magist. in verbo, quod non intelligitur*.

418 *Cap. XXXV.* Cum canonicus.

QVando locus est suspectus parti, delegatus potest delegare alium in loco non suspecto, præcipiendo &c. Item canonicus merito potest recusare iudicem, in causa alterius canonici.

Glos. Licet canonicus non possit esse iudex in causa alterius canonici propter familiaritatem, potest tamen esse testis, sicut etiam frater pro fratre; nam facilius reperiuntur iudices esse testes. aliquando tamen aliquis potest esse iudex, non testis, vt pater in causa filij, *§. tria 3. q.* 7. & criminosus idest infamis, *§. vult. 3 q.* 7. Item iudices ex pluribus causis recusari possunt, quæ in his versibus continentur.

Subiectus, Dominus, & commensalis, amicus,
Incola, Canonicus, & attingens, inimicus.
Si causam similem delegatus tueatur,
Vel si patronus fuit olim, tunc moueatur.

419 *Cap. XXXVI.* Cum contingat.

QVando quis conqueritur se post appellationem ad Papam fuisse excommunicatum, ante quam absoluatur, sunt admittendæ probationes excommunicati, & excommunicantis, vt cognoscatur an absolui debeat, vel declarare quod non sit excommunicatus. Item si conqueratur se iniuste excommunicatum, est prius absoluendus, & deinde admittantur probationes.

Glos. Si dicat excommunicationem continere errorem intolerabilem, prius admittuntur probationes, mox absoluitur, vel declaratur non excomunicatus. vide glos.

420 *Cap. XXXVII.* Venerabili. *Honorius iij.*

QVi non seruat formam rescripti, v. g. qui non restituit episcopum loco suo, ante quam inquirat, de dilapidatione contra

tra episcopum, eius processus est nullus. Item qui subdelegauit vices suas, & subdelegatus incepit processum, non potest amplius alteri subdelegare.

Glos. Ante quam incepisset, potest. Item spoliatus prius est restituendus, ante quam contra ipsum aliquid obijciatur. Item forma mandati omnino est seruanda, aliter nihil fit. Item suspectus de dilapidatione non statim remouetur, sed datur ei coadiutor, & interim prohibetur omnis alienatio. Item si apertis argumentis probetur aliquis suspectus de dilapidatione, iudex sine accusatore potest eum remouere.

421 *Cap. XXXVIII.* Significantibus.

IVdices, qui pronunciant se non habere iurisdictionem ex rescriptis in tali causa, non possunt deinde iurisdictionem reassumere, etiam partibus assentientibus.

Glos. Compromissum intra certum tempus potest fieri. Item Iudex, sine male, siue bene pronunciet, amittit iurisdictionem, quia functus est officio suo: similiter amittit iurisdictionem si associat sibi alium, qui iurisdictionem non habet. Item si referat negotium ad superiorem.

422 *Cap. XXXIX.* Suspicionis.

QVando Reus assignat iustam causam suspicionis, eliguntur arbitri, qui, & non Iudex assignant tempus ad cognoscendum hanc suspicionem: sed Iudex potest arbitros cogere, vt sollicitent.

Glos. Cap. est correctum per Innocentium Quartum: hodie Iudex facit hoc. *Glos.* Omnia, sine quibus causa principalis non potest tractari, spectant ad Iudicem. Item Iudex dum agit, & pronunciat super causa suspicionis, nihil aliud potest tractare. Item aliquando arbitri ponuntur tanquam Iudices.

423 *Cap. XL.* P. & G. per litteras Apostol.

IVrisdictio delegata non extenditur ad illas personas, de quibus in rescripto non fit mentio.

Glos. Aliquando de consensu partium potest fieri prorogatio de tempore ad tempus, de re ad rem, de persona ad personam: sed semper præsupponitur iurisdictio ordinaria, & non sufficit delegata.

Cap.

424 Cap. XLI. Cum vigesimum.

DElegatus debet dari maior 20. annis, sed de consensu partium potest dari maior decem & octo annis, minor non potest dari, nisi à Principe.

Glos. Nota, annus debet esse completus. *Glos.* B. qui non potest esse Iudex ex impedimento.

425 Cap. XLII. Vno.

QVando dantur plures delegati, vel arbitri simpliciter, sine clausula, quod si vnus; mortuo vno, expirat in alijs auctoritas.

Glos. Idem si sit infamis, vel suspectus.

426 Cap. XLIII. Quoniam Apostolica.

DElegatus Papæ licet sit datus ex officio Papæ, vel de consensu partium, potest subdelegare, vel committere suas vices alteri de iure communi.

Glos. Etiam inuitis partibus. Item si causa delegatur Episcopo cum duobus alijs coniunctim, & Episcopus subdelegat, sine subdelegato Episcopi, alij duo non possunt iudicare. An quando Papa mandat sub hac forma. Mandamus vt personaliter tale negocium exequaris, possit subdelegare. Respondeo, potest, si partes consentiant, primo si mandat fieri inquisitionem; secundo vel prouidere ecclesiæ de Prælatis; tertio vel alijs ministris.

Glos. Quando mandatur alicui, vt personaliter faciat, non potest per alium, nisi partes quorum interest consentiant: & qui tenetur construere domum, per se, non potest per alium. Ita qui prohibetur facere aliquid per se, non potest per alium. Item quando eligitur industria personæ ad aliquid faciendum, non potest per alium id fieri. Item in *textu*, cui committitur solum ministerium, vt crucem prædicare, absoluere excommunicatum, dispensare cum irregularibus, iniungere pœnitentiam, &c. non potest subdelegare suas vices, quia non habet iurisdictionem, sed ministerium.

IN

IN SEXTO LIBER I.

DE OFFIC. ET POTESTATE Iudicis delegati. Tit. XIV.

427 Cap. I. Statuimus. Innoc. iv.

COnſeruatores, verbi gratia regularium poſſunt ſolum defendere ſibi commiſſos à manifeſtis iniurijs, & violentijs: & eorum poteſtas non extenditur ad alia, quæ indaginem iudiciariam exigunt.

Gloſ. Niſi exprimatur in priuilegijs, qui poſſent etiam, quando requiritur indago iudiciaria. ſimiliter poteſt, ſi manifeſta offenſa negetur, ne poteſtas ſit fruſtratoria. Item quando dubitatur de poteſtate Iudicis, ſpectat ad eumdem cognoſcere, An cauſa ſit ſuæ iuriſdictionis. Item conſeruator defendat ſententijs eccleſiaſticis, verbi gratia excommunicando, & implorando auxilium brachij ſecularis.

428 Cap. II. Quia Pontificali.

IVdices, vel conſeruatores Papæ, quando veniendum eſt ad coactiones, vel pœnas contra epiſcopos, debent deferre eis, & honorare illam dignitatem; quare prius eis interdicant ingreſſum eccleſiæ, vel ſacerdotale miniſterium, deinde ab officio ſuſpendant, & tandem grauent cenſura eccleſiaſtica, niſi forte culpa, vel proteruia aliud perſuaſerit.

Gloſ. Nota: in iure nomine iudicis non venit conſeruator. Item nota: ſi iudex non ſeruat ordinem huius decret. tenet factum? licet ſit reprehendendus, quia textus loquitur de decentia. Item ſuſpenſus pontificalibus tantũ, ſi in illis celebrata, non ſit irregularis.

429 Cap. III. Si duo. Bonifacius viij.

QVando Papa tres delegauit, & duo ſubdelegantur in partem & non in totum, ſi in proceſſu cauſæ appelletur ab his ſubdelegatis, & delegato, eſt appellandum ad Papam, & non ad condelegatos, ex gloſ. quia cum ibi ſit vnus delegatus, non poteſt appellari ad æqualem, ſed ad ſuperiorem: & quando ſunt plures iudices in cauſa, appellatio conſiderat digniorem. Item nota: quando delegatus in partem delegat, & non in totum, appellatio eſt facienda ad delegatum. Item delegatus ab alio, quam a Papa, non delegat. *c. paſtoralis*.

430 *Cap. IV.* Si contra.

QVando sunt duo delegati a Papa, cum clausula, quod si ambo non possunt, vnus cognoscat, & opponitur causa legitima suspicionis contra vnum, alter cognoscet, & expediet causam suspicionis, & non arbitrer: si vero non est clausula, quod si ambo, recurrendum est ad arbitros. Item si delegatus episcopi recusatur, recusationis causa probabitur coram episcopo: similiter si officialis recusetur, probabitur coram episcopo.

Glos. Officialis episcopi non est delegatus, sed ordinarius, & ab eo non appellatur ad episcopum, nisi in causa predicta; & tunc causa reprobationis debet exprimi coram iudice, sed non debet coram eo probbari. Item quod dicitur de delegatis a Papa circa clausulam, intelligitur de delegatis ab alio.

431 *Cap. V.* Iudex.

IVdex ante quam sit proposita recusatio, potest committere, & si in totum commiserit, commissio facta impugnari non potest, secus si in parte commisisset, tunc enim posset impugnari. Item postquam est proposita recusatio, & non est pronunciatum super ea, si recusator consentit potest committere, secus non. Item postquam est pronunciatum, illum esse suspectum, etiam volente recusatore committere non potest.

432 *Cap. VI.* Quamuis.

DElegatus, qui subdelegauit causam in totum re integra, idest si subdelegatus non cœpit vti auctoritate, saltem per citationem decretam, potest sibi reuocare delegationem; sed si cœpit vti non potest. Item si subdelegatus moritur re integra, potest reuocare sibi.

Glos. Qui subdelegauit, si moriatur re integra, subdelegatus non procedat.

433 *Cap. VII.* Si delegatus.

QVando Delegatus subdelegat sub hac forma, quoties eum abesse contigerit, vel donec duxerit delegationem reuocandam, & moritur, subdelegatus si cœpit vti iurisdictione, non amittit iurisdictionem, sed prosequatur. Item si contigerit appellari, appellandum est ad subdelegantem, si aliquid sibi reseruauit in subdelegatione, & non ad primum delegantem, idest Papam.

Glos. Qui mortuus est dicitur abesse. Item delegatus potest subdele-

delegare, sub conditione. An quando subdelegauit, vsque ad beneplacitum suæ voluntatis, si moriatur, potestas expiret? videtur quod sic. *de rescriptis. cap. si gratiose.* sed contrarium verius.

434 *Cap. VIII.* Cum plures.

QVando pluribus delegatur causa à Papa insolidum, quilibet per se solum potest procedere: & si vnus horum causam incœpit, alter non se immisceat in eadem nisi primus sit impeditus iusta causa, vel nolit vel malitiose recuset procedere. Item si moriatur Papa mandans, & delegatus qui incœpit, potest vnus ex alijs prosequi; quia causa perpetuatur, licet res videatur integra.

435 *Cap. IX.* Si super.

SI super gratia facta alicui à Papa dentur executores, si antequam aliquid faciant moritur Papa, possunt adhuc executores fungi officio, quia gratia, quod est principale, non expirat: ergo neque potestas executorum quæ est accessoria.

Glos. Si gratia non esset facta, sed facienda, & res esset integra, spiraret mandatum executoris. Item Papa potest dare præbendam sine canonicatu.

436 *Cap. X.* Si is, cui.

QVando delegatus Papæ subdelegauit alicui, non in totum vices suas, & moritur, vel excommunicatur, interim durante tali impedimento, appellandum est ad Papam.

437 *Cap. XI.* Ab arbitris.

QVando delegatus Papæ est suspectus, vel quando Iudices non concordant, ideo eleguntur arbitri secundum ius, si grauata pars ab arbitris vult appellare, ad Papam est appellandum, & non ad Iudices.

438 *Cap. XII.* Is cui.

QVando Papa committit alicui, vt prouideat tali certæ personæ de beneficio in tali ecclesia, tunc iste potest demandare hoc munus alteri, quia sua industria non debet eligere personam: sed si mandat, vt prouideat ecclesiæ de persona, non exprimendo aliquam, non potest hoc demandare alicui, quia committitur eius industriæ, ad eligendam personam, nisi in rescripto dicat, per se vel per alium.

Glos. An delegatus ab alio, quã à Principe possit subdelegare, vide.

439 *Cap. XIII.* Statuimus.

QVando Papa mandat alicui causam expedire in certo loco, delegatus, si habet iustam causam, potest eam expedire in alio loco, *cap statutum, de rescriptis in 6.*

Glos. Hoc valet in delegato Papæ, non in delegato ordinarij: sed moneat ordinarium.

440 *Cap. XIV.* Si à subdelegato.

QVando delegatus subdelegauit non in totum, sed in partem, licet sit regulariter appellandum ad delegatum, tamen si excipitur, quod re integra mortuus est delegans primus, & hæc exceptio non admittitur, appellandum est ad Papam. Similiter, quando appellatur ex eo, quia Iudex non habet potestatem, appellandum est ad Papam.

Glos. Allegans contraria, non est audiendus. Item iurisdictio prorogatur, per quemcumque actũ. Contra, subdelegare, est iurisdictionem exercere, & sic perpetuatur iurisdictio, ergo ad eum appellandum est. Item alias causas vide *glos. in verbo in alijs casibus.*

441 *Cap. XV.* Hac constitutione.

COnseruatores non possunt esse nisi episcopi, & his superiores. Item abbates, & habentes dignitatem, vel personatum, in cathedrali, vel collegiata, & sic excluduntur alij etiam canonici. Item vnus conseruator non potest habere pro conseruatore, illum quem conseruat. Item nullus potest habere pro conseruatore, suum subditum, vel eum qui consistit in districtu ecclesiastico, vel temporali suo, excipiuntur Reginæ, & Reges. Item conseruatores nõ præsumant procedere extra ciuitatem, vel diœcesim, in quibus sunt constituti, contra quoscumque; nec aliquid trahant a fine diœcesis, vltra vna dietam. Item nisi exprimatur in rescripto, seu litteris, non possunt committere suas vices alteri: possunt tamen citare, & denunciare sententiam per alios, & quando, est hoc concessum in litteris, faciant intra ciuitatem vel diœcesim, & personis habilibus vt supra. Item si conseruatores scienter se intromittant in alijs, quam in manifestis iniurijs, & violentijs, seu in alijs quæ iudicialem indaginem exigunt, eo ipso sunt suspensi per annum ab officio; & pars quæ hoc procurauit, est excomunicata, & non absoluitur nisi prius, integre satisfecerit parti indebitè fatigatæ de expensis. Item officium conseruatoris ipso iure expirat in negotijs non cæptis per mortem concedentis. Circa munera, expensas, assessores, notarios,

rios, & testes vocandos, seruetur constitutio de rescriptis, *c. statutum, §. insuper, & infra. &c.* Si quid contra præmissa fuerit attentatum, est irritum, & inane.

Glos. Differentiam. Inter Conseruatorem, & delegatum est multiplex differentia, vide ibi in principio & fine. Item not. qualitates requisitæ in Conseruatore, requiruntur etiam in subconseruatore, sicut qualitas quæ in delegato requiritur, requiritur etiam in subdelegato. Item suspensus ab officio est suspensus à beneficio.

CLEMENTIN. LIB. I.

DE OFF. ET POTEST. IVD. DELEG.

442 *Cap.* Iudicis.

IVdices delegati Papæ super receptione testium in causa ciuili, similiter executores deputati à sede Apostolica, ad prouidendũ aliquibus de beneficijs, si eos per solertem inquisitionem repererint esse laudabilis vitæ, & honestæ conuersationis, licite possunt alijs committere vices suas; idest si est Iudex, & non nudus minister.

Glos. Quia his non fuit delegatum nudum ministerium, v. g. ad examinandum solum, sed habet potestatem ad recipiendum testes, iurare faciendum, ad citandum partem, vt det interrogatoria: & qui habet hæc omnia, habet iurisdictionem, & sic potest; ita & commissarius potest exercere omnia sine quibus testes recipi, & examinari non possent, licet de his non fiat mentio in rescripto. Item in criminalibus debet per se ipsum, & nõ per alios examinare testes. Item clausula laudabilis vitæ non requirit industriam propriæ personæ, alioquin non posset subdelegare. *cap. fin. eod. tit. 26.*

EXTRAV. COMM. LIB. I.

DE OFFICIO DELEGATI.

443 *Cap.* Sedis Apostolicæ. *Ioan. xxij.*

LItteris Apostolicis impetratis ad gratias, seu beneficia vacatura, vel ad lites pro aliqua diecesi, si contigerit ante effectũ litterarum illam diecesim de mandato Papæ diuidi in plures diœceses, prædictæ litteræ habeant eandem vim in singulis diuisis, sicut habebant quãdo erat vna diæcesis: & executores, & Iudices deputati mandent illas executioni, quia impetrantes habebãt ius ad rẽ.

Glos. Constitutio Principis per nõ obstantia nõ tollit priuilegia,

ſtatuta,& conſuetudines ſpeciales,niſi ſpecialiter, & expreſſe explicentur;ſed tantũ ad tollendã ſubreptionẽ. Itẽ de executorib.multa.

DECRETALIVM LIBER I.

DE OFFIC. LEGATI. Tit.XXX.

444 *Cap. I.* Cum non ignoretis. *Alex.iij*

AD legatum Papæ poſſunt deferri cauſæ, non ſolum per appellationem, ſed etiam per ſimplicem querelam, quia in ſua Prouincia gerit vices Papæ.

Gloſ. Archiepiſcopus non poteſt cognoſcere cauſas ſuffraganeorum, niſi per appellationem. Legatus Papæ non poteſt deponere Epiſcopum, niſi ſpecialiter ei ſit demandatum, quia hoc eſt de ſpecialiter reſeruatis Papæ: & hoc niſi ſpecialiter mandetur, non intelligitur conceſſum in generali legatione. Item non poteſt cogere eum, qui ad Papam appellat, nec poſſunt contra exemptos, niſi legati ſint Cardinales.

445 *Cap. II.* Studuiſti. *Cæleſtinus.iij.*

QVando Papa ſpecialiter delegat cauſam alicui, legatus in illa regione non poteſt ſe intromittere in cauſa illa, nec poteſt impedire proceſſum, vel ſententiam irritare, ſed poteſt illam ſi rationabiliter eſt lata, confirmare, & executioni mandare, quia mandatum ſpeciale derogat generali.

Gloſ. Confirmatio ſententiæ, eſt quid facti, & non iuris. Item delegatus in hoc particulari eſt ſuperior legato.

446 *Cap. III.* Niſi. *Innoc.iij.*

LEgatus etiam Cardinalis non poteſt transferre Epiſcopum ab vna eccleſia ad aliam.

Gloſ. Iudex propter amicitiam poteſt remittere pœnam, ideſt arbitrariam,ſine graui damno aduerſarij, vel quam imburſaret.

447 *Cap. IV.* Quod tranſlationem.

LEgatus etiam Cardinalis non poteſt ſubijcere vnum epiſcopatum alteri, nec vnire duos Epiſcopatus, nec vnum diuidere, quia commiſſio generalis non extenditur ad ea, quæ in ſignum Priuilegij ſingularis tantum ſunt reſeruata Papæ:poteſt tamen abſoluere excõmunicatos,etiam ob violẽtas manus iniectiones in clericos.

Gloſ. Nullus legatus, ex generali legatione poteſt ea, quæ ſunt reſeruata Papæ, præter abſolutionem, ob iniectionem manuum.

Item

Item dinumerat 17. casus reseruatos specialiter Papæ, in quibus non possunt. Legatus, an possit in priuilegiatis? videtur quod sic. Item in generali permissione non veniunt ea, quæ specialiter non concederentur: & sic filius, cui conceditur à patre libera administratio, non potest donare.

448 Cap. V. Licet.

POstquam legatus transmisit causam Papæ examinandam, cessat eius iurisdictio, nec est amplius Iudex, & si quid faciat, est irritũ.

449 Cap. VI. Dilectus.

LEgatus Papæ potest cõferre ecclesiam, vel beneficiũ vacans incõsulto patrono, vel eo, ad quem spectat præsentare, quia plus iuris habet in cõcessione Prælatus, quã in præsentatione patronus.

Glos. Idest plenius ius. Item prouisus habet ius in re, præsentatus ad rem. vide ibi plenius. Item solus legatus à latere potest conferre ecclesiam inuito presentatore, si ius præsentandi habet ratione ecclesiæ, non si est ius patronatus laicale.

450 Cap. VII. Nouit ille.

LEgatus pro multis locis potest in vno loco exercere suum ius, circa causas pertinentes ad alia loca suæ legationis.

Glos. Legatus extra Prouinciam suæ legationis non potest cognoscere causas, & sic nec excommunicare, vel absoluere, sed potest delegare suas vices, vt in Prouincia potest conferre beneficia, quia fiunt sine causæ cognitione.

451 Cap. VIII. Volentes. *Greg. ix.*

LEgatus alicuius prouinciæ non potest exercere suum officium præsente legato à latere Papæ, idest suspenditur officium.

Glos. Iurisdictio minoris impeditur præsente maiori; & in æquali secunda derogat primæ.

452 Cap. IX. Excommunicatis.

LEgatus de latere, sed ad tẽpus, ratione personæ non potest absoluere excommunicatos, ob iniectionem manuũ, etiam sibi subditos, & in sua Prouincia, nisi eis specialis potestas cõcedatur à Papa.

Glos. Legatus ex priuilegio non habet ius nisi in sua prouincia, & in illos prouinciæ. Item qui à latere, potest omnes absoluere. Item qui potest ex officio suo absoluere, potest committere vices suas alicui, cum indicauerit expedire. Item legati à latere missi tantum dicuntur Cardinales & possunt conferre beneficia: impropriè dicuntur alij de Curia, sed non conferunt beneficia.

453 *Cap. X.* Nemini.

STatuta legati Papæ sunt perpetua,& durant in Prouincia,etiam post suum discessum, & finita legatione. Item si delegauit causas, & ante discessum non precessit citatio, expirat iurisdictio delegati: si præcessit,non expirat.

Glos. Discessus legati à Prouincia, est mors ciuilis, ideo expirat potestas sicut in morte naturali.

IN SEXTO LIBER I.

DE OFFICIO LEGATI. Tit. XV.

454 *Cap. I.* Officij. *Innoc.iv.*

Trid. sess. 24. Ref. c. 1 SOlum legati Cardinales possunt conferre beneficia, alij non possunt nisi de speciali licentia.

Glos. Legati sunt tres à latere, vt sunt Cardinales. Nati, vt Archiepiscopus Cantuariensis: & Missi. Primi conferunt beneficia exceptis, quæ in capitulo præsenti eod.

455 *Cap. II.* Legatos. *Clem.iv.*

OFficium legati non expirat per mortem Papæ.

Glos. Etiam si Papa moriatur, ante ingressum Prouinciæ. Item legatio dicitur officium, & est dignitas, & habet ordinariam iurisdictionem, in his quæ ei competunt iure suæ legationis, in alijs de speciali mandato non, & sic expirat. Item verificatur de omni legato & non Cardinali.

456 *Cap. III.* Præsenti.

Trid. sess. 24. Ref. c. 19. REseruatio beneficiorum facta à legato Papæ, à latere,& decreta super ipsis interposita, sicut denunciationes, inhibitiones, processus facti per se, vel per deputatos à se ad hunc effectum si adhuc non est collatum beneficium, sunt irrita statim, ac expirat eius legatio. Item legatus, qui in aliqua ecclesia reseruauit sibi aliquod beneficium, cuius collatio pertinebat ad aliquem, non potest ea pendente aliud reseruare.

Glos. Secus si ex speciali auctoritate Papæ hoc posset. Item quibus modis expirat legatio legati, vide *Glos. 6.*

457 *Cap. IV.* Deliberationem.

QVicumque legatus non sibi reseruet,nec se intromittat in cathedralibus,vel regularibus,collegiatis,vel dignitatibus maio

ri-

ribus cathedraliũ post Episcopos, quarum rectores per electionem assumuntur, neq; aliquod ponant impedimentũ, quo minus libere eligantur, vel postulentur; & quicquid contra fecerint, sit irritum. Item legatus non potest committere alicui, vt recipiat resignationem resignare volentium, & simul beneficia resignata alijs conferat.

Glos. Potest committere successiue, idest vt tantum admittat resignationem. Item tantum conferat. Item an collatio Plebaniæ factæ à legato teneat, videtur quod non: vide.

458 *Cap. V.* Collatio.

COllatio beneficij facta à legato ei qui tacet se habere aliud beneficium, est subreptitia & nulla, vt ea quæ fit à Papa.

Glos. An motus proprius legati explicitus in litteris excuset à subreptione, ob taciturnitatẽ beneficij prioris, vt excusat in motu proprio Papæ? respondetur excusare à subreptione; sed prouisum, vtrumque retinere non posse.

DECRETALIVM LIBER I.

DE OFF. IVD. ORD. Tit. XXXI.

459 *Cap. I.* Perniciosam.

EPiscopus in sua diœcesi potest inquirere, & punire crimina secundum Canones; & si opus fuerit, inuocare brachium seculare, nullo ecclesiæ præiudicio generato.

Glos. Ad inquirendum sufficit clamosa fama, quæ habet vicem accusatoris. Item in sua Prouincia potest iudicare homines vndecumque sint; Item Episcopus ad puniendum debet procedere secundum allegata, & probata, & non secundum conscientiam suam particularem. Item quæ peccata debet punire, vide ibi.

460 *Cap. II.* Si sacerdos. *Eugenius.*

EPiscopus, qui vt Deus, & non vt homo, idest in confessione scit crimen alterius, nisi aliquis iudiciario ordine probare possit, non debet peccãtem nominatim arguere, sed indeterminate: & si is, qui passus est damnum, petat iustitiã, potest excommunicare authorem damni, licet sit ei confessus; non potest tamen eum nominatim arcere à communione, sed potest secreto admonere ne se ingerat.

Glos. Idem si episcopus solus vidit eum delinquentem, non enim potest. Item si episcopus dicat, excommunico vnum ex delinquentibus, nullus erit excommunicatus.

Cap.

461 *Cap. III.* Cum ab ecclesiarum. *Alex. iij.*

QVando ordinatus subiectus episcopo, vt plebanus, excommunicat, vel aliam sententiam profert legitime, episcopus illam seruare debet, & sine congrua satisfactione & de scientia ordinarij, causa non debet relaxari.

Glos. Plebanus & curati inferiores episcopo sūt iudices ordinarij, & possunt excōmunicare, licet nō sollēniter, nisi obstet cōsuetudo cōtraria. Itē si episc. absoluat excōmunicatū sine pręmissis, absolutio tenet, sed male facit, debet enim illū remittere ad excōmunicatorē.

462 *Cap. IV.* Cum vos.

QVando non prouidetur ecclesiæ vacanti, eo quia præsentatur persona non idonea, vel oritur differentia inter ordinarium, & præsentatorē, vel alia causa; ordinarius remota appellatione ponat œconomos, qui percipiant fructus, & eos, aut expendant in vtilitatem ecclesiæ, vel fideliter conseruent futuris successoribus.

Glos. Patronus laicus si præsētet indignum, nō priuatur iure præsentandi, ideo ei dantur pauciores menses: sed collegiū si eligat, vel præsentet indignum, est ipso iure priuatū, ideo dantur plures menses. Idem probabiliter videtur dicendum de patrono clerico, ac de collegio. Item si esset magnum scandalum, sed pro scandalo modico non dimittat episcopus ecclesiam ordinare. Idem si patroni nō concordant. Item bona ecclesiæ sunt seruanda successoribus, nisi sint talia, quæ seruando seruari non possint.

463 *Cap. V.* Ex parte.

QVando excōmunicatus ab ordinario obtinet absolutionem à Sede Apostolica, non explicando verā causā excōmunicationis, & hoc constat episcopo; ordinarius censuris coget illum redire ad Sedem Apostolicam, cum litteris episcopi, veritatem continentibus: si vero hoc non constat, sed est suspicio, compellat illum coram se purgare, id est quod veritatem dixerit.

Glos. Excōmunicatus, in absolutione debet exprimere causam excommunicationis, alioquin non habetur pro absoluto. Item excomunicatus ob multa crimina, si vnum in absolutione dicit, non est absolutus nisi pro illo, & valebit absolutio, quando de reliquis erit absolutus. Item absolutus pro falsa causa, non habetur vt absolutus; & excommunicatus pro falsa causa, habetur vt excomunicatus. Item episcopus potest compellere ad se purgandū eos, qui laborant publica infamia, inter bonos, & graues, & non inimicos.

464 *Cap. VI.* Significauit.

QVando episcopus excommunicat aliquos, v. g. manentes in matrimonio incestuoso,& isti per appellationem impetrant à Papa iudicem delegatum, qui illos absoluit, sed non inquirit causam ex malitia, vel desidia: episcopus potest denuo eos excommunicare, donec delegatus legitime prosequatur causam. Tri.sef. 24 de matr.

Glos. Copulati illicitè sunt excõmunicandi.Item ordinarius supplet malitiam, vel desidiam delegati. Item episcopus post admonitionem factam vtrisq. expectabit per paruum tempus arbitrarium, mox excommunicabit, & vbi primum legitime cœperunt litem, absoluantur: & in hoc casu excommunicatus agit.

465 *Cap. VII.* Quanto. *Innoc. iij.*

REgulares dissolutos, vt qui relicto claustro, pecunia comparata, discurrunt per curias principum, episcopus moneat, vt resignata pecunia in manibus prælatorum, conuertenda in vtilitatem domus, secundum abbatis consilium, regularem vitam obseruent: & si prælati sunt negligentes, eos corrigat, compellatq. priuatione officij, & beneficij, appellatione remota.

*Glos.*Correctio regulariũ,primo spectat ad abbatẽ,secũdo ad epis.

466 *Cap. VIII.* Ad reprimendam.

EXcommunicatum ab vno episcopo,nedũ alij episcopi, sed neq. archiepiscopus,licet ad eum appellet,debent absoluere,sed remittere ad excõmunicatorem: qui si non vult eũ absoluere,archiepiscopus absoluat accepto iuramento, quod satisfaciet episcopo, in eo,super quo fuit excommunicatus iuste, & si non obediat reincidat,remota appellatione.

Glos. Sentẽtiam episcopi,alij episc.& eius subditi seruare debent. Itẽ sententia excõmunicationis nõ suspenditur per appellationem.

467 *Cap. IX.* Duo simul.

PAtriarcha,velPrimas,nõ põt cognoscere causas subditorũ archiepisc. nisi quãtũ ius canonicũ cõcedit, idest si ad ipsũ legitime appelletur,vel ex prescripta cõsuetudine, vel ex speciali priuilegio PP.

Glos. Idem intelligitur de archiepiscopo,erga subditos suffraganeorum. Item consuetudo dat iurisdictionem. Item priuilegia ecclesiæ perpetuo seruanda, sed priuilegia personæ extinguuntur cum persona. Item consuetudo dicitur legitima, quando est rationabilis, & præscripta.

Cap.

468 *Cap. X.* Quod Sedem.

ARchiepiſcopus ſi legitima cauſa eſt impeditus, poteſt cōmittere ſuas vices, conſecrandi Epiſcopum, alicui Epiſcopo ſuffraganeo catholico, & habenti gratiam Sedis Apoſtolicæ, & conſecrandus debet accipere conſecrationem ab eo.

Gloſ. Archiepiſcopus poteſt compellere vtrūque. Item epiſcopus ſic cōſecratus, debet viſitare Archiepiſcopū intra duos menſes, & ſi iuſtè non poſſet, hoc ei ſignificet. Itē Archiepiſc. poteſt cōmittere ea, quæ ſunt iuriſdictionibus his, qui eā nō habent, ſed quæ ſunt ordinis non, niſi ijs, qui eos habent, ſic conſecrationem, quæ non dicitur propriè committi.

469 *Cap. XI.* Poſtulaſtis.

ARchiepiſcopus poteſt delegare cauſam ſibi per appellationem delatam ſubditis ſui ſuffraganei, qui ſi nolunt delegationem acceptare, non poſſunt compelli ab archiepiſcopo.

Gloſ. Pinguius ius habet archiepiſcopus in epiſcopum quam in ſubditos eorum. Item epiſcopus non habet idē ius in ſubditos ſuorum ſubditorum, vt habet archiepiſcopus, quia epiſcopus eſt iudex ordinarius, archiepiſcopus nō; epiſcopus non poteſt cognoſcere cauſas ſubditi prælati ſui, eo inuito, ſed debet ſeruare ſententiam ſubditorum. Item archepiſcopus eſt iudex ordinarius totius prouinciæ, in quibuſdam caſibus, quos vide in gloſ. *6.*

§. Præterea. Si delegatus Papæ, qui contumacem excōmunicauit, vel petitorem in poſſeſſionem rei induxit, moriatur, nemo neq; ordinarius poteſt hunc abſoluere, excepto mortis articulo, & niſi delegato mortuo, ſuccedat alius in onere, & honore, hic enim poſſet: ſimiliter ſpoliatus non poteſt recuperare poſſeſſionem per alium, quam per Papam, quia delegatus in ea cauſa eſt maior ordinario: ſed pro remedio, vt interrumpatur præſcriptio, ne alius poſt annum fiat verus poſſeſſor, ſpoliatus poteſt præſtare cautionem, quod iuri parebit coram ordinario; & ſi non poteſt coram eo, ſaltem coram publicis, & honeſtis viris, vt ſic poſt annum recuperet poſſeſſionem à Papa.

Trid. ſeſſ. 14. c. 7. *Gloſ.* Quilibet poteſt abſoluere in articulo mortis, & etiam in periculo mortis manifeſto, dummodo ſit ſacerdos; & dicere quod poſſit laicus, eſt error. Item poſt annum videtur quis eſſe verus poſſeſſor non ante. Item poſt quam interrumpit quaſi poſſeſſionem per cautionem, poſtea intra 40. annos ſecundum ius canonicum poteſt petere reſtitutionem rei, vel ſecundum ius ciuile poſſeſſionem infra triginta. Item an talis prę́ſcribat de iure canonico, vide ibi.

Cap.

470 Cap. XII. Licet.

MAndatum Papæ datum episcopo de corrigendis subditis, remota appellatione, non datur tanquam delegato, sed ordinario: ideo subditi in casibus, in quibus de iure poterant, & nunc possunt appellare ad Archiepiscopum.

Glos. A correctione non est appellandum, nisi modus excedatur. Item Papa per suum mandatum non intendit alicui præiudicare.

471 Cap. XIII. Irrefragabili.

EPiscopus corrigat defectus, & informet mores subditorum, & præcipue clericorum, non obstante consuetudine, & remota appellatione, nisi episcopus in talibus excedat modum. Item vbi est talis consuetudo, Capitulum corrigat excessus Canonicorũ cathedralis ecclesiæ ad iussionem episcopi, infra certum tempus ab episcopo terminandum, alioquin episcopus corrigat per censuras. Tri. sess. 24. ref. 20.

§. Cæterum. Si Canonici sine causa rationabili cessant à diuinis, idest per interdictum, maxime in contemptum episcopi, episcopus hoc non obstante, celebret in cathedrali, & metropolitanus tanquam delegatus Papæ ad querelam episcopi re cognita canonicos castiget.

Glos. In hoc casu metropolitanus habet iurisdictionem in subditos suffraganei. Item quando episcopus possit corrigere canonicos, vide glos. *6*.

§. Prouideant. Caueant prælati, ne corrigendo quæstum, vel grauamen quærant, quia Papa inuigilat castigando.

472 Cap. XIV. Quoniam.

QVando in vna ciuitate, vel diœcesi sunt populi diuersæ linguæ, & rituum sub Romana fide, vnus tantum debet esse episcopus, qui prouideat de idoneis ministris ad docendum, & ministrandum sacramenta in diuersis linguis: & si necessitas vrgeat, potest habere suffraganeum præsulem pro aliqua lingua, qui sibi subsit, & non Metropolitano.

Glos. Quem etiam ipse cum duobus episcopis vicinioribus potest consecrare.

473 Cap. XV. Inter cætera.

EPiscopi si impediti non possunt per se, assumant idoneos coadiutores, qui visitent, doceant verbo, & exemplo, audiant Trid. sess. 5 c. 2. & 24. ref. c. 4.

con-

confessiones, iniungant pœnitentias, &c. & episcopus prouideat illis de necessarijs. Item in ecclesijs cathedralibus, & conuentualibus ordinentur similes idonei ad supradicta, &c.

474 *Cap. XVI.* Conquerente. *Honor. iij.*

IVra episcopalia, quæ episcopus exigere potest in ecclesijs suæ diœcesis, etiam si sint subiectæ regularibus, sunt canonica, obedientia, iurisdictio, subiectio, reuerentia, institutio, destitutio, correctio, confirmatio, censura ecclesiastica, iurisdictio omnium causarum spectantium ad forum ecclesiasticum, pœnitentia, collatio sacrorum, synodus, duo solidi synodatarij, vel cathedratici, quarta decimationum, & mortuariorum, visitatio annua: & post vnam visitationem, si alias visitet, non potest aliquid exigere, nomine procurationis; & in prima visitatione, nisi quantum moderate poterunt exhibere, pensatis facultatibus ecclesiarum. Auxilium charitatiuum moderatum, si manifesta, & rationabilis causa exigat.

Trid. ses. 7. ref. 8 & 24 ref. 10.

Glos. Procuratio in visitatione est danda secundum facultates ecclesiæ. Item episcopus est iudex ordinarius, etiam monachorũ. Item duo solidi intelliguntur secundum valorem monetæ antiquæ. Item non sunt exigendi à monasterijs. Item duo quartæ debentur episcopis, vna decimarum perceptarum ab ecclesia, altera mortuarij, idest de relictis pro anima in morte.

475 *Cap. XVII.* Vt iusta.

EPiscopus cum visitat monasteria, non introducat nisi duos, ve l tres canonicos, & aliquos religiosos.

476 *Cap. XVIII.* Dilectus. *Greg. ix.*

SEntentia data super lege diœcesana non præiudicat ijs, qui sunt de lege iurisdictionis.

477 *Cap. XIX.* Graue.

Tri. ses. 21. ref. 8.

PEr rescriptum Papæ datum episcopo, vt corrigat clericos suæ diœcesis, non datur iurisdictio super exemptos.

478 *Cap. XX.* His quibus.

Trid. 14. c. 7. & ses. 24 Ref. 6.

ORdinarius, qui ex officio potest absoluere excommunicatos ob percussionem clericorum, potest alijs committere talem absolutionem.

Glos. Idem dicendum de omnibus excommunicationibus. Item si ex

si ex officio etiam legationis. Item quid si ex priuilegio perpetuo? probabile est quod sic, quia non est solum ministerium.

IN SEXTO LIBER I.

DE OFFICIO ORDINARII. Tit. XVI.

479 *Cap. I.* Romana. *Innoc. iv.*

METropolitanus non potest constituere foraneos officiales in Diœcesibus suffraganeorum pro citationibus, & inhibitionibus in causis futuris appellationum, quamuis in causis appellationum, iam deuolutis ad ipsum possit committere vices suas alijs. Quod si in aliqua diœcesi vigeret consuetudo constituendi officiales in diœcesi suffraganeorum, pro causis futuris appellationum, si quæ nascantur, tunc isti officiales constituti non possunt inhibere, ne procedatur in causis antequam sit appellatum in curia Metropolitani. Item Archiepiscopus non potest intrare in Diœcesim suffraganei, vt aliquid agat sua propria auctoritate.

Glos. Fallit hoc in aliquibus casibus. Potest enim visitare. Item in causis deuolutis, potest ibi constituere officiales, vt inhibeant. Nota: iudex in causa non dicitur habere iurisdictionem ante ortum causæ, in qua dicitur habere iurisdictionem, nisi habitu; & qui habet habitu, & non actu, non potest delegare.

§. Officialis. Dum archiepiscopus est in sua prouincia vel circa, idest intra duas dietas vulgares, scilicet dum facile haberi possit, eius officialis non debet excommunicare, suspendere, interdicere episcopum suffraganeum, propter reuerentiam gradus.

Glos. Sed si excommunicat &c. tenet. Idem dicendum de delegatis archiepiscopi, ac de officialibus.

480 *Cap. II.* Si canonici. *Greg. ix.*

CAnonici, qui ex consuetudine, vel alia via cessationem indicere possunt, ante cessationem exprimant causam cessationis, in instrumento publico, vel in litteris patentibus munitis cum proprijs sigillis, vel cum alio authentico: & illud instrumentum, vel illas litteras tradant ei, contra quem cessare intendunt, si se-

si secus fecerint, vel causa expressa, non fuerit canonica, restituant quicquid acceperunt tempore cessationis de fructibus ecclesiæ in qua cessatum est, eidem ecclesiæ: neque aliquid accipiant de prouentibus illius ecclesiæ, quod debeatur canononicis tempore cessationis. & teneantur etiam satisfacere de damnis, & iniurijs his, contra quos cessatum est. Si vero causa inuenta est canonica, superior arbitrarie condemnet eum, qui fuit causa cessationis, ad certam, quantitatem pecuniæ conuertendã in augmentum diuini cultus pro interesse canonicorum, & ecclesiæ, in qua fuit subtractum officium diuinum. Item consuetudo seu abusus tempore interdicti prosternendi imagines, & cooperiendi spinis, & vrticis, pœnitus tollatur; & qui contra faciunt, grauiter puniantur.

Glos. Ad probandum habent parem vim, instrumentum publicum, & litteræ signatæ authentico sigillo. Item hæc constitutio loquitur de Canonicis secularibus, & de regularibus. Item hæc cessatio non est censura, & si quis celebraret in ea, non fieret irregularis. Item Canonici sine Episcopo non possunt interdicere. Item vt caute fiat, explicetur in litteris, esse signatas instrumento alieno. Item causa quomodo sit iudicanda sufficiens, vide ibi. Item iniuria facta quomodo taxanda. Item dans causam interdicto tenetur restituere damna ecclesiarum, etiam eleemosinarum.

481 *Cap. III.* Ordinarij.

Trid. ses. 7 Ref. 4. & ses. 24. Ref. 17.

ORdinarij compellant suos subditos ostendere dispensationem, quomodo retineant plura beneficia, curata, vel personatus, & dignitates, vel ecclesias cum cura: & si intra certum tempus arbitrio ordinarij assignatum, nullo impedimento iusto interposito, non ostendant dispensationem, conferant prædicta beneficia libere personis idoneis, per eos ad quos spectat collatio; si ostendunt dispensationem, eos amplius non molestent circa prædicta beneficia: prouideant tamen, vt nec cura animarum, nec beneficia debitis obsequijs defraudentur. Si dispensatio est dubia, deferatur ad sedem Apostolicam. Item in conferendis similibus beneficijs ea non conferant habenti similia curata, nisi ostendant dispensationem circa obtenta, & etiam, vt cum obtentis possint ista obtinere; aliter facta collatio non tenet; vel nisi resignent quæ habent.

Glos. Omnia debet relinquere, & vnũ accipere, nec potest permutare. Item non solũ ordinarij Episcopi, sed etiã inferiores, qui habẽt institutionẽ, possunt hoc facere. Idem iudiciũ de personatu, ac de beneficio curato. Itẽ si haberet hæc beneficia in diuersis diœcesibus, quilibet Episcopus potest cõpellere ad ostendendam dispensationẽ.

Cap.

482 Cap. IV. Quia. Bonif. viij.

SI Prælati prohibeant sub pœna suspensionis, excommunicationis, vel interdicti, vel ipso iure, & exigant iuramentum, ne subditi manifestent status ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum suorum, ac personarum superioribus vel legatis Papæ, vel inquisitoribus; puniantur condigna pœnitentia, ab iisdem superioribus, legatis, inquisitoribus imposita, & omnia facta, vt sententiæ, iuramenta, promissiones, sint nullius roboris, nec promissæ pœnæ à subditis, possint exigi.

483 Cap. V. Vt litigantes.

ARchiepiscopus debet cognoscere, vel delegare causas appellationum, quæ ad ipsum deferuntur, iure Metropolitico, in sua, vel in illius Diœcesi, à quo est appellatum, & non potest alibi, nisi de consuetudine hoc illi competat.

Glos. Vide supra eod. *cap. nec pro. eo*. Potest etiam de concordia partium, cum consensu Episcopi loci: Item Archiepiscopus potest delegare causam clerici, & suffraganei in ciuitate alterius Episcopi consentientis.

484 Cap. VI. Si Episcopus.

IN casu, quo licite Episcopus visitet per alium, visitati prouidebunt de victualibus tantum visitanti, & Episcopus prouidebit de reliquis necessarijs, nec Episcopus accipiat procurationem à visitatis. Trid. sess. 24. Ref. 3.

Glos. Hodie seruatur extrauagans, *Vas electionis, de censibus Benedic.* vide *ibi decret. inter cætera*.

485 Cap. VII. Cum Episcopus.

EPiscopus in quolibet loco suæ Diœcesis non exempto, potest per se, vel per alium sedere pro tribunali, audire causas sui fori, personas ecclesiasticas carcerare, & reliqua sui officij exercere.

Glos. Solus Epicopus habet iurisdictionem in tota sua Diœcesi, & sic territorium est solius Episcopi, & non Archidiaconi, vel alterius inferioris: vnde Archidiaconus non potest punire extraneum delinquentem in suo Archidiaconatu. Item locus exemptus dicitur de Diœcesi, & sic dispositiones, & mandata data Diœcesibus, includunt loca exempta, si authores habent ius in locis exemptis. Item legatus potest in tota legatione, sicut Episcopus in tota Diœcesi.

486 Cap. VIII. Quamuis.

CApitulum, Collegium, vel Conuentus ecclesiæ sæcularis, vel regularis, quando volunt imponere cessationem, vocent absentes de capitulo, vt fieri solet in electione; deinde requirant ab eo, qui fecit offensam, propter quam est ferenda cessatio, an velit emendare iniuriam vel offensam: & si emendationem habent, vel per eos stet quin habeant, non inducant cessationem: & si his seruatis, nec data satisfactione cessare faciant, tunc statim vtraque pars intra spatium vnius mensis arripiat iter Romam versus, tum ij qui cessant, tum ij quorum causa cessatur, & offerant acta coram Papa, vel per se vel per alios, vt Papa iudicet, & castiget culpabilem; si vero concordauerint, & ita cessauerit cessatio, non veniant, nec mittant Romam. Item si hæc non seruentur, nec seruetur cessatio.

Glos. Nota quæ facienda sunt antequam ponatur cessatio.

487 Cap. IX. Præsenti.

PRælati regulares, vel sæculares, non præsumant occupare, aut in proprios vsus conuertere bona, quæ inuenta sunt, dum vacant, vel colliguntur, in tempore vacationis ecclesiarum, dignitatum, personatuum, prioratuum sibi subiectorum, seu pertinentium ad eorum collationem, ordinationem, præsentationem, vel custodiam, quæ debent expendi in vtilitatem eorum, vel conseruari futuris successoribus mortuorum, nisi ex priuilegio vel legitima, & præscripta consuetudine, vel alia causa rationabili, eis hæc competant: alioquin, qui contrafecerint Episcopi, & eorum superiores ab ingressu Ecclesiæ, ceteri ab officio, & beneficio, eo ipso sunt suspensi, donec prædicta restituant. Item si ex priuilegio, consuetudine, vel rationabili causa, alicui competunt hæc bona, intelliguntur solutis debitis, si quæ sunt, & seruitoribus & ministris, ac oneribus vsque ad nouos redditus, mox quæ supersunt accipiant. Item per hanc non derogatur constitutioni, *quia sæpe, de electione in 6.* scilicet, vt priuilegia, statuta, consuetudines non valeant.

Glos. An Clericus possit testari, vide ibi. Item an facta restitutione sit necessaria absolutio, videtur quod non: respondetur affirmatiuè.

CLE-

CLEMENTIN. LIB. I.

DE OFFICIO ORDINARII Tit. IX.

488 *Cap.* Vt Clericorum.

EPiscopi sint vigilantes, & diligenter corrigant excessus scandalosos Clericorum; vt ipsi clerici metu pœnæ arceantur ab insolentijs, & alij illorum exẽplo timeant similia perpetrare.

489 *Cap.* Et si ab Apostolicæ.

SIcut quando quis impetrat beneficium à Papa non facta mentione de alio beneficio, licet exiguo, quod habebat, impetratio est subreptitia, & nulla, nisi detur motu proprio; eodem modo est nulla, si impetrat à legato Papæ; sed si impetrat ab Episcopo non est nulla, nisi sit incompatibile. Nota, inter legatum à latere, & ordinarium est locus præuentionis, in beneficijs conferendis. Item si legatus non est Cardinalis, non potest conferre beneficium, nisi de mandato speciali.

EXTRAV. COMMVN.

LIBER PRIMVS.

DE OFFIC. IVD. ORDINARII.

490 *Cap.* Debent. *Bonifac. viij.*

EPiscopus quando visitat Monasteria regularium, ducat secũ tantum duos vel tres Clericos honestos, inter quos vnus sit regularis illius ordinis, & Notarium, qui sit Clericus sæcularis, & nullo modo regularis, non obstante quacunque consuetudine in contrarium, & compositione.

Glos. An Monachi possint esse testes in suis monasterijs: respondetur, possunt, sed non soli ipsi, vt hic dicitur. Item in causa hæresis.

491 *Cap.* Vt quos. *Ioann. xxij.*

QVi habet dignitatem, vel personatum, vel beneficium curatum, si aliud simile prædictis acquirat habita possessione se-

L 2 cundi,

cundi, vel super ipsum stat, sine fraude, & dolo quo minus habeat possessionem, priuatur primo beneficio ipso iure, & tenetur illud renunciare in manu ordinarij, de quo disponent illi, ad quos pertinet, tanquam vacante; quod si non fecerit, est priuatus secundo ipso iure, & est inhabilis ad ordines, & ad alia beneficia quæcumque obtinenda. Item præcipitur ordinarijs sub pœna sanctæ obedientiæ, & suspensionis, ab ingressu ecclesiæ, si non curant exhiberi titulos, & dispensationes ab ijs, qui habent plura prædicta beneficia incompatibilia, & admoneant Papam de processibus factis super his.

Glos. De hac materia vide in *extrauaganti, execrabilis*.

DECRETALIVM LIBER I.
DE OFF. IVD. Tit. XXXII.

492 *Cap. I.* Ex litteris. *Honor. iij.*

IVdex potest dare aduocatum aliquem, de suis domesticis parti, quæ non potest habere aduocatum.

Glos. Aduocatus datur officio Iudicis, etiam de sua familia, sed hoc erat verum, quando salaria erant de publico constituta, nunc quilibet sibi prouidet, exceptis miserabilibus personis.

493 *Cap. II.* Iudicis. *Greg. ix.*

QVando pro principali actione imploratur officium Iudicis, v.g. cùm petitur principaliter restitutio in integrum, tunc exposcitur contestatio litis, alias potest haberi recursus ad officium Iudicis, sine litis contestatione. *Vide Glos.*

DECRETALIVM LIBER I.
DE MAIORITATE ET obedientia Tit. XXXIII.

494 *Cap. I.* Cum certum. *Gregor.*

PRimo ordinatus habetur prior, & maior in honore.

Glos. Qui prior est tempore, potior est in iure. Item nisi posterior sit ordinatus à maiori.

495 *Cap. II.* Si quis.

QVi non obedit decreto Episcopi, est excommunicandus.
Glos. Id est iusto decreto.

496 *Cap. III.* Legebatur. *Leo.*

CLericus qui sponte obedit, non est necesse, vt scripto, vel iuramento spondeat obedientiam Episcopo.
Glos. Secus de curatis.

497 *Cap. IV.* Omnes. *Clem.iij.*

OMnes de Diœcesi, etiam Princeps debent obedire Episcopis. *Glos.* Rex si habet multos Episcopos in suo regno, tractabit suas causas coram Episcopo, in cuius territorio habet larem regalem; & decimas soluat Episcopo, in cuius territorio sunt prædia, alias vbi audit diuinum officium, & si in multis locis audit, proportionaliter diuidat.

498 *Cap. V.* Illud Dominus. *Innoc.iij.*

NOn obediens Apostolicis canonibus incurrit notam inobedientiæ.
Glos. Id est infamiam.

499 *Cap. VI.* Solitæ.

IMperator præcellit illos etiam Episcopos, qui ab eo accipiunt temporalia, sed Episcopus præcellit in spiritualibus, quæ sunt potiora: & de sacerdotibus intelligitur illud Hiere. 8. *Ecce constitui te super gentes, & regna*: & dignitas pontificalis est luminare maius quod præest diei, minus est regalis, quod præest carnalibus. Item Episcopus non debet sedere iuxta scabellum pedum in sinistra parte Imperatoris, sed Imperator ei insurgat, & assignet venerabilem sedem iuxta se. Item exponitur illud Petri, *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue regi quasi præcellenti.*
Glos. Imperator, & laici, alij non habent potestatem in clericos, quia non sunt eorum curæ commissi, sed Papæ.

500 *Cap. VII.* Per tuas.

ORdinatus subdiaconus à Papa, non eximitur ab obedientia Episcopi, sed ei inter alios ab Episcopo defertur ob reuerentiam Papæ.
Glos. Talis subdiaconus in aliquibus præfertur, non tamen ijs qui

ſunt in maiori ordine. Item propter crimen veriſimile eſt, quod non poteſt deponi ab Epiſcopo.

501 *Cap. VIII.* Inter quatuor.

QVando agitur de obedientia, vel ſubiectione, nihil eſt attendandum in præiudicium rei, vel poſſeſſoris, antequã citentur. *Gloſ.* Contra abſentem non citatum, non conuictum, vel confeſſum, non eſt procedendum. Item qui eſt in poſſeſſione obedientiæ, eſt conueniendus, etiam non ſubditus, & ſententia antequam citetur, & ſit contumax per abſentiam, non tenet. Item reſcriptum præcipiens aliquid fieri abſente altera parte, & non per contumaciam, non tenet.

502 *Cap. IX.* Quod ſuper.

ABbates, & ſacerdotes Epiſcopo ſubditi, poſſunt compelli ab Epiſcopo per cenſuras, vt ad ſynodum diœceſanam veniant. *Gloſ.* Abbates, habentes populos, tenentur venire, non habentes non tenentur, niſi vocati ex rationabili cauſa. Item exempti, qui populos non habent, non tenentur.

503 *Cap. X.* Cum in eccleſijs.

PRior poteſt excommunicare canonicos regulares, ſibi inobedientes: & ſi à Papa, vel ab alio abſoluuntur, debent præſtare iuramentum de obediendo ſuo ſuperiori, & ſi ſunt incorrigibiles, expelli debent de conſortio fratrum.

Gloſ. Prior poteſt excommunicare. Item à contumaci poteſt exigi iuramentum de obedientia. Item literis prælatorum creditur, in præiudicium aliorum. Item excommunicati debent abſolui præſtito iuramento. Item à periurio iterum exigitur iuramentum. Item inobedientes debent expelli à monaſterio.

504 *Cap. XI.* Is qui. *Honorius iij.*

CAppellani eccleſiæ titularis alicuius Cardinalis, exhibeant obedientiam, reuerentiam, & honorem Cardinali: idem faciant presbiteri, & clerici. Item pro ſcrutinio, baptiſmo, & capitulo, celebrandis ſuis temporibus conueniant ad eccleſiam. Item recipiant humiliter correctionem Cardinalis, ſeruent excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum, quæ Cardinalis fert contra ipſos vel eccleſiam. Item ſi moriatur Cardinalis, dum vacat eccleſia, capitulum ſuccedit, ſed ſolus Papa corrigit, excommunicat, ſuſpendit, interdicit.

Gloſ.

Glos. Contra obedientiam erga Prælatum non est præscriptio. Item capitulum Sede vacante potest excommunicare. Item excommunicatum à prædecessore, absoluit successor, sed exigente necessitate capitulum potest.

505 *Cap.* XII. Dilecta.

Licet Abbatissa suspendat, intellige de suspensione, quæ non est censura, est peccatum mortale non obedire.

Glos. Mulier potest habere aliqualem iurisdictionem non plenam, sicut vir; & Abbatissa potest suspendere ab officio, & beneficio, Monachos, & Clericos sibi subditos inobedientes. Item potest administrare temporalia, & spiritualia, & sic conferre ecclesias, & beneficia, & instituere clericos in ecclesijs sui monasterij, sed non potest excommunicare, nec suspendere ab officio, nec interdicere, quia hoc est clauium, quæ non sunt datæ fœminæ, sed viro.

506 *Cap.* XIII. Dilecti. *Greg. ix.*

Metropolitanus non potest exigere iuramentum à suffraganeo, vltra formam canonicam, & si exigat, non tenetur iurare, & si iurat, iuramentum non tenet.

Glos. Vbi quis videt sibi præiudicium generari, potest appellare. Item iuramentum non extenditur ad ea, quæ de iure præstanda non sunt. Item de forma canonica iurandi, vide ***de iure iurando, cap. ego enim***, & 22. ***quæst.*** 5. forma & consuetudo contraria non valet.

507 *Cap.* XIV. Cum olim.

Sede vacante capitulum confirmat electiones Abbatum vice episcopi.

Glos. Sede vacante capitulum potest confirmare electionem, sed non potest dare licentiam alicui, transeundi ad aliam ecclesiam, nec potest conferre beneficia.

508 *Cap.* XV. Statuimus.

Qui est in maiori ordine, quamuis sit posterius receptus, præfertur alijs loco, & portione: & sic presbiter vltimo receptus præfertur diacono, & hic subdiacono, & hic acolitho, & sic de ceteris; & etiam faciet maiora seruitia.

Glos. Illi reputantur maiores, & digniores, qui sunt in maiori ordine constituti, etiam in præbendis, & stipendijs: sed standum

est consuetudini, vel illius ecclesiæ, vel si non est, vicinarum. Idem de seruitijs ad inuicem faciendis: vide ibi.

509 *Cap. XVI.* Cum inferior.

SI aliqua ecclesia posita in iurisdictione alicuius archidiaconatus erigitur in episcopatum, statim eximitur à iurisdictione archidiaconi; & archiepiscopus erigens in cathedralem, recompensat iurisdictionem archidiaconi, in sua diœcesi, vel prouincia, sine præiudicio tertij.

Glos. Requiritur licentia Papæ, aliter non potest. Item Papa non intendit per suas litteras alijs præiudicium generare.

510 *Cap. XVII.* Humilis.

QVando est quæstio inter duos archiepiscopos; Quis eorum sit primus, & Papa aliquid determinat; ante publicationem huius determinationis, requiritur consensus prælatorum, & capitulorum vtriusque partis, & capituli alterius, & si consentire nequeant, compareant prælati personaliter, capitula per procuratores, coram Papa ad dicendum ius; & si succumbant, soluant expensas parti.

Glos Quia vna pars habebat intentionem fundatam, ideo condemnatur alia ad expensas. Item quando res alios tangit, eorum consensus requiritur. An omnes præsentes sint vocandi, & qui dicantur præsentes ad componendum, vel litigandum, vide ibi. Item cum personaliter quis citatur non potest comparere per procuratorem, cum simpliciter citatur potest: sed si causa est ardua, non compellitur mittere procuratorem, sed debet destinare nuntium, ad allegandum causam, quare ipse venire non possit. Item delegatus apostolicus non potest iubere, vt personaliter compareat, nisi necessitas iuris exigat, vt in causa criminali, vel pro iuramento calumniæ dando, &c. & nisi specialiter habeat in mandatis, sed Papa potest.

IN SEXTO LIBER I.

DE MAIORIT. ET OBED.

Tit. XVII.

511 *Cap.* Episcopali.

CApitulum sede vacante, vel qui pro eo tempore habet episcopalem iurisdictionem, potest absoluere ab excommunicatio-

tione eos, quos poterat episcopus, nisi Papa hoc eis interdicat.

Glos. Sede vacante capitulum succedit episcopo in administratione iurisdictionis episcopalis. Idem, si episcopus sit captus à paganis.

EXTRAVAG. IOAN. XXII.

DE MAIOR. ET OBED. Tit. II.

512 *Cap.* Ecclesiæ.

IN Tuscia, Sabina, terra Arnolphi, nemo præsumat eligere officialem, nec electo obedire, sine facultate Sedis Apostolicæ. Si autem ciuitas, vel persona particularis, habet ius eligendi, electus non est censendus officialis, nisi postquam sit confirmatus à Sede Apostolica; si secus fiat, est irritum.

Glos. Hic textus loquitur de terris, vbi ius talia faciendi competit Papæ, vel suis officialibus. An de iure communi, iudex electus ab vniuersitate, debeat à superiore confirmari; vide ibi.

EXTRAV. COMMVN.

DE MAIORIT. ET OBED.

513 *Cap.* Vnam sanctam. *Bonif. viij.*

ECclesia sancta, catholica, & apostolica, est vna, extra quam non est salus, cuius caput Christus, Christi vero Deus, & Christi Vicarius solus Petrus, & Petri successor, sub cuius cura qui non sunt, non sunt de Grege Christi. In hac ecclesia, seu in potestate illius, est duplex gladius; primus est spiritualis, qui est in manu sacerdotis, & exercetur ab ecclesia; secundus temporalis, in manu Regum, & militum ad nutum, & patientiam sacerdotis, qui exercetur pro ecclesia: & secundus gladius est sub primo, & non est potestas nisi à Deo, & quæ sunt à Deo, ordinata sunt: vnde secundus iudicatur à primo & qui exercet primum, iudicatur à Papa: sed Papa à nemine nisi à Deo: & prima potestas est à Deo de iure diuino. Et tandem declarat esse de necessitate salutis, credere omnem humanam creaturam subesse Romano Pontifici.

Glos.

Glos. Non tamen habet dominium omnium rerum temporalium.

514 *Cap.* Vt Prælatorum.

EPiscopi, & superiores prælati, sine causa rationabili, mutato habitu, non discurrant extra suam diœcesim, vel ciuitatem indiscretè; similiter non veniant Romam latenter mutato habitu, sed presentent se Romano Pontifici, nec recedant sine eius licentia, si secus, sunt excommunicati: similiter sunt excommunicati qui eos receptant, & non manifestant eos Papæ.

515 *Cap.* Et si deceat.

NVllus præsul sine sui superioris licentia audeat pernoctare extra suam diœcesim, nisi negocijs suæ ecclesiæ. Item quicunque episcopus Romam venerit, primum palatium visitet papale, exhibiturus reuerentiam Papæ, si detur opportunitas, nec recedat à curia, nisi super hoc petita, & obtenta licentia à Papa: qui secus fecerint, sunt excommunicati, & habentur vt infideles, tum ipsi, tum etiam receptores, si non significauerunt aduentum illorum.

DECRETALIVM LIBER I.

DE TREVGA, ET PACE.
Tit. XXXIV.

516 *Cap.* Treugas. *Alex. iij.*

DEsignat tempore treugæ, & imponit excommunicationem.

Glos. Hic canon non habet vim, quia nunquam fuit receptus.

517 *Cap.* Innouamus.

TEmpore belli gaudent securitate, presbiteri, monachi, peregrini, mercatores, agricolæ, & animalia.

EX-

EXTRAV. COMMVN.

DE TREVGA, ET PACE. Lib.I.

518 *Cap.* Ad vniuerſalis.

SIxtus Quartus concedit ſex menſes, ideſt Feb. Apil. Iun. Auguſt. Octob. Decemb. in quibus Prælati conferant beneficia, tunc vacantia, niſi iure, vel per Benedictum octauum, & Io. xxij. vel per ſuas regulas cancellariæ aliqua clauſula generali, fuerint reſeruata Papæ: excipit tamen aliquas perſonas particulares, quæ habebant expectatiuas. Item conferant modo prædicto beneficia intra ſex menſes, quæ habent promouendi. Item beneficia notariorum, Sedi Apoſtolicæ reſeruantur. Item cauſæ beneficiales, in prima inſtantia terminentur, in partibus, vſque ad definitiuam inclusiuè, ante quam non licet appellare, niſi à grauamine, & interlocutoria extra negotium principale, quod non poſſit reparari, per appellationem a definitiua; in alijs inſtantijs tractentur, in curia Romana cauſæ beneficiales cõmenſalium Cardinalis alicuius expediantur à iudice deputando. Item eadem cauſa, diuerſis reſpectibus, poteſt tractari in diuerſis curijs, vt reſpectu poſſeſſorij, & petitorij, ſed prius de poſſeſſorio. Item iudices prolongantes lites, excommunicantur excommunicatione reſeruata Papæ. Item taxæ beneficiorum Io. xxij. quæ ſunt in cancellaria, ſunt ſeruandæ. Item iſtæ literæ, ſi non fuerunt receptæ intra octo menſes, nil valent.

Trid. ſeſſ. 24. ref. 19

Trid. ſeſſ. 24. Ref. 20.

519 *Cap.* Vices illius.

COnfirmat concordiam factam in Germania inter parochos, & mendicantes, & addit pœnam excõmunicationis; ideſt ne parochi non dicant hæreſes manaſſe à mendicantibus, & mendicantes non dicant, nec prædicent populos non teneri audire miſſas in eadem parochia diebus feſtiuis, cum hoc ſit iure cautum, niſi iuſta cauſa excuſaret. Item neutri inducant ad eligendum ſepulturas, in ſuis eccleſijs, quia eſt contra canones. Item mendicantes non prædicent populos non teneri confiteri ſaltem in Paſchate ſuis parochijs, cum ſit iure cautum; & mendicantes poſſunt ex priuilegio audire confeſſiones. Item conueniant in pulſandis campanis, & horis, & non ad inuicem detrahant.

Trid. ſeſſ. 21.

DECRETALIVM LIBER I.

DE PACTIS. Tit. XXXV.

520 *Cap. I.* Antigonus.

PACTA etiam nuda feruanda funt.

Glof. Cuftodiantur fi fint facta fine dolo, & fraude fecundum leges, & non fint contra bonos mores, nec contra falutem æternam. Item nudum pactum obligat in conſcientia, quamuis non in foro exteriori.

521 *Cap. II.* Quoties.

DVorum fubditorum conuentio, feu pactum, alias nullum, adueniente confenfu, vel ratihabitione fuperioris, omnino confolidatur.

Glof. Ratihabitio retrotrahitur, & æquiparatur mandato, fi pactum tale fuit, quod fuperior ratum habens, potuerit ab initio concedere, vel mandare, alias non æquiparatur mandato; fallit tamen in filia, quæ nubit tempore luctus, & in pupillo, cum in ipfo negocio confenfus tutoris requiratur. Item confirmari debet cum caufæ cognitione ipfum pactum, nec vllo modo fufficit confirmatio, in forma communi.

522 *Cap. III.* Qualiter. *Alexand.*

STudeat iudex, vt ea, quæ promittuntur, opere compleantur.

Glof. Verba etiam intelligenda cum effectu.

523 *Cap. IV.* Cum pridem.

PActum de cedendo liti beneficij,& de aliquid accipiendo,etiam pro expenfis factis, eft illicitum, & fimoniacum.

Glof. Nota, quod qui renunciat inftrumentis, intelligitur renunciare liti. *Obiectio*. Compofitio fuper decimis facta, eft licita, *tit. de decimis, cap. ex multiplici*,ergo & hic. Refpondetur,ibi fuit compromiffum in iudicem, vel amicabilis fuit compofitio,hic vero fuit tranfactio.

Glof. Ad redimendam vexationem, licet dare aliquid alicui, quando illi qui accipit nullum ius competat. Item Papa poteft difpen-

spensare in his, quæ simoniaca sunt, quia prohibita; non in sacramentis, cum sint prohibita, quia simoniaca.

524 *Cap. V.* Accepimus.

REuocandæ sunt ecclesiæ concessæ cum pacto, quod post mortem accipientis, alij nominati succedant, tanquam iniquæ, & contra ius, ita vt nec admittatur appellatio. Nota quod successiones in ecclesijs, & beneficijs sunt prohibitæ in iure.

525 *Cap. VI.* Cum Clerici.

QVi ecclesiam consecutus est mediante promissione pensionis maioris solito soluendæ conferenti beneficium, est priuandus ecclesia, sine appellatione, & puniendus seueritate ecclesiastica.

Glos. Nota quod pensio antiquitus constituta, non debet augeri.

Glos. Pactum prædictum, de dando maiorem pensionem pro obtinenda Ecclesia, quamuis iuratum non valet, *cap. tua nos, de iureiur*,

Glos. Pensiones. Si bona ecclesiæ sunt augmentata diligentia clericorum, non est augenda pensio; si aliunde, est augenda; arg. *cap. quanto, in fin. de censibus*.

526 *Cap. VII.* Plerique. *Innoc. iij.*

CVm Ecclesiæ locant domos, vel prædia, vel infeudant cum pacto præiudiciali, Ecclesiæ parochiali, quod verbi gratia soluant decimas eis, vel apud eos eligant sepulturas, pactum reprobatur tanquam nullum, & quicquid habuerunt occasione huius pacti, restituatur ecclesiæ parochiali.

Glos. Nota quod pactum factum in præiudicium alterius, ei non nocet. Item parochia potest agere contra regulares, vel seculares clericos, vt ei reddant quod perceperunt occasione talis pacti, imo potest etiam agere contra possessores, argum. *cap. apostolicos 12. quæst. 2.*

527 *Cap. VIII.* Pactiones. *Greg. ix.*

PRo spiritualibus habendis, omnis pactio, & conuentio debet cessare, nec sunt alicuius momenti: idem dicendum in alijs rebus, quando pactum est contra salutem animæ. Item pactum turpe, vel rei turpis, vel impossibilis, de iure, vel de facto nullam obligationem parit.

Glos. Debet cessare pactum illicitum in spiritualibus, vel tacitum, vel expressum, sunt enim simoniaca, *cap. per laicos 16. q. 7.*

Item

Item turpe pactum, vel turpis rei, vt si quis permittat se facturum homicidium, vel sacrilegium, non tenet, *§. quod turpi inst.* nec tenet pactum continens turpem causam, vt ne faciant furtum; *l. si vnus. §. pacta. ff. eod.* Item dicitur pactum turpe, quod est quidem de re licita, sed per pactum fit illicita. Item pactum de re impossibili, via naturali, vel per humanum commercium est nullum, *instit. de inutil. stipul. in princ.* Item generaliter quodlibet aliud pactum contra leges, vel contra bonos mores, est nullum, *l. pacta qua, C. de pact.*

IN SEXTO LIBER I.

DE PACTIS. Tit. XVIII.

528 *Cap. I.* Pactum. *Bonif. viij.*

Regulares habentes priuilegium à Papa sepeliendi quoscunque in sua ecclesia, si pactum faciunt cum parocho non sepeliendi certos, vel omnes de parochia, debent seruare pactum, quia per pactum derogatur indulto.

Glos. Secundum vnum sensus, pactum valet etiam si fuit ante priuilegium. Item ius sepulturæ, regulariter pertinet ad solas Parochias, ex priuilegio ad alios, & quando etiam dicitur liberum esse eligere sepulturam, intelligitur de similibus ecclesijs. Item Priuilegiati non possunt sepelire eos, quibus est interdicta sepultura. Item licet hoc pactum valeat, tamen non valet pactum etiam iuratum parochiani eligendi sepulturam in tali loco, vel non dimittendi electam.

529 *Cap. II.* Quamuis.

Pactum factum patri à filia dum traditur nuptui, quod dote contenta, non habebit regressum ad bona paterna, secundum leges non valet, & reprobatur; sed si est iuratum sine vi & dolo, & detrimento alterius, tenet, & est seruandum.

Glos. Nemo Potest renunciare futuræ successioni. Item episcopus non potest dispensare in iuramento filiæ super pacto.

530 *Cap. III.* Qui ex eo.

Pacta mendicantium, & compositiones factæ à prioribus vel guardianis, cum consensu suorum conuentuum cum prælatis,

pitulis, vel rectoribus ecclesiarum super iuribus parochialibus, vel alijs quibuscumque articulis, sunt seruanda à successoribus, etiã si non sint confirmata à prouincialibus, vel generalibus, vel à sede apostolica, si fuerint licita, & honesta.

Glos. Hoc cap. habet locum in laicis, maxime, si pacta non disponant de alienatione iurium, sed tantum modificent praecedentes contractus.

DECRETALIVM LIBER I.

DE TRANSACT. Tit. XXXVI.

531 *Cap. I.* Sicut graue. *Greg. iij.*

QVANDO sit transactio in aliqua quaestione, omnia scripta, priuilegia, vel consuetudines, quae in illa causa parti fauere possent, non habent robur, sed solum standum est transactioni, vel pacto, in quo si aliquid missum fuerit, à Papa suppletur sua auctoritate.

Glos. Nota quod infirma per confirmationem Papae recipiunt firmitatem. Item instrumenta nouiter reperta infringunt transactionem, nec litem restaurant, *l. sub praetextu C. eodem*. Item transactio specialis non obest in alijs specialibus. Item transactio generalis in iure tenet; sed si interuenit dolus, rescinditur, *l. tres fratres. ff. de pactis*. Item transactio, vel pactum, ab initio inualidum, per confirmationem Papae sumit vigorem, arg. *cap. quoties. supra de pact.*

532 *Cap. II.* Statuimus. *Alex. iij.*

COmpositio super decimis facta cum consensu ordinarij, tenet.

Glos. Transactio habet locum in decimis, & hoc quando datur spirituale pro spirituali, & non temporale, quia esset simonia, *cap. super eo, in fin. eod.* Item vtrum laicus possit transigere de re spirituali, dicitur quod non, quia sine animarum periculo nec possunt laici aliquid retinere spirituale, *cap. probibemus, infra de iure iuran.*

533 *Cap. III.* Contingit.

ABbas constitutus simpliciter ad agendum non potest transigere sine licentia capituli; si vero præter mandatum procuratorium ad agendum habeat litteras de rato à capitulo, id est quod quicquid super tali negotio egerit, ratum habebit, tunc potest transigere, & multo magis, si habuit simplex mandatum transigendi. Item si sine mandato de rato transigeret secundum formam iuris, post quadriennium, rescindi non potest, quia dum capitulum etiam transactionem obseruat, consentit; ante quadriennium potest rescindi, si ecclesia est læsa. Hodie cessat dubium per *c. 1. & 2. de in integ. rest. lib. 1.* & *c. ab ecclesia, in Clem. eod. tit.*

534 *Cap. IV.* Constitutus.

IN beneficijs transactio, etiamsi præcessit iuramentum, fieri non potest, continet enim simoniæ speciem.

Glos. Nec potest fieri in spiritualibus. Item transactio iurata non valet, quia principale trahit accessorium, non contra. Item causa auditur in fauorem Iudicis.

535 *Cap. V.* De cetero.

QVando duo rectores duarum ecclesiarum litigant, & vnus impetrat litteras à Papa, ad extraordinarium, vt ad legatum, si componit cum aduersario, vel fiat transactio, vt habeat aliquod ius, vel censum in ecclesia: si compositio non est contra ius, non est ab episcopo reprobanda, sed census non durat vltra vitam soluentis.

Glos. Textus loquitur, quando fit ex prouisione Iudicis, officio proprio, & non ex pactione partium, quia esset simonia.

536 *Cap. VI.* Ex litteris.

QVi est mediator, vt in beneficio fiat transactio, idest amicabilis compositio, & deinde impetrat idem beneficium, nihil dicens se fuisse mediatorem, litteræ impetratæ non valent: sic si non est tonsuratus, & dicit se tonsuratum, & impetrat, nulla est impetratio, licet deinde accipiat tonsuram.

537 *Cap. VII.* Super eo.

SVper re sacra litigiosa non potest fieri transactio, nam dare, vel recipere, vel permittere, vt res sacra recipiatur, habet speciem simoniæ; possunt tamen litigantes, amicabiliter, & gratis conuenire inter se.

Glos.

Glos. Not. si agatur de re spirituali, tanquam de beneficio, idest quæ petitur vt beneficium, tunc non potest fieri transactio; si vero petatur tanquam proprietas, tunc potest fieri transactio, vt si duo Episcopi litigarent, cui nam aliqua ecclesia sit subiecta. Item si in lite esset euidens calumnia, vel causa esset finita, nō potest transigi.

538 *Cap. VIII.* Veniens.

TRansactio facta à Prælatis, sine superioris auctoritate, v.g. Papæ super decimis, est tantum personalis, & non obligat successores, & si quid deinde acceperunt, tenentur restituere.

Glos. Factum antecessoris non præiudicat successori in rebus ecclesiæ. An confirmatio Papæ transactionem personalem faciat realem, vide ibi.

539 *Cap. IX.* Præterea. *Lucius iij.*

TRansactio super iure præsentandi cum aliquo commodo temporali, est simoniaca: vt inter laicos, & religiosos, si accipiant maiorem, vel nouam pensionem, est simoniaca. Item ius Patronatus est spirituale.

540 *Cap. X.* Præterea. *Calestinus iij.*

SVper subiectione spirituali debita alicui, v.g. ecclesiæ Matrici, non valet transactio, quia est simoniaca.

Glos. Confessus in iure, pro conuicto habetur. Item an confessio capituli præiudicet Prælato? non; nisi sit sindicus, vel in animam suam vel suorum. Item possunt amicabili compositione multa remitti, & non est simonia, si remittens nil lucratur. Item contra subiectionem nō præscribitur, nec super ea fit amicabilis cōpositio.

541 *Cap. XI.* Ex parte tua. *Honorius iij.*


IVdex potest interponere suas partes, ad transigendum, vel componendum, exceptis casibus in quibus iura id non permittunt, sine dispensatione, vt in matrimonio: sed in alijs, in quibus ius non reperitur expressum, potest, & tunc declinet semper mitiorem partem, prout personæ, causæ, loca, & tempora petunt.

Glos. Iudex primo debet laborare, vt componat. Item vbi ius non inuenitur, est seruanda æquitas. Item Iudex debet declinare in humaniorem partem.

DECRETALIVM LIBER I.

DE POST. Tit. XXXVII.

542 *Cap. I.* Clerici.

Conc.Lat. 

Lerici in minoribus, vel maioribus, si sustententur stipendijs ecclesiæ, non possunt esse aduocati coram seculari Iudice, in negocijs sæcularibus, nisi prosequantur propriam causam, vel suæ ecclesiæ, vel pro personis miserabilibus, quæ proprias causas tractare non possunt.

Glos. Clericus in minoribus, si non habet stipendia ecclesiæ, potest aduocare in ciuilibus, non in criminalibus coram sæculari Iudice. Qui est in maioribus, non debet postulare, & si fuit ordinatus sine titulo, Episcopus prouideat, sed inædia cogente potest. Item regularis non potest.

543 *Cap. II.* Ex parte. *Innoc.iij.*

Trid. sess. 22. Ref. 1. IVra, quæ prohibent monachos aduocare, intelliguntur etiam de Canonicis regularibus, & sic non possunt etiam in negocijs ecclesiasticis, nisi vtilitas monasterij cum mandato Abbatis hoc postulet.

Glos. Regulares; & Monachi, quo ad sæcularia eodem iure vti debent.

544 *Cap. III.* Cum sacerdotis. *Greg.ix.*

SAcerdos non potest aduocare, nisi pro se ipso, vel ecclesia sua, vel in necessitate, pro coniunctis, vel miserabilibus. Item clericus, qui præsumit esse aduocatus, vel procurator contra ecclesiam, à qua beneficium habet, tanquam ingratus, potest priuari beneficio, præsertim si sit clericus eiusdem ecclesiæ.

Glos. Ingratus potest priuari beneficio accepto ab eo, contra quem est ingratus. An si Clericus habeat beneficium in duabus ecclesijs, possit postulare pro vna contra aliam; & quid si esset Episcopus, habens beneficium simplex in alia ecclesia? nota ibi.

DE-

DECRETALIVM LIBER I.

DE PROCVRAT. Tit. XXXVIII.

545 *Cap. I.* Alia quidem. *Greg.*



ROCVRATOR alterius debet habere mandatum legaliter factum, subscriptum à testibus, aliter non auditur, & quicquid per eum fit, non valet.

Glos. Sine consensu capituli non admittitur ad agendum. Item quando dubitatur de mandato, debet cauere de rato. Item mandatum tria debet continere, nomen mittentis, causam, & quod ratum habebit factum. Item capitulum sine Prælato, & Prælatus sine capitulo, non potest conuenire, nec conueniri.

546 *Cap. II.* Querelam. *Alex. iij.*

SEntentia, etiam condemnatoria expensarum ex eo, quia tempore statuto non comparuit, si per nuntios se excusabat, cum causa probabili, v.g. infirmitatis, non tenet: quia in grauibus causis nemo potest cogi constituere procuratorem, nisi velit.

Glos. Qui statuto tempore non comparet, potest condemnari ad expensas partis, si non probat probabile impedimentum. An pro prima contumacia sit quis condemnandus ad expensas? vide ibi. Item delegatus non potest iubere alterutram partem, comparere coram se personaliter, nisi sic habeat in mandatis specialiter, sed tantummodo in certis casibus.

547 *Cap. III.* Ex insinuatione. *Clem. iij.*

SI falsus procurator, vt quia præsentibus testibus fuit reuocatus, tractat causam, & illam perdit, sententia lata est nulla, & possessio restituitur Domino, si constet per iuramentum Domini, & vnius testis, quod procurator fuerit reuocatus.

Glos. Probare quis debet suam institutionem, si reuocetur in dubium. Item an iuramentum vnius testis probet. Item an quis teneatur probare titulum suæ possessionis.

548 *Cap. IV.* In nostra. *Innoc. iij.*

PRocurator reuocatus, & de hoc certificatus, sciente parte aduersa non pot. st rescripta à Papa obtinere, nec curare sententias, & si fiant sunt irrita.

Glos. Exceptio falsi procuratoris ante, & post sententiam opponi potest. *Glos.* Item si Iudex ignorabat reuocationem, & protulit sententiam, vide ibi.

549 *Cap. V.* Tuæ fraternitati.

MAritus coram Iudice sæculari, si vult accusare de adulterio, pro pœna legali, debet id facere personaliter, & non per Procuratorem, quia tenetur ad pœnam talionis. Si coram Iudice ecclesiastico pro reparatione thori, potest per procuratorem, quia non debet se obligare ad pœnam talionis, ne per fraudem consequatur intentum: & hæc accusatio de crimine non est pure criminalis, sed mixta inter ciuilem, & criminalem. hoc tamen debet fieri cum causa, nam præsentialiter securius proceditur.

Glos. Nota quod in causa criminali, vbi agitur criminaliter, non interuenit Procurator; at vbi ciuiliter, sic. Item in libello accusationis debent esse quæ sunt in his versibus.

Consul, mense, die, coram Prætore professus,
Te deferre Reum, crimen, loca, pone sodalem.
Et licet hora, dies, non mensis prætereatur.

550 *Cap. VI.* Cum pro causa.

QVi de mandato alicuius aliquam causam, vel negocia procurauit, potest repetere à mandante expensas factas ob causam.

Glos. Nota quod qui fecit expensas in procuranda vtilitate ecclesiæ sine mandato capituli, si res habet effectum, recuperabit expensas; si non habet effectum, non recuperabit, nisi capitulum mandauerit.

Glos. Propter hoc Procurator, qui alias esset iturus ad Curiam, non recuperat expensas factas, nisi quatenus plus expendit, ob longiorem moram, *l. ex parte ff. famil. ercifcum.*

551 *Cap. VII.* Quia in causis. *Innoc. iij.*

VNiuersitas potest constituere Procuratorem, ad agendum vel respondendum.

Glos. Dominus iurat de calumnia, non Procurator. *l. 2. §. sinunt.*

ff. de

ff. de iuram. calum. nisi habeat speciale mandatum ad hoc, *l. vlt. ff. de iuram. calum.*

552 Cap. VIII. Auditis. Honor. iij.

PApa cassans processus principalis, consequenter cassat omnia illius consecutiua. Item reuocatio mandati, antequam perueniat ad procuratorem, non obstat, vt quicquid interim fit valeat. Item reuocans procuratorem in contemptum sedis Apostolicæ, & in præiudicium aduersarii, condemnatur ad expensas factas ab aduersario. Item post conclusionem in causa, reuocatio mandati non tenet.

Glos. Reuocatio mandati debet peruenire ad procuratorem, vel aduersarium, vel Iudicem; aliter acta tenent. Item si tempestiuè reuocatio fuerit facta, sed non ostensa Iudici, vel parti, acta tenent. Item si fuit ostensa Iudici, sed post processum factum; Iudex non obstante reuocatione, potest ferre sententiam contra absentem. sed si tempestiue reuocatio fuit ostensa Iudici, quicquid deinde fit à Iudice, non valet. Item sententia condemnatoria de futuris expensis prolata tenet, licet sententia quantum ad futuras expensas, tanquam incertam continens quantitatem, nulla videatur. *l. hæc sententia C. de sent. quæ sine certa quantitate profer.* Sed in d. tex. vel dicitur, quia petita fuerat certa quantitas, vel species iure actionis: tunc enim sententia incerta non parit actionem rei iudicatæ. Hic vero sumus in expensis, quæ officio iudicis petuntur pro interesse ob contumaciam partis, ideo potest condemnari etiam ad expensas faciendas, quas postea suo sacramento declarabit: & sic taxatio fiet tunc, quando super expensis iurabitur. Respondetur, petitur officio Iudicis, non iure actionis.

553 Cap. IX. Petitio vestra.

SI ex consequentibus, vel antecedentibus apparet Dominum voluisse, vt aliquis agat, & respondeat pro ipso, potest is respondere, & agere, etiam si non vocetur in litteris actor, vel sindicus, vel procurator.

Glos. In dubio consideratur in mandato mens Domini mandantis, sed in contractu venditionis in dubio fit interpretatio contra venditorem, *l. habeo ff. de contrah. emptione.* Idem dic de alijs contractibus.

554 *Cap. X.* Accedens. *Greg. ix.*

COnstituens procuratorem debet esse in omnimoda libertate, non in potestate alterius, maxime in causa matrimoniali.

Glos. Nota quod qui agere, & respondere, vult non debet esse in potestate alterius.

555 *Cap. XI.* Dilectus.

PRocurator generalis ad omnia citatus, si petit inducias ad consulendum Dominum, num velit litigare, vel cedere; si induciæ denegentur, potest aepellare, & quicquid fit post appellationem, est irritum.

Glos. Induciæ ad deliberandum sunt arbitrariæ, secundum distantiam loci: induciæ ad appellandum non, sed decem dierum: induciæ condemnatorum in causa pecuniaria, sunt secundum consuetudinem loci.

556 *Cap. XII.* Constitutis.

QVando duo litigant, & reus sine licentia discedit, relicto procuratore solum ad agendum, & non ad defendendum, est contumax, & condemnatur ad expensas partis.

Glos. Procurator, qualis est relinquendus, vide supra in *cap. accedens*.

557 *Cap. XIII.* Mandato.

IVdicium agitatum, & factum, reuocato procuratore, si Iudex vel pars contraria nesciebat reuocationem, tenet.

Glos. Procuratorium quid debeat continere, quando debet constare omnino; caueat de iudicato soluendo, de cautione, de sindico, &c. vide ibi.

558 *Cap. XIV.* Non iniustè.

FIlius familias potest esse Procurator etiam ad lites futuras; & si est Procurator cum alio insolidum, causam prosequetur primo occupans; si aliter fit procurator posterior tempore primus cessat. Item potest appellare ad superiorem, vel admonere Dominum, vt appellet, licet non teneatur inuitus appellare.

Glos. Filius, etiam si esset minor, & sine mandato, admittitur tamen ad agendum, & defendendum pro patre suo.

559 *Cap. XV.* Consulti.

PRocurator missus ab vniuersitate, ad impetrandum aliqua, in qua maiores, & iurati per quos communitas regitur, erant excommunicati tempore electionis procuratoris; non est repellendus ab impetrando, si in litteris procurationis, excommunicati non sunt expressi, nec eorum auctoritate fuit electus procurator, nec cōmunitas sciens illos esse excommunicatos, vna cum eis eligit procuratorē.

Glos. Si excommunicatus pro alijs impetrat, litteræ non valent.

IN SEXTO LIBER I.

DE PROCVRAT. Tit. IX.

560 *Cap. I.* Non indiscrete. *Bonifac. viij.*

LAicus potest esse procurator ad agendum, & defendendum, in causis spiritualibus. Ratio: quia qui non prohibetur expresse à Procura, idoneus debet reputari. Item procurator post litem contestatam potest dare, seu substituere alium procuratorem; ante litem contestatam, non potest, nisi hoc habeat in mandatis à Domino, & nisi in rem suam, & in suam vtilitatem sit factus Procurator; sed procurator ad negocia potest quandocunque substituere alium procuratorem.

561 *Cap. II.* Quamuis.

DOminus ante litem contestatam, reuocare potest procuratorem: post litem contestatam, idest responsione facta in libello, ipso nolente non potest reuocare, nisi adsit iusta causa, vt si fiat inimicus Domini, vel suspectus, vel fiat affinis aduersarij, vel hæres, vel ingrediatur religionē, vel diu peregrinetur, vel carceratus, vel ægrotus, vel alia causa Verum licet aliter reuocare eum non possit, potest tamen Dominus adesse suæ causæ, maxime, si timeat de collusione.

Glos. Ingressus religionis tollit obligationem personalem, incōpatibilem religioni. Item suspicio est probanda. An reuocatio debeat peruenire ad notitiā partis, vel Iudicis, vide ibi, & *cap. mandatū.*

562 *Cap. III.* His qui.

PRocurator habēs potestatem substituendi, si aliquem substituit, non potest reuocare substitutum, nisi habeat etiam potestatem reuocandi, post mandatum acceptum, etiam si substitutus non

M 4 sit

fit vſus mandato; ſi vero erat procurator ad plures cauſas, & in vna ſubſtituit, in alijs remanet procurator.

Gloſ. Nota: ſuſcipere mandatum, non eſt vti mandato, nec inducit vſum iuriſdictionis. Item quare delegatus reuocat ſubdelegatum, re integra *cap. quamuis de officio deleg.* & procurator non. Item compromiſſarius datus ad eligendum, ſi aliquem eligit, & electus non vult accipere, non poteſt amplius eligere; procurator vero niſi acceptet mandatum, poteſt reuocare.

563 *Cap. IV.* Qui ad agendum.

PRocurator ad agendum, & defendendum, & generaliter ad omnia, quæ requirunt ſpeciale mandatum, non debet ex vi huius generalitatis admitti ad aliquem articulum, in quo requiritur ſpeciale mandatum; ſed ſi aliquis articulus exigens ſpeciale mandatum, fuit expreſſus cum clauſula generali, admittetur etiam ad non expreſſos. Item procurator ſine ſpeciali mandato, non poteſt deferre iuramentum, tranſigere, vel paciſci, niſi ei ſit libere conceſſa adminiſtratio bonorum, vel cauſæ ideſt in rem ſuam, vel propriam vtilitatem, vel ſi tamquam Dominus eſſet præſens.

Gloſ. Ponit multos caſus, in quibus requiritur ſpeciale mandatum. Item an valeat renunciatio caſuum fortuitorum.

564 *Cap. V.* Qui generaliter.

COnſtitutus ad negocia generaliter procurator poteſt agere, & expedire, ideſt defendere, exceptis caſibus, qui exigunt mandatum ſpeciale. Item filius familias poteſt fieri procurator ad negocia, & ad iudicia, etiam ſine conſenſu patris. Item poſt. 17. annum poteſt quis eſſe procurator ad negocia, ſed ad iudicia, & lites, non poteſt niſi poſt 25. annum.

Gloſ. Nomen, negocia, in Procuratorio extenditur ad iudicia, & extraiudicialia. Item filius familias qui eſt ſub cura alterius, non poteſt etiam ſuo proprio nomine in iudicio, ſine auctoritate patris, ſed nomine alterius poteſt eſſe procurator.

565 *Cap. VI.* Si duo.

SI duo procuratores conſtituantur ſimul, vnus ſine alio admitti non debet; ſed ſi ſunt creati inſolidum, præoccupans ita admittitur, vt alius non poſſit ſe intromittere; ſi vero fuit appoſitum, quod non ſit melior conditio occupantis, tunc ſi primus non proſequitur nec alium ſubſtituit, ſecundus admittitur; & ſi ceſſat impedimentum primi, primus non poteſt iterum ſe intromittere, niſi ſecundus

fit im-

ſit impeditus. Item in cauſis ſpiritualibus, ſi duo procuratores creentur non inſolidum, Iudex eligat meliorem, & alius non admittitur, niſi quando eſt occupatus ſine ſubſtitutione.

Gloſ. An qui miſit duos procuratores, & vnus negat, alter affirmat, ſit ſtandum alicui? reſpondetur, neutri.

566 *Cap. VII.* Licet is.

SI quis abſens conſtituit me procuratorem, & dixi me nolle acceptare mandatum mihi præſentandum, ſi abſens perſeuerat in eadem voluntate, adhuc ego poſſum acceptare.

Gloſ. Officium Procuratoris, perſonæ priuatæ eſt voluntarium, & non poteſt cogi quis ad id; ſecus quando eſt publicum & Regium. Item voluntas ſemel poſita, ſemper præſumitur eadem, niſi probetur contrarium.

567 *Cap. VIII* Si quem ſub.

QVando Dominus creat procuratorem pro tempore, & eſt abſens, ſi veniens Dominus proſequatur cauſam inceptam, non intelligitur reuocare procuratorem: ſed ſi creauit ſimpliciter, & deinde ipſe perſonaliter ſequitur cauſam, intelligitur reuocaſſe, niſi proteſtetur eum non reuocare, vel aliunde conſtet intentio, quod non eum reuocet.

Gloſ. Supra cap. 2. poſt litem conteſtatam procurator non poteſt reuocari, ergo: vide ibi.

568 *Cap. IX.* Procurator.

PRocurator ad contrahendum matrimonium debet habere mandatum ſpeciale ad hoc, aliter non eſt idoneus. Item talis procurator ad contrahendum non poteſt ſubſtituere alium, niſi hoc ſpecialiter habeat in mandatis. Item ſi Dominus reuocat procuratorem, & procurator poſtea contrahat matrimonium, eſt nullum, licet ipſe procurator, vel ſponſi neſciebant reuocationem.

Gloſ. An qui habet generale mandatum cum quibuſdam expreſſis, & clauſula ſubſecuta, poſſit contrahere? videtur quod ſic, *ſupra cap. qui ad agendum*. Reſpondetur quod non, quia illa clauſula generalis, concedit ſimilia expreſſis. Item an ſufficiat ſpeciale mandatum ad contrahendum, vel requiratur expreſſa certa perſona? videtur non requiri. *ſupra cap. primo*. Reſpondetur quod requiritur.

CLE-

CLEMENTIN. LIB. I.

DE PROCVRAT. Tit. X.

569 *Cap. I.* Instrumento.

QVando quis eligit procuratorem, & misit ei instrumentum, in quo cauet de iudicato soluendo, si procurator simpliciter, & scienter acceptat litteras, nulla facta protestatione, non potest retrocedere, sed tenetur, & potest cogi defendere reum.

570 *Cap. II.* Non potest.

PRocurator generaliter constitutus ad agendum, defendendum, iurandum de calumnia, vel veritate dicenda, & ad omnia, quæ speciale mandatum exigunt, non potest opponere in personam electi, vt crimina vel defectus, nisi specialiter hoc in mandatis habeat: quia cum illa generalitate non veniunt maiora vel grauiora, quam in procuratorio sunt expressa.

571 *Cap. III.* Religiosus.

SIne licentia superioris non potest esse procurator, nisi pro suo consorte in eadem lite, *cap. 2. de postulando*. nec potest accipere procuratorium ad substinendum alium, etiam si hoc habeat in mandatis.

Glos. Intelligitur Professus claustralis. Item licentia superioris debet esse in vtilitatem monasterij. Item de licentia Prælati, potest substituere etiam in casibus, in quibus sine licentia Prælati potest esse in iudicio.

572 *Cap. IV.* Procuratorem.

PRocurator constitutus à rectore Ecclesiæ, censetur reuocatus per mortem Rectoris, etiam quo ad inceptas causas, & lites contestatas.

Glos. An idem, si moriatur ciuiliter, an si fuit ad proprias causas. Item quid si erat creatus à Collegio, & mortui sunt omnes de Collegio, & alij subrogati? Vide ibi.

DE-

DECRETALIVM LIBER I.

DE SINDICO Tit. XXXIX.

573 *Cap.* Sicut studjj.

MOnasterium debet negotia forensia tractare per sindicum, soluto pretio: expedit enim pro paruo incomodo, à strepitu causarum seruos Dei esse quietos.

Glos. Hoc est consilium potius, quam præceptum.

DECRETALIVM LIBER I.

DE IIS QVÆ VI METVSVE causa fiunt. Tit. XL.

574 *Cap. I.* Perlatum. *Alex. iij.*



VI ex timore mortis, ab extrinseco incusso profitetur religionem non libere, nec postea ratum habet, potest egredi, & ducere vxorem.

Glos. Nota quod excusat etiam metus stupri, timor seruitutis, metus verborum, ex *gl. in ver. nisi forte inf. in cap. ad aures circa finem.* Item quod probatio fit per protestationem in initio. Item vxor si profitetur Religionem, cum consensu viri, votum tenet ex parte vxoris, & non mariti. Item in professione, si ab initio constat de metu, & sponte habeatur ratum, omne tenet, Idem dic in matrimonio.

575 *Cap. II.* Abbas.

QVi ob metum ne patrimonium amittat, renunciat suo beneficio, renunciatio non tenet, & potest illud repetere.

Glos. Nota quod tradita ob metum, ne suas res amittat, possunt reuocari iuramento, non obstate iactura; idest quando est magna iactura, licet iuramentum teneat.

Glos. Quæcumque ob metum promittuntur, vel fiunt, tenent sem-

ſemper, ſi tamen eorũ obſeruatio non ſit cum interitu ſalutis æternæ: quod ſi non ſit cum tali interitu, tenet quod factum eſt, vel eſt iuratũ, quamuis per officium Iudicis reſtituatur, quod datum eſt ex tali metu, vel abſoluatur à iuramento de dando, probato metu, niſi ſua culpa in talem metum inciderit: nam tunc non reſtituitur, exceptis tamen his caſibus. Si matrimonium ſit factum vel initiatum: ſecundo Dos promiſſa vel ſoluta: tertio traditio vel promiſſio rerum Eccleſiæ: quarto votum: quinto Iuriſdictio per metum extorta: ſexto auctoritas tutoris per metum extorta. Prædicta enim non tenent etiamſi culpa iurantis, vel promouentis, inciderit in metum cadentem in conſtantem virum. In omnibus alijs caſibus tenent facta per metum viri, dummmodo eorum obſeruatio non ſit contra ſalutem æternam.

576 *Cap. III.* Ad aures. *Clem. iij.*

Electus ad regimen Eccleſiæ alicuius, ſi terrore laicorum renunciauit Eccleſiæ, & non fuit confirmata renunciatio, iuramento vel fide, poteſt præfigi eidem Eccleſiæ.

Gloſ. Renunciatio in manu laici ſponte facta, licet non teneat quoad ipſum, tenet tamen quoad ſuperiorē, ideſt in arbitrio eſt ſuperioris. Item iuramentum, & fides æquiparantur, & ſeruari debent in his, quæ ſine interitu ſalutis æternæ ſeruari poſſunt; poteſt tamen recurri ad ſuperiorem, ideſt probato metu, implorari officium Iudicis.

577 *Cap. IV.* Ad audientiam.

Qui per metum cadentem in conſtantem virum, iurauit renunciare, & renunciauit, ſed non iurauit non repetere, poteſt repetere, & ſi probat metum, eſt ei reſtituendum beneficium.

Gloſ. Nota, quod iuramentum factum, eſt ſeruandum, ſi ſine periculo animæ ſeruari poſſit. Item non extenditur ad ea, de quibus non eſt præſtitum. Item metus eſt inſtantis, vel futuri periculi cauſa mentis trepidatio: nec ſufficit ſuſpicatio, quod fiet, ſed eſſe debet metus præſens.

578 *Cap. V.* Sacris.

Qui excommunicato communicat inuitus per coactionem, nõ eſt excommunicatus, quia potius patitur quam agat; qui vero per metum, eſt excommunicatus, quia metus licet attenuet, non tamen prorſus culpam excludit.

Gloſ. Poſſumus communicare excommunicato, in illis, quæ pertinent ad ſalutem animæ illius, licet alia incidenter proponantur.

Cap.

579 *Cap. VI.* Cum dilectus.

QVi vouit, vel iurauit aliquid, quod ſeruatum non vergit in diſpendium ſalutis æternæ, debet ſeruare, nec excuſat metus, qui non eſt mortis, vel cruciatus corporis, nec dolus, quo inducuntur ad bonum animæ.

Gloſ. Alij etiam metus excuſant, vt aliquando verborum, rerum, libertatis, Iudicis, ſtatus, honoris, vel ſui ipſius, vel filiorum, ſtupri; quandoque etiam ſuſpicio metus excuſat; & tandem cauſa metus, an ſit iuſta, eſt relinquenda arbitrio Iudicis, qui ſubeniat renunciaſti, *l. 3 ff. ex quibus cau. maior.*

580 *Cap. VII.* Super eo. *Greg. ix.*

QVi lite non conteſtata conqueritur coram Iudice ſpolij, quoniam ſe ſpoliatum per violentiam, ſi per teſtes probat violentiam, & per iuramentum ſuum res amiſſas; Iudex conſiderata qualitate perſonæ, & qualitate rerum, quod non facile deiuraret, poteſt illos rationabiliter condemnare.

Gloſ. Intereſſe conſurgens ex maleficio probatur per iuramentum, conſurgens ex contractu probatur per teſtes. *§. non ſolum inſtitut. de verb. obligat.*

IN SEXTO LIBER I.

DE HIS, QVÆ VI METVSVE cauſa fiunt. Tit. XX.

581 *Cap.* Abſolutionis. *Greg. x.*

REuocatio, vel abſolutio ab excommunicatione, ſuſpenſione vel interdicto, per vim vel metum exorta non valent, & qui inferunt vim, ſunt excommunicati.

Gloſ. In iure communi, quæ fiunt metu iuſto, ideſt cadente, tenent, *ſupra cap. Abbas*: quia voluntas coacta, eſt voluntas, licet poſſit à Iudice reſcindi, in iſto caſu ſimpliciter non tenet. Item canon loquens de præſenti cum verbo, omnino, inducit latam ſententiam. Item mandans, vel ratum habens violentiam, fit excommunicatus. Item ab hac excõmunicatione abſoluit ordinarius. Item in hãc incidit qui cõpellit excommunicatorem, ſub pœna amiſſionis rerum, vel

partis

partis rerum. Item qui cogit vano metu, & non timendo, non fit excommunicatus, nisi pro eo qui putatur iustus ad reuocandum.

DECRETALIVM LIBER I.
DE IN INTEGRVM RESTIT.
Tit. XLI.

582 *Cap. I.* Requisiuit. *Alex.iij.*


Vando in aliquo contractu, v.g. alienationis, ecclesia est hæsa, & detrimentum manifeste apparet, est reddenda in pristino iure, & proprietate, quia ecclesia habet priuilegium minoris, & Episcopus non potest eam deteriorare; restituendi tamen sunt laicis sumptus, & labores, quibus bona fide meliorarunt rem ecclesiæ.

Glos. Detrimentum debet esse magnum, & læsio enormis, *l. si ex causa ff. de minor.* Adde, Hospitale habere idem Priuilegium. *l. omnia C. de Epis. & cler.*

583 *Cap. II.* Cum venissent. *Innoc.iij.*

NOn præiudicat ecclesiæ, si eius Procurator, ex negligentia, non exhibet instrumenta, & iura ecclesiæ, & protestatio prodest: & si pendente lite fiat electio, talis electio non est confirmanda, nec infirmanda.

584 *Cap. III.* Auditis.

ECclesia læsa in probatione necessaria omissa potest petere restitutionem in integrum, idest quod iterum probet, non obstante quod terminus probandi sit elapsus: & hoc etiam si agat contra aliam ecclesiam, quia vtitur iure minoris.

Glos. In præscriptione ecclesiæ, contra ecclesiam non debet numerari tempus vacationis.

Glos. Ecclesia gaudet iure minoris, reipublicæ, Imperij, sed non pupilli, quia contra pupillarem ætatem non currit præscriptio. *l. sicut in rem C. de præscript. 30. annor.*

585 *Cap. IV.* Ex litteris.

IN causa fauorabili, vt in matrimonio, conceditur restitutio, licet causa non sit plene etiam probata, vt si transacto termino, mulier vult recognoscite appellationem, quia iurat se deceptam in termino.

Glos. Nota quod contumax in furorem matrimonij auditur, & sententia contra matrimonium lata non transit in rem iudicatam.

Glos. Nota, in quo differt appellatio à supplicatione. Item violenta præsumptio eliditur per iuramentum, licet iuramentum non faciat plenam probationem.

586 *Cap. V.* Tum ex litteris.

SEntentia Papæ contra aliquam ecclesiam, retractatur à successore, & restituitur ecclesia in integrum, & præsentibus partibus denuo causa tractatur de iure, præsertim si per surreptionem timetur data.

Glos. Nota quod in causa ardua, non creditur quis instructus breui tempore. Item in prima citatione potest proponi peremptorium edictum ex iusta causa, vt propter longitudinem itineris.

Glos. Quæritur vtrum debeat dari restitutio post quadriennium. Respondetur quod in hac decretali non probatur quod restitutio fuerit data post quadriennium; nam quod Celestinus mandauerit, non obstante sententia Eugenij diffinitiuam sententiam proferri super ecclesijs prædictis, potius de gratia quam de iure hoc fecit: & sic stat ius quod post quadriennium non datur restitutio de iure.

587 *Cap. VI.* Sciscitata.

SI pars petit restitutionem in integrum contra sententiam, suspendit executionem sententiæ regulariter: sed si præsumitur malitiose petere restitutionem, vt differat executionem sententiæ, tunc exequatur sententiam, & pars, in cuius gratiam fertur, det cautionem de restituendo totum, quod interim accepit, si petens restitutionem obtinebit in causa.

Glos. Quod præsumpta malitia, contra petentem restitutionem fiat executio, de æquitate tantum, non de rigore iuris procedit. Item generale est, quod quando quis in dubio admittitur, cautionem præstare debeat. *l. in fraudem* C. *de legib.*

Cap.

588 *Cap. VII.* Coram felicis. *Honor.iij.*

POst peremptorium terminum, ecclesia de iure communi non auditur, sed per beneficium restitutionis in integrum admittitur.

G*los.* Vt Procurator petat beneficium restitutionis in integrum, debet habere speciale mandatum ad hoc, sicut in multis alijs etiam casibus, requiritur speciale mandatum: vt primo in causa suspecti tutoris: secundo, quando sunt duo Procuratores rerum, non enim vnus ab altero potest exigere sine speciali mandato, *l. qui duos ff. de procur.* tertio in interdicto de libris exhibendis: quarto in transactione: quinto in delatione iuramenti: sexto in acceptilatione.

589 *Cap. VIII.* Constitutus. *Greg.ix.*

FAuore minoris contractus, illius deficiens in solemnitate iuris, rescinditur, tanquam nullus in praeiudicium minoris: si vero non deest solemnitas iuris, sed minor est laesus, subuenitur ei per beneficium restitutionis in integrum.

G*los.* Nota idem dicendum esse de ecclesia, quod de minori 25. annorum similiter dictum est.

590 *Cap. IX.* Causa restitutionis.

BEneficium restitutionis in integrum, potest dare Iudex ordinarius habens administrationem, & eius delegatus, siue speciale mandatum habeat de hoc beneficio, siue non, sed incidat in negocio ipso. Sed ordinarius, vel delegatus, vel arbiter, qui non habent administrationem, non possunt, nisi coram eis incidat quaestio. Item in causa matrimoniali, vel liberali, vel criminali, non potest assumi arbitrer, cum tales causae requirant maiores iudices.

G*los.* Beneficium restitutionis in integrum, est extraordinarium, & non datur nisi deficiente iure communi.

591 *Cap. X.* Beneficio.

ECclesiae cui beneficium restitutionis negatum fuit, si in alio iudicio iterum idem petit beneficium, non conceditur nisi habeat nouas defensiones ad impetrandum dictum beneficium: bene tamen conceditur beneficium restitutionis ad appellandum à sententia denegationis.

IN SEXTO LIBER I.

DE RESTITVTIONE IN integrum. Tit. XX.

592 *Cap.* Ecclesia. *Greg. ij.*

ECclesia post qnadriennium non admittitur ad petitionem beneficij restitutionis in integrum, nisi rationabilis causa Iudici hoc persuadeat, vt si manifestè probetur fraus, vel præuaricatio super hoc.

Glos. Quadriennium non currit in vita Prælati, qui male administrauit, sed post mortem. Item nomine ecclesiæ veniunt Prælati, & Clerici. An contra perscriptionem ecclesiæ restituatur, vide.

593 *Cap.* Si aduersus. *Bonifac. viij.*

QVando in lite Prælatus Ecclesiæ est aliqua confessus contra Ecclesiam, Ecclesia infra quadriennium, computandum à tempore confessionis, potest petere beneficium restit. in integrum, sed si in quadriennio negligenter omittat, petere non potest deinde, nisi ex rationabili causa. Item tanquam priuatus per viam communem, semper potest errorem facti reuocare.

Glos. Quadriennium incipit currere à tempore confessionis contra supradictum. Item quando quis fuit inductus ad confitendum, errore facti confessio semper est reuocabilis, non autem errore iuris. An restitutio sit danda in confessione? si confessus est veritatem, non datur; si falsitatem, non est necessaria. Item pro leui læsione non datur restitutio.

CLEMENTIN. LIB. I.

DE RESTIT. IN INTEGRVM. Tit. XI.

594 *Cap.* Ecclesia.

INfra prædictum quadriennium potest Ecclesia petere restitutionem in integrum, probans, & affirmans se læsam per lapsum temporis v.g. accepti à procuratore, & restituitur tantundem temporis, quantum lapsum fuit cum læsione ecclesiæ.

Glos. Satis est, si ecclesia affirmet se læsam. Item si per lapsum temporis non læditur ecclesia, sed personæ non datur restitutio.

Glos. Nota quod læsio debet esse enormis, vt detur restitutio.

DECRETALIVM LIBER I.

DE ALIENAT. FACTA, CAVSA mutandi iudicij. Tit. XLII.

595 *Cap.* Ex quorundam.

ALiquo impetrãte à Papa litteras commissionis, si aduersarius malitiose ad litteras illudendas appellat, vel transfert in alterum possessionem rei, de qua controuertitur, vel malitiose se absentat, tunc Iudex debet cogere eos, qui ingesserunt se in possessionem, vt cessante appellatione pareat æquitati iuris.

Glos. Satis est si speratur verti litem de possessione. Item potest agere contra emptorem, & venditorem.

596 *Cap.* Ex parte.

SVb cẽsuris prohibendi sunt clerici ne accipiant, vel emant quæstiones, & causas sæcularium, vt trahant sæculares ad forum ecclesiæ. Itẽ cessiones, & emptiones litium, legitime prohibẽtur in iure.

Glos. Clericus in lite potest trahere laicos ad forum ecclesiasticum, de consuetudine, non autem de iure. Item cessio litis facta potentiori an valeat, vide.

DECRETALIVM LIBER I.

DE ARBITRIS. Tit. XLIII.

597 *Cap. I.* Sane.

ARbitri sunt eligendi, vel vnus, vel in numero dispari, v.g. tres, & sententia maioris partis sequenda.

Glos. Si eligantur duo, tenet arbitrium: si vero tres, duo debent conuenire coram tertio, aliter sententia non valet.

Cap.

598 *Cap. II.* Non ſine. *Alex.iij.*

QVando arbitrium eſt iniquum, ideſt dolo & fraude factum, eſt nullum, & non tolerandum, licet ſit iuratum: ſi eſt æquum, partes debent illud ſeruare.

Gloſ. Super re ſpirituali, poteſt compromitti in Clericum. Item in arbitrio, vel compromiſſo prohibetur interuenire iuramentum; ſed ſi in licito interueniret, ſeruandum eſſet.

599 *Cap. III.* Peruenit.

ARbiter electus in cauſa patrimoniali alicuius Clerici, non poteſt arbitrari, vt res eccleſiaſtica, quam Clericus poſſidet, adiudicetur, pro re temporali, quam Clericus debet, etiam ad vitam Clerici: quia factum Prælati, vel delictum perſonæ, non debet venire in damnum eccleſiæ.

600. *Cap. IV.* Dilecti. *Innoc.iij*

FOeminæ in iure, remouentur à publicis officijs, & ab arbitrio, etiam inter liberos; ita vt, contemptores arbitrij earum non dent pœnas; tamen ex conſuetudine approbata, excellentes fœminæ poſſunt habere ordinariam iuriſdictionem in ſuos ſubditos; & ſi arbitrij ſententiam ferant inter eccleſias, cum præſentia, conſilio, & approbatione Epiſcoporum, ſententia eſt ſeruanda.

Gloſ. Conſuetudo dat iuriſdictionem perſonæ aliàs inhabili ad iudicandum. Item fœminæ ſunt remotæ ab officijs ciuilibus, ſed princeps ſcienter poteſt delegare cauſam. Item poteſt eſſe tutrix, ſi renunciat ſecundis nuptijs, & Velleiano. Item poteſt conſtitui procuratrix à Papa. Item Clericus poteſt petere pœnam arbitrij.

601 *Cap. V.* Cum tempore.

ECcleſiæ non poſſunt arbitris committere ea, quæ ſpectant ad libertatem, & exemptionem, quia ſine licentia Papæ, non poſſunt renunciare priuilegijs libertatis, quæ ſpectant ad Sedem Apoſtolicam, etiamſi iuraſſent, in alijs vero poſſunt.

Gloſ. Iuramentum, quatenus tangit ius alterius, non tenet. Item arbitrium poteſt tenere pro parte, & pro parte non. Item exemptus non poteſt renunciare priuilegio libertatis ſine licentia Papæ, in alijs poteſt. Item ordinarius poteſt eſſe arbiter. Item arbitri, & partes iurare non debent.

602 *Cap. VI.* Cum dilectus.

Coram arbitris non datur locus reconuentioni, sicut coram Iudice, quia arbiter solum potest iudicare de his, quæ sunt in compromisso, & non vltra.

Glos. In criminalibus non datur reconuentio coram Iudice, quia Reus purgatur innocentia, & non relatione criminum. Item in causa spoliationis. Item in momentanea possessione. Item in spoliatione facta Ecclesijs, vel Ecclesiasticis personis non datur. Item arbiter potest iudicare de cohærentibus, sine quibus nō potest expedire. Item de causa in integrum, quæ incidit in negotium. Item non potest contumaciam punire litigatoris, nec cogere testes, nec pronunciare, nisi vtraque parte petente; nec potest citare, nisi ad locum compromissum, nec potest delegare arbitrum. Item satisfactio non præstatur coram arbitro; in arbitrio non purgatur mora, quia dies est præfixus ab homine. Sententia arbitri non infamat; ratio, quia non potest cognoscere de crimine infamante. Hæc sunt vera, nisi aliud pactum appositum sit in arbitrio. Item si partes renunciant appellationi, & promittunt non recedere ab arbitrio, tamen possunt recedere.

603 *Cap. VII.* Cum olim.

Qui facto arbitrio obligatur in eligendo requirere consilium aliquorum, debet in tractatu electionis habere consilium cum illis, aliter electio est nulla; non tamen tenetur sequi eorum consilium.

604 *Cap. VIII.* Contingit.

In rebus spiritualibus, laicus non potest esse arbiter.

Glos. De rebus mere ciuilibus, quibus nullum spirituale est annexum, potest compromitti in laico. Item spirituale compromitti potest in clericum & laicum, de licentia superioris, id est Episcopi, sed in laicum tantum, de licentia solius Papæ. Item laicus de rebus spiritualibus nullo modo iudicare potest, nec principaliter, nec incidenter.

605 *Cap. IX.* Per tuas.

Coram Delegato procurator cum mandato generali, cum parte contraria, non potest causam compromittere; & arbitrium, de licentia Delegati, potest promulgari per vnum clericum, & alterum laicum; & si pars principalis, cuius est procurator,

tor, acceptet arbitrium, debet haberi ratum, & executioni mandari: si vero non acceptet, & in arbitrio fuit apposita pœna de obseruando; Procurator conueniri poterit ad pœnam. Si non fuit apposita pœna, Procurator conuenietur ad interesse, quia suo iuramento se personaliter obligauit.

Glos. Procurator generaliter ad agendum vel defendendum, non potest transigere, vel compromittere, sine speciali mandato, nec debet excedere fines mandati: quod si faciat, non nocet Domino. Item Procurator debet constitui, de consensu Capituli. Item iuramentum est personale, & non obligat alium. Item de re spirituali, auctoritate Episcopi potest compromitti in laicum, & clericum.

606 *Cap. X.* Ex parte tua. *Honorius iij.*

SI Canonici eligunt duos, & compromittitur negotium arbitris, si ante sententiam moriatur vnus electus, non debent canonici procedere ad aliam electionem, nisi prius arbiter iudicet de sufficientia electi, quia iste electus habet adhuc ius ad beneficium, licet compromissum, per mortem vnius compromittentis, fuerit finitum.

Glos. Compromissum per mortem vnius compromittentis finitur, & in casu isto non procedit amplius vt arbiter, sed vt Iudex ordinarius, quia si superstes vere habebat rationem contra demortuum, vere habet ius, & non aliter.

607 *Cap. XI.* Exposita.

ARbiter electus super aliquas dubitationes ortas post sententiam legati, non debet aliquid immutare, vel iudicare contra sententiam legati, etiam si mandatum accepit à Papa, de componendo inter partes.

Glos. Semper est recurrendum ad intentionem subiecti. Item Ecclesiæ possunt compromittere res temporales in laicum.

608 *Cap. XII.* Innotuit. *Greg. ix.*

COmpromissum factum à partibus, coram iudicibus in duos arbitros cum clausula, vt in casu discordiæ iudices, vel alij, possint eligere, v. g. tertium arbitrum incertum, non valet, quia est contra ius: & si iudices excommunicant partem, nolentem obedire arbitro, excommunicatio non tenet post legitimam appellationem.

609 *Cap. XIII.* Cum à nobis.

COmpromiſſum factum vni vel duobus ſub hac forma, vt ipſi per ſe vel alij, quos ipſi arbitri deputabunt, rem definiant, cui definitioni ſtabunt ſub pœna, &c. valet.

Gloſ. Hic ſcilicet non eſt contra iura, quia primi vel non ſunt arbitri, ſed amicabiles compromiſſores, qui de conſenſu partium poſſunt eligere arbitros; vel ſi ſunt arbitri de conſenſu partium, elegerunt certos arbitros, & non incertos.

610 *Cap. XIV.* Compromiſſum.

COmpromiſſum morte compromittentis ſpirat, & non tranſit in heredes compromittentis, niſi in compromiſſo fiat expreſſa mentio de hæredibus.

Gloſ. In compromiſſo debet fieri mentio heredis aliorum compromittentium, vt tranſeat; ſi vnius tantum, non tranſit, quia arbitrium eſt ſtricti iuris. Item iudicium tranſit in hæredes, licet de his non fiat mentio, Item per mortem vnius compromittentis, vel vnius arbitri ſoluitur compromiſſio.

IN SEXTO LIBER I.

DE ARBITRIS. Tit. XXI.

611 *Cap.* Si ex tribus.

QVando ex tribus duo concordant in ſumma v.g. triginta ſoluendorum, & vnus non; ſtandum eſt ſententiæ duorum; ſi nõ concordant, ſed vnus te condemnat in triginta, ſecundus in viginti, tertius in decem, ſtandum eſt minori, ideſt decem: quia in ea omnes conueniunt.

Gloſ. Etiam ſi compromiſſio fiat ſimpliciter, ſemper intelligitur pactum ſtandum maiori parti.

612 *Cap.* Vt queſtionibus.

QVando partes eligunt tres arbitros, & vnus ab alijs duobus legitime vocatus, non vult intereſſe, vel non curat venire, ceſſante impedimento legitimo, illi duo poſſunt examinare, & definire, ac ſi ille qui malitioſe non vult adeſſe, eſſet præſens, & non conſentiret: circa iudices vero eſt ſtandum antiquis iuribus.

Gloſ. Que ſint hæc, iura vide ibi.

FINIS LIBRI PRIMI.

DE-

DECRETALIVM

LIBER SECVNDVS.

DE IVDICIIS. Tit. I.

613 *Cap. I.* De Quoduultdeo.



VI promittit coram aliquo Iudice ſuum aduerſarium experiri, ideſt ſe denfendere, & deinde non vult contumaciter; propter contumaciam poteſt excommunicari, nec debet abſolui, niſi ſatisfactione præmiſſa; non tamen debet priuari beneficio, niſi prius videatur exitus cauſæ.

Gloſ. Sine cognitione cauſæ nullus debet deponi. Item dum contumax eſt excommunicatus, non debet procedi in cauſa principali. Item non licet pœnitere in alterius præiudicium. Item hodie, ideſt de iure nouo, excommunicatus debet ſtatim abſolui, & poſtea cognoſcere de cauſa excommunicationis, niſi in aliquibus caſibus. Item antequam contumaci adimatur beneficium, debet expectari per annum.

614 *Cap. II.* Decernimus.

LAici non præſumant tractare negocia eccleſiaſtica; & Prælati eccleſiarum non diſponant de negotijs eccleſiaſticis præſertim ſpiritualibus, iudicio laicorum; & propter eorum prohibitionem non omittant exercere eccleſiaſticam iuſtitiam.

Gloſ. Omnes Prælati ſunt Iudices ordinarij. Item laici non præſumant ſua auctoritate: tamen poſſunt delegari ab ordinarijs in cauſa pecuniaria, vel mere ciuili, & in compromiſſione. Papa vero poteſt delegare laico omnes cauſas etiam ſpirituales, & criminales.

615 *Cap. III.* Quanto. *Alex.iij.*

CAuſa Iuriſpatronatus ſpectat ad ſolum iudicem eccleſiaſticum.

Gloſ. Cauſa mixta inter ſpiritualem, & ciuilem magis ſequitur naturam ſpiritualis, quam ciuilis; & idem iuris in ea, ſicut in pure ſpiritualibus. Item cauſa ratione rei potius dicitur ſpiritualis; quàm ratione perſonæ. Item laicus poteſt poſſidere temporale ſpi-

rituali annexum, licet censeatur spirituale, vt est Iuspatronatus; sed non potest mere spirituale: & sic laicus habet ius funerandi, sed non dominium sepulturæ.

616 Cap. IV. At si clerici.

CLericus conuictus, siue confessus de crimine coram iudice seculari, non est condemnandus ab ordinario propter huiusmodi acta, cùm non teneant: quia nec sententia lata à non suo iudice tenet. Si vero coram suo ordinario sit confessus, vel legitime conuictus de crimine, si crimen est tale, est suspendendus ab ordinibus, vel ab altare perpetuo remouendus.

§. De adulterijs. Pro adulterijs, vel his minoribus criminibus, post actam pœnitentiã potest Episcopus dispensare cum clericis. Item non debet depositũ quemcunque clericũ tradere iudici seculari, quia non est affligendus duplici pœna.

Glos. Confessio facta coram non iudice non præiudicat confitenti. Item clericus coram laico conuictus, si multum creuit infamia, debet se purgare. *c. cum desideres de sentent. excommun.* aliter est puniendus vt conuictus interpretatiuè. Item clericus si voluntariè comparet coram iudice laico, perdit causam ciuilem, & amittit locum in criminali. *cap. si diligenti inf. de for. competen.* Item sententia laici per reuocationem contra clericum tenet. Item legitima probatio ad conuincendum fit per legitimos testes omni exceptione maiores, qui recipiuntur tantum in præsentia iudicis, & in criminali probatio debet esse luce clarior. Item aliqui dicunt Episcopum non posse dispensare, nisi in casibus expresse à iure concessis; tamen alij melius dicunt Episcopum posse dispensare in omnibus, vbi non inuenitur prohibitum, & sic in hæresi, sacrilegio, simonia, &c. Alij melius quod Episcopus potest dispensare contra aliquos canones, qui inducunt irregularitatem, sed non potest contra eos, qui non inducunt, & in particulari contra quos potest, vel non potest; vide ibi gl. additio. Item depositus quando, vel qualiter est degradandus, *de pœnis cap. xi. in sexto* & directorium Inquisitorum *parte 3.* & tradi curiæ seculari, *cap. nouimus de verb. signif.*

617 Cap. V. Cœterum.

QVando nascitur quæstio inter vassallos occasione feudorum, debent comparere coram domino feudi, & coram alio conueniri non debent: & si sint parati comparere coram Domino feudi, legatus non potest illos excommunicare, vel interdicere.

Glos.

Glos. Si dominus feudi est negligens, iudicium transfertur ad alios. Item in iudicio possessorio vassallus potest agere coram ordinario, non autem in petitorio vt hic. Item si questio feudi sit inter Dominum, & vassallos, est tractanda per alios vassallos. Item si questio est inter vassallos, & alios, qui non sunt vassalli, tractabitur coram ordinario, vel Delegato, ne Dominus sit Iudex in causa sua.

618 *Cap. VI.* Dilecti.

IN Iure canonico non est substiliter inquirendũ cuiusmodi actio intentetur; sed satis est inquirere pure factum, & rei veritatem.

Glos. Satis est proponere causam, quæ etiam vocatur actio. Item subtilitates in causis ecclesiasticis reprobantur, cum enim de bona fide agitur, de apicibus iuris non est disputandum. Item nemo cogitur proponere actionem in iure canonico, nisi in vna causa sint plures actiones, sed si proponit admittitur: vide gl. in verb. actio.

619 *Cap. VII.* Intelleximus.

EXcommunicatus potes conueniri in Iudicio, & debet per alium respondere non dotest tamen conuenire.

Glos. Si excommunicatus non vult constituere procuratorem non est compellendus, sed compareat personaliter, & tractantes cum eo non sunt excommunicati, & in tali causa excommunicatus potest excipere, appellare, & facere omnia, quæ pertinent ad sui defensionem.

620 *Cap. VIII.* Clerici. *Lucius iij.*

CLericus de omni crimine debet conueniri coram Iudice Ecclesiastico: & contraria consuetudo non præiudicat canonibus, quia Imperator dicit, quod leges non dedignantur sacros canones imitari.

Glos. Consuetudo contraria esset contra libertatem, & statutum Ecclesiæ, & sic non rationabilis.

621 *Cap. IX.* Causam. *Clem. iij.*

IVdex debet prouidere vt litigantes seruent solemnitatem iuris: v. g. vt capitulum incipiat litem cum consensu Episcopi, ne deinde sopita, lis suscitetur ab Episcopo.

Glos. Iudex debet prouidere an persona quæ agit, vel defendit sit legitima. Item Collegium sine assensu Prælati non potest conuenire, nec conueniri.

Cap.

622 *Cap. X.* Cum non. *Cælestin. iij.*

CLericus deprehensus, & conuictus de facto, homicidio, periurio, vel aliquo crimine, est deponendus a Iudice Ecclesiastico: & si depositus fuerit incorrigibilis, debet excommunicari, & si crescit contumacia feriatur anathemate, & si contemnit est comprimendus per potestatem sæcularem exilio, vel alia pœna.

Glos. Quod dicitur in textu, Clericũ incorrigibilem debere prius excommunicari, deinde anathematizari, per excommunicationem intelligitur hoc loco suspendi. Clericus legitime dicitur deprehendi, quando aliqui Clerici intersint deprehensioni, & detentioni per spatium viginti horarum. Item potest etiam per laicos auctoritate Prælati, clericus comprehendi. Item processus puniendi crimen, hic positus non seruatur in falsario apostolicarum litterarum, quia ipso iure est excommunicatus, depositus trahitur curiæ sæculari.

623 *Cap. XI.* Quia.

QVando quis impetrat litteras contra violenter inuasorem suæ Ecclesiæ mortuo inuasore, si alius eamdem Ecclesiam ingreditur, iudex per primum rescriptum potest agere contra secundum ingressum.

Glos. Per resciptum conuenitur successor in vitium, nec est bona fides, quando non est iustus titulus. Videtur non posse conuenire, quia rescriptum non est contra hanc personam, & rescripta ad alias personas, vel res non extenduntur. Resp. hic erat successor in vitio, quia scienter occupauit rem alienam, sicut ille, qui recipit rem à deiectore. *cap. sæpe contingit inf. de restit. spol.* vel causa mutandi iudicij *c. 1. sup. de alie. iud. mut.* hi enim sunt similes in vitio, & sic possunt conueniri coram ijsdem iudicibus, & per easdem litteras, sicut antecessores.

614 *Cap. XII.* Cum venissent. *Innoc. iij.*

DE causa, seu de dubijs priuilegiorum Sedis Apostolicæ solus Papa per se, & non per alios cognoscit.

Glos. Causa priuilegiorum Sedis Apostolicæ non delegatur generali mandato, & eius est interpretare, cuius est condere. Item si priuilegium est clarum in verbis, Iudex potest declarare priuilegium, non obstat, vel obstat; sed textus loquitur in obscuro, scilicet an Papa possit esse iudex in sua causa, v. g. in priuilegio. Respondetur sic, sicut Imperator in causa Fiscali, & Prælatus potest

esse

esse testis in causa suæ Ecclesiæ, & Episcopus iudex: consultius tamen est, & honestius faciet, si alijs hoc commiserit, & sic ipse iudicet per alios. & hoc intelligitur de priuilegijs, quæ Papa concedit alijs Ecclesijs, & non de illis quæ Deus dedit Ecclesiæ Romanæ.

625 *Cap. XIII.* Nouit ille.

COgnoscere de quocumque peccato spectat ad Papam, præsertim de periurio, & fractione pacis publicæ, & corripere quemlibet peccatorem, etiam Regem, vel Imperatorem, seruata præsertim prius correptione Euangelica: & tunc non dicitur derogare iurisdictioni Principum, nec cognoscere de feudis.

Glos. Papa non debet turbare aliorum iura, nec contra, cum iurisdictio sit distincta. Item quæstio feudi ad Dominum feudi pertinet, nisi consuetudo, vel priuilegium præiudicet. Item ad Ecclesiam spectat pacem seruare. Item de vtraque iurisdictione Papæ, idest de vtroque gladio, vide *Extrauag. vnam sanctam, de maior. & obed.*

626 *Cap. XIV.* Pastoralis.

PRincipales personæ per se ipsas factum proponant, & non per alios, nisi sint indiscretæ.

Glos. Vt sunt minores, furiosi, prodigi, mulier luxuriosa. Item Communitates, Personæ illustres, & excommunicati per alios respondent.

627 *Cap. XV.* Examinata.

QVando actor proponit suam actionem, vel intentionem ineptè, v. g. si velit probare quod iuspatronatus possidebat tépore, quo Ecclesia iurispatronatus erat apud tertium sequestrata, tunc reus absoluitur: sed si actor iterum aptè agat, reus tenetur respondere.

Glos. Ei qui possidet non competit vindicatio, nec restitutio. Item actio secundum Canones videtur proponenda, vel quando causa est ciuilis, vel quando actio non esset nimis subtilis, vt rei vendicatio, locati, depositi, &c. Sed an huiusmodi leues teneatur nominare, dicas vt supra in *cap. dilecti.*

628 *Cap. XVI.* Cum deputati.

IVdices tam seculares, quam Ecclesiastici inhibentur ne repellant Præceptores, qui habentur Domi Fratrum Militiæ, templi, & vo-

& volunt agere, vel defendere causas suas, nec est illis requirendum ex qua natione sint.

Glos. Quilibet præsumitur idoneus, nisi probetur indignus, & quilibet præsumitur liber dum apparet in possessione libertatis.

629 *Cap. XVII.* Qualiter.

PRælati exhibeant plenam iustitiam laicis conquerentibus contrà clericos, non obstante frustatoria appellatione clericorum, sed nullo modo permittant clericos trahi à laicis ad iudicium sæculare etiamsi prælati non fecissent iustitiam.

Glos. Clerici etiamsi velint non possunt sibi constituere iudicem sæcularem, nec de consensu Episcopi: sed contrà laici trahuntur ad forum ecclesiasticum ob desidiam iudicis sæcularis.

630 *Cap. XVIII.* Causam.

QVando quis creatur iudex in aliqua causa, qui cognoscatur habere similem, vel quasi similem causam cum alio; potest, & debet deponi, ne sit nimis fauorabilis vni parti, & debet alius subrogari.

Glos. Idem de teste, qui habeat consimilem causam illi in qua testificatur: non est admittendus. Item ista similitudo non est extendenda ad omnes causas: nam si iudex habeat causam decimarum, potest illi committi causa iurispatronatus, vel iurisdictionis.

631 *Cap. XIX.* Exhibita. *Honor. iij.*

SI iudices simul cognoscunt de principali causa & de exceptionibus præiudicialibus simul, vel si testes recipiuntur super principali lite non contestata, licite ab ijs appellatur, & quidquid tentatur post appellationem est irritum, quia causa non committebatur illis in forma inquisitionis, sed iudicij.

632 *Cap. XX.* Venerabilis.

LApsu triennij non obstante potest delegatus procedere in causa sibi commissa.

Glos. Nota quod secundum canones instantia iudicij per lapsum triennij non spirat, & sic videtur corrigi *l. properandum C. de iudicijs*, vbi statuitur quod instantia iudicij perit, nisi causa finita sit infra triennium.

Cap.

633 *Cap. XXI.* Significauerunt.

REus qui habet sententiam definitiuam super possessorio, si agitur de proprietate coram eodem iudice, non tenetur respondere, si est prorsus alterius fori. Item non obstante tempore feriato vindemiarum iudex procedere potest, ne ex fraude prorogetur tempus.

Glos. Continentia causæ diuiditur propter diuersum forum. Item in textu agebatur de causa non spirituali, sed de iurisdictione temporali, & Monachi erant actores, & debebant sequi forum rei: ideo iudex sæcularis potuit ferre sententiam circa possessorium. Deinde si laici agebant de proprietate, debebant sequi forum rei, idest Monachorum; sed si fuissent eiusdem fori, continentia causæ, idest super possessorio, & proprietate, non erat diuidenda. Item in ferijs introductis in fauorem hominum, vt est vindemijs, & in messe, nemo compellitur in iudicio respondere, & sententia contra absentem lata non valet: de consensu tamen partiũ sententia lata tenet, quia possunt renunciare ferijs dictis. sed nullus potest renunciare ferijs ob reuerentiam Dei & Sanctorum, etiam si partes vellent.

IN SEXTO LIBER II.

DE IVDICIIS. Tit. I.

634 *Cap. I.* Iuris esse. *Innoc. iv.*

SEcundum ius, Legatus Apostolicus non potest cogere partem corã se personaliter comparere, nisi habeat speciale mandatũ ad hoc, vel nisi necessitas iuris hoc exigat; v. g. si causa sit criminalis, vel pro veritate dicenda, vel pro iuramento calumniæ faciendo.

Glos. Delegatus Papæ non potest auferre beneficium iuris, licet Papa possit: & sic in ciuilibus non potest citare personaliter; quia in citatione debet exprimi causa quare citetur personaliter. Item per verbum, videtur, respondetur secundum ius. Item idem dicendum de Ordinario, quod de Delegato, idest non potest citare personaliter nisi aliquando. Item Delegatus potest omnia illa, sine quibus causa non potest expediri. Item Ordinarius extra iudicium, potest ex causa cogere suos subditos ad comparendum coram

ram se, & in dubijs tenemur obedire Prælatis. Item si causa criminalis agatur ciuiliter, non potest compelli personaliter; si criminaliter, non potest per Procuratorem: & si per Procuratorem compareret, an iudicium teneat, est dubium.

635 *Cap. II.* Mulieres. *Bonif. vij.*

NOn obstante iure canonico, nemo potest trahere mulieres inuitas ad comparendum personaliter quacunque ex causa in iure non expressa: & si necessarium est testimonium earum, Iudex mittat Tabellionem expensis partis producentis eas: & si receptio testium alteri committi non possit, ipsemet iudex accedat personaliter. Quid si non decet ire iudicem, quia v. g. est Episcopus, vel non potest, quia infirmus? mittat Tabellionem, vel alias personas idoneas: & si iudex fingat casum, vt ex fraude personaliter eat, sit ipso iure excommunicatus. Item fœminæ religiosæ non vocentur extra monasterium, vel clausuram ad iudicium, etiam si ipsæ velint. tandem omnia quæ tentantur contra prædicta, sunt irrita & nulla ipso iure.

Glos. Conditio mulierum aliquando melior quam marium, aliquando deterior, aliquando par. Item excommunicatio est tantum pro iudice, & non est reseruata.

636 *Cap. III.* Si annum.

IN beneficialibus, seu spiritualibus causis, vel ab ijs dependentibus, qui peregit decimumquartum annum suæ ætatis, potest agere, vel defendere per se, vel per procuratorem à se deputatum. Qui est infra decimumquartum annum, per se non potest, sed Episcopus det ei procuratorem ad litem, vel ipsemet cum auctoritate Episcopi eligat sibi procuratorem. Delegatus vel ab eo subdelegatus potest illi dare procuratorem ad lites tractandas coram ipsis. Item in litibus huiusmodi spiritualibus filiusfamilias potest litigare sine consensu sui patris.

Glos. Clericus vel Beneficiarius non liberatur à patria potestate, tamen potest sine patris consensu agere spiritualem causam, vel dependentem, vt de dote promissa in matrimonio. Item in mari requiritur annus decimusquartus completus, & in fœmina duodecimus completus. Item hic vocatur causa spiritualis illa, quæ est Ecclesiastici fori.

CLEMENTIN. LIB. II.

DE IVDICIIS. Tit. I.

637 *Cap. I.* Dudum.

BOnifacius Octauus in constitutione, ***Rem non nouam***, decreuit, quod citatus in audientia contradictoriarum, vel Aulæ Palatij, vbi residet Papa, & postea schedula affixa in portis Ecclesiæ principalis, vbi est Papa, etiam extra dies solemnes, in quibus Papa solet facere processus, post elapsum terminum, qui solet poni competenter pro distantia, ita arctantur citati, ac si ad eos personaliter citatio peruenisset. Clemens hic moderauit hanc constitutionem, & vult solum valere contra illos, qui per se, vel per alios quomodocumque impediunt, ne ad eos perueniat citatio, & quorum domicilia, vel loca non possunt tute adiri. Circa citationes, quæ fieri solent diebus solemnibus, reliquit ius antiquum.

Glos. Cessante causa legis, cessat lex. Item colligitur quod Bulla Cœnæ Domini postquam est publicata Romæ, obligat totũ orbem.

638 *Cap. II.* Dispendiosa.

AD euitandam dispendiosam prorogationem litium, quæ nascitur ex subtili obseruatione iuris, determinat, vt in causis super electione, postulatione, prouisione, dignitatibus, personatibus, officijs, canonicatibus, prœbendis, vel quibusuis beneficijs Ecclesiasticis, aut super decimis matrimonialibus, vsuris, vel eas quomodolibet tangentibus, possit iudex procedere simpliciter, & de plano, & sine strepitu iudicij, & figura.

Glos. Canon habet locum in causis super hospitalibus, eleemosynarijs, vel leprosarijs, vel monachatu, quia sunt officia, sed non habet locum cum agitur de Ecclesia, aut de proprietate, quia non est quæstio beneficialis. Item si quis propter crimen petitur amoueri. Item loquitur de decimis, quæ debentur de iure diuino, & non quæ debentur ex conuentione humana; & Canon est pœnalis, & non ampliandus. Item iudex in causis prædictis potest seruare ordinem iuris, & non hunc canonem, etiam contradicente parte quia text. dicit, ***valeant***, non, debeant.

EX-

EXTRAV. COMMVN.

LIBER SECVNDVS.

DE IVDICIIS. Tit. I.


639 *Cap.* Frequentes.

PRælati, & Rectores, item fratres quatuor Ordinum Mendicantium, ad inuicem non se iniurijs afficiant circa iudicia ferenda, sed omnino seruent Constitutionem, *super cathedram*, & *c. dudum in Clement.* & iudices iudicent simpliciter, & de plano tales causas, non obstantibus priuilegijs.

DECRETALIVM LIBER II.

DE FORO COMPETENTI. Tit. II.

640 *Cap. I.* Si quis. *Concil.Chalced.*



QVI habet negotium contra clericum, tenetur adire Episcopum rei clerici, & non alios, nisi vtraque pars velit aliquem, & de consilio Episcopi.

Glos. Iste alius debet esse clericus. Item actor debet sequi forum rei: qui secus facit, est puniendus.

641 *Cap. II.* Nullus. *Concil.Parisiense.*

IVdex laicus sine licentia Papæ iudicans clericum, vel priuilegiatum, tamdiu sit sequestratus ab Ecclesia, quousque se emendet.

Glos. Debet. Sequestrat, hoc est communione Ecclesiæ priuatur per sententiam, idest excommunicatur.

642 *Cap. I.* Sane si Episcopi. *Concil. Afric.*

QVando duo Episcopi diuersarum prouinciarum habent causam de aliquo loco, Archiepiscopus in cuius Diœcesi est locus, det iudices his Episcopis.

Glos.

Glos. Quis ratione rei sortitur forum. Item potest etiam Archiepiscopus per se ipsum iudicare.

643 *Cap. IV.* Si quis contra. *Gregor.*

QVi habet causam contra clericum, adeat Episcopum clerici: si Episcopus vt suspectus recusatur, ipse Episcopus deputet executorem, & si actor recuset talem executorem, Episcopus deputet aliquem, qui cogat partes mutuo consensu eligere sibi iudices, à quibus, quæ fuerint definita, iuret Episcopus complere.

Glos. Sicut actor, ita etiam reus potest recusare, & ordinarius potest recusari. Item delegatus Episcopi non potest exequi sententiam: sed verius quod possit.

644 *Cap. V.* Si clericus laicum. *Alex.iij.*

SI clericus vult conuenire laicum pro rebus suis, vel ecclesiæ, & laicus dicit res non esse clerici, vel ecclesiæ, est conueniendus coram iudice laico, nisi sit consuetudo in contrarium, quia actor debet sequi forum rei.

645 *Cap. VI.* Ex transmissa.

QVæstio de feudo inter clericum & laicum, est determinanda à Domino feudi: qui si malitiosè differat determinare, legatus Papæ vel Episcopus potest causam determinare.

Glos. Per negligentiam laici iurisdictio deuoluitur ad clericum, vel delegati Papæ, ad Episcopum.

646 *Cap. VII.* Verum.

CAusa feudi est cognoscenda à Domino feudi.

Glos. Iurisdictio Episcopi sede vacāte, nō transit ad capitulū.

647 *Cap. VIII.* Cum sit generale. *Lucius iij.*

REctores ecclesiarum possunt conuenire malefactores ecclesiarum, idest sacrilegos coram iudice ecclesiastico vel laico.

648 *Cap. IX.* Quod Clericis. *Cælestinus iij.*

CAusæ etiam pecuniariæ, quas habet clericus contra laicum, vel laicus contra clericum, sunt tractandæ secundum ius canonicum, & secundum consuetudines, vel iura municipalia.

Glos. Hoc est principale Parisijs in fauorem Vniuersitatum, vbi Episcopus habet temporalem iurisdictionem Vicecomitis.

649 *Cap.* X. Licet ex suscepto. *Innoc.iij.*

LAicus per litteras impetratas à Papa in negotio pertinente ad forum seculare non potest agere coram iudice ecclesiastico, dummodo iudex secularis faciat iustitiam: & qui à Iudice laico sentiunt se grauatos, possunt appellare ad Episcopum, vel ad Papam vbi hactenus fuit talis consuetudo: vel quando non habent superiorem secularem, ad quem recurrant, vt tempore vacationis Imperij. Item si iudices laici habeantur suspecti, partes eligant arbitros, coram quibus agant de causa suspicionis, quæ si est iusta possunt recurrere ad Episcopum vel Papam pro iustitia, sed ad Papam de iure communi.

Glos. Tale rescriptum est in pendenti, donec iudex sæcularis sit negligens, propter quam negligentiam ecclesia se intromittit in illis negotijs. Item vacante Imperio appellatur ad ecclesiam, quæ supplet vicem Imperij. Item ecclesiasticus iudex potest se immiscere iurisdictioni laicorum: primo quando non inuenitur superior: secundo quando iudex secularis negligit facere iustitiã: tertio quando est quid ambiguum, & difficile inter iudices: quarto in omni crimine ecclesiastico, vt vsura, sacrilegio, &c. quinto quando per denunciationem criminis, causa defertur ad iudicem ecclesiasticum: sexto ratione connexitatis, vt in dote, quæ omnia & similia comprehenduntur his versibus.

Hæreticus, simon, seruus, periurus, adulter
Pax priuilegium, violentus, sacrilegusque.
Si vacat imperium, si negligit, ambigit, an sit
Suspectus iudex, si subdita terra, vel vsus:
Rusticus, & seruus, peregrinus, feuda, viator,
Si quis pœniteat, miser aut sit, causaq. mista.
Si denunciat ecclesia, quis iudicat ipsa.

Cap. XI. Ex tenore.

CAusa viduæ cum laico est tractanda coram laico, sed si laicus non faciat iustitiam, coram clerico.

Glos. Causa viduarum principaliter non pertinet ad ecclesiasticum iudicem, nisi agatur de iniuria, vel allata violentia repellenda, & nisi sit causa ecclesiastica.

650 *Cap.* XII. Si diligenti.

CLericus non potest renunciare iuri suo, & constituere sibi iudicem laicum, etiam in causis temporalibus, & libere etiam si iura-

iurauerit acceptare, aduersario: quia pacto priuatorum iuri publico non derogatur. Imo in Cōc. Mileuitanensi, & Carthaginēsi specialiter est decretum ne clerici ad laicos iudices pertrahant sub pœna perdendi causam, & excommunicationis: quod idem si Episcopi vel clerici purgare se voluerint coram laico de criminali, vel ciuili.

Glos. Iuramentum contra canones factum non tenet. Item illi iuri, quod est introductum tantum in fauorem aliquorum, bene potest renunciari: sed si aliquod ius est introductum in fauorem quorumdam, pro publica vtilitate ipsorum, & odio aliorum, nullus potest tali iuri renunciare, vt est istud, de quo agitur, & etiam beneficium restitutionis: & sic mulier potest renunciare beneficio Velleiano, sed non Macedoniano. Item clericus non potest renunciare, quia præiudicaret Episcopo. Item laicus potest renunciare iuri suo in ciuilibus, non in criminalibus. Item clerici possunt eligere sibi arbitros sine consensu Episcopi. Item non potest renunciare priuilegio can. si quis suadente 16. q. 5. licet possit remittere iniuriam quantum ad se. Item causam perdat an ipso iure? respōdetur melius, per sententiam: sic etiam melius, & mitius post litem contestatam incidit in pœnam, & non statim post conuentionem, nisi sit causa spiritualis, quia tunc satis est deponere querimoniam. Item clericus neque tacite, neque expresse potest consentire in alium iudicem, etiam si sit persona ecclesiastica sine licentia sui Episcopi. Item quando contractus, lege prohibente, non tenet, neque iuramentum in eo factum tenet.

651 *Cap. XIII.* Cum contingat.

CLerici alicuius Episcopi qui inseruiunt capitulis, vel alijs clericis eiusdem diœcesis, sunt conueniendi coram ordinario eorum, nisi illi quibus seruiunt, habeant iurisdictionem talem, ex consuetudine, vel priuilegio.

Glos. Solus Episcopus in sua diœcesi cognoscit de criminibus de iure communi: excipitur autem consuetudo, vel priuilegium, maxime si committatur in sua diœcesi quo ad depositionem.

652 *Cap. XIV.* Postulasti.

QVando sacerdos habet beneficium in vna diœcesi, in qua residet, & domicilium ratione patrimonij in alia, in qua v. g. deliquit tali delicto, vt sit priuādus beneficio: tunc Episcopus Patrimonij, vbi deliquit, ferat sententiam contra eum, sed Episcopus beneficij exequatur eam, quo ad beneficium.

Glos. Ratione delicti efficitur quis de foro alterius: & sententia

O 2 lata

lata ab vno, exequetur ab alio Episcopo, vel saltem facit fidem in alio iudicio, vt sententietur ab alio.

653 *Cap. XV*. Ex parte. *Honor. iij.*

MIserabiles personæ, vt sunt viduæ, possunt conuenire laicum coram iudice ecclesiastico, etiam si agatur de possessione feudi, si feudum est in diæcesi, & ille non distat vltra duas dies à diæcesi, vbi est res litigiosa.

Glos. Causa feudi quo ad petitorium, est tractanda coram Domino feudi; quo ad possessorium vero coram delegato, si iudex laicus fuit requisitus, & negligens.

Cap. XVI. Conquestus est. *Greg. ix.*

IVdex ecclesiasticus potest compellere censuris laicos occupantes vi iura ecclesiastica, vt cessent, & satisfaciant damnis & iniurijs, postposita appellatione, quia sunt sacrilegi.

Glos. Omnia iura incorporalia, vt iurisdictio & seruitutes, non possidentur, sed quasi possidentur. Item tales inuasores & sacrilegos ecclesia potest conuenire sub quo maluerit iudice, qui non sunt excommunicati ipso iure, sed sunt excommunicandi. Item Prælatus non potest remittere iniuriam factam ecclesiæ.

654 *Cap. XVII*. Dilecti filij.

QVi habent priuilegium à Papa, vt non possint conueniri v.g. in causis pecuniarijs, nisi in certo loco, vt in Anglia: si promittunt respondere in alijs locis, tenentur in illis respondere, & possunt conueniri alibi, vbi habent domicilium, soluendo etiam licitum interesse.

Glos. Successor potest conueniri per litteras impetratas contra antecessorem, licet antecessor non fuerit citatus. Item licitum est renunciare iuri, quod pro se est introductum. Item quis potest conueniri duobus locis, vbi promisit, & vbi habitat.

655 *Cap. XVIII*. Significasti.

CLerici non possunt consentire, vel aliquem creare in suum iudicem, nisi sit clericus & de consensu Episcopi.

Glos. Clericus qui consentit in iudicem ecclesiasticum non suum, non perdit causam, sicut qui eligit iudicem laicum. *supra eodem cap. si diligenti*. Item Episcopus non potest consentire, vt clericus habeat iudicem laicum.

Cap.

656 *Cap. XIX* Proposuisti.

QVi est legitime citatus à suo Iudice, tenetur prosequi causam coram citante, licet forum mutauerit.

Glos. Per solam citationem perpetuatur iurisdictio in illa causa.

657 *Cap. XX.* Licet ratione.

QVilibet ecclesiasticus, licet non sortiatur forum Romanum ratione delicti, aut contractus, aut homicidij, vel rei, de qua agitur, conueniri potest in curia Romana, quia est magistra & mater omnium, nisi pro iusta, & necessaria causa venisset, qua allata iure possit reuerti domum.

IN SEXTO LIBER II.

DE FORO COMPETENTI. Tit. II.

658 *Cap. I.* Romana. *Innoc. iv.*

ARchiepiscopus vel eius officialis prætermisso articulo appellationis, tanquam iudices non cognoscant sine voluntate suffraganeorum causas subditorum, etiam ipsis subditis consentientibus. Item Archiepiscopus in causis ad se deuolutis non potest cogere subditos suffraganeorum, vt suscipiant delegationem, vel exequantur sententiam, vel vt sint testes, nisi in contrarium sit consuetudo. Item neque potest eosdem cogere coram se respondere circa salaria aduocatorum, & procuratorum in causis ad se deuolutis, nisi consuetudo sit in contrarium.

Glos. Quid remedij. Respondetur: hæc faciet Episcopus suffraganeus mandato Archiepiscopi. Item *Glos.* Nemo potest conueniri in loco contractus, quando contractus fuit factus per aliquem viatorem. Contrahentes: Metropolitanus non potest trahere coram se illum clericum, qui contraxit apud se, & modo est in propria diœcesi sed citet, & si non comparet, agat in bona ipsius quæ sunt in sua diœcesi; vel si malitiose se citari non sinat, denuncietur Diœcesano, qui faciat missionem in bona, quæ sunt in sua diœcesi.

Glos. Vt quis sortiatur forum ratione contractus, debet habere domicilium, vel ibi exercere negociationes. Item aliud ius est de delinquente, quam de contrahente. Item iudex potest extra suum territorium citare verbaliter, non realiter.

§. Nec Clericos. Archiepiscopi non mittant suos clericos in alienas diœceses ad ineundum contractus, vt cognoscatur coram; ipsis, nec subditos aliorum possunt cogere eorum iuri stare, nec illos excommunicare.

659 *Cap. II.* Seculares. *Bonifac. viij.*

IVdices sæculares volentes compellere clericos ad soluenda debita, etiam liquida, sunt compescendi censuris ecclesiasticis ab ordinarijs vt desistant.

660 *Cap. III.* Cum laicus.

LAicus ratione iuramenti, vt illud seruet conuenitur coram iudice ecclesiastico.

CLEMENTIN. LIB. II.

DE FORO COMPET. Tit. II.

661 *Cap. I.* Quamuis.

LIcet in iure canonico sit prohibitum Episcopum exercere iurisdictionem in diœcesi aliena, tamen conceditur Episcopo, qui expulsus à sua diœcesi non potest per se, vel per alium in aliqua parte suæ diœcesis residere, vel iurisdictionem exercere, vt possit in ciuitatibus, vel locis insignibus alienæ diœcesis vicinioribus suæ diœcesi, in quibus securè morari poterit, & iurisdictionem suam exercere contra expulsores, & eorum consiliarios, & fautores, & tales etiam si sint laici, vt expulsores, & fautores, & facere vt citentur personaliter, vel ad domum si fieri potest; vel publicè in ecclesia cathedrali domicilij eorumdem, vt dicitur *supra in Decret. eodem*, & *cap. dudum*: possint tute comparere, possint inquam procedere in iustitia. Et si Episcopus nõ audet modo præfato citare illos, vel ipsimet malitiose impediunt, citentur in pluribus diebus festiuis, cum concursus populi sit ad diuina in solemnibus ecclesijs alienæ diœcesis, vt verisimilius citatio ad ipsos perueniat, & transacto termino procedat. Item Episcopus expulsus, si per se, vel per alium non audet, vel non possit in propria diœcesi, exerceat iurisdictionem inter suos subditos in aliena, ita vt subditi qui non sunt expulsores, vel adiutores, non trahantur extra fines diœcesis vltra duas dietas. Item ante omnia petat licentiam à Diœcesano illius

illius loci, & si petitam non obtinet, potest exercere iurisdictionem. Item si Episcopus dicat quod in sua diœcesi contra præfatos nequit, vel non audet exercere iurisdictionem, vel non tute possit citare, standum est simplici dicto illorum, & caueant ne mendacium dicant. Item conuicini Episcopi locorum, requisiti faciant denunciare sententias, & processus in propria diœcesi; & per prædicta nullum generetur præiudicium superioribus eorumdem locorum.

Glos. Episcopus extra suam diœcesim, excepto hoc casu prædicto, non potest exercere suam iurisdictionem *9.q.2. & 7.q.1.* nisi inter volentes, & de licentia ordinarij, de qua fiat mentio in processu. Item de interdicto quot sunt species, & quæ licent in eo, vide ibi. Item in aliena non potest exercere iurisdictionem, scilicet contentiosam, respectu cuius Episcopus est tanquam priuatus. An possit excommunicare, absoluere, conferre beneficia delegare causam, vide *cap. nouit de offic. delegat.* Item potest celebrare in altare portatili, *de priuil. cap. fin. in 6.* & an cum Pontificalibus. Idem titulus loquitur de Episcopis, & intelligitur de electis, & confirmatis, & sic non de inferioribus. Item quando liceat Episcopo fugere *22. quæst.86.* Item si Episcopus expulsus potest tutus sedere in loco exempto suæ diœcesis, non sedeat in aliena. Item pro facienda iustitia subditis non requiritur locus insignis. Item nota licentia debet præcedere exercitium, consensus potest sequi. Item talem licentiam officialis Episcopi dare non potest, nisi ad modum distet Eps; Capitulum sede vacante potest. Item creditur Episcopo simpliciter affirmanti super prædictis, non super alijs, vt si dicat loca esse secura, vel viciniora, vel talem esse reum. Item exercens iurisdictionem in personas, vel certa loca, quando acquirat possessionem, vel præscribat; vide ibi.

DECRETALIVM LIBER II.

DE LIBELLI OBLATIONE.

Tit. III.

662 *Cap. I.* Ignarus.

IVdex non admittat actorem ad litigandum, nisi offerat libellum in scriptis.

Glos. Libellus scriptus est principium litis, quem iudex ac-

cipiens tradit Reo, vt deliberet: & in isto libello debet contineri res, quæ petitur, causa petendi, nomen actoris, & rei, & coram quo iudice: qui libellus est, vel conuentionalis, seu postulationis, & datur in ciuilibus; vel accusationis; & datur in criminalibus.

An libelli oblatio sit de substantia ordinis iudiciarij in iure Canonico? sic, nisi agatur de leuibus.

663 *Cap. II.* Significantibus. *Innoc.iij.*

QVando agitur de vendicatione rei, non sufficit generaliter repetere, sed in libello est specificanda, cum suis circumstantijs; aliter nil dicit.

Glos. Docet quomodo sint formandi libelli, v.g. in causa reali, licet res ipsa sit specificanda, & designanda, non tamen est necessario apponenda, satis est si dicat rem esse suam: & si apponat vnam causam, & succumbat potest eamdem rem petere ex alia causa: si nullam causam apponit, obstabit ei exceptio rei iudicatæ. Sed si agatur actione personali v.g Tu mihi debes decem, necessario est mihi apponere causam, aliter reus non tenetur respondere: potest tamen, si succumbat, aliam apponere. Item in vniuersalibus iudicijs res non sunt necessario determinandæ, vt est dicere, v.g. peto hæreditatem, vel similia. Item libellus ante litis contestationem, potest mutari, deinde non.

Cap. III. Dilecti filij. *Greg.ix.*

IN actione personali, vt quando quis dicit certam pecuniam, si in libello non apponitur causa, non tenetur reus respondere.

DECRETALIVM LIBER II.

DE MVTVIS PETITIONIBVS. Tit. IV.

664 *Cap. I.* Ex litteris. *Alex. iij.*

IVdex delegatus in casu reconuentionis compellat actorem respondere reo, & auditis hinc inde rationibus, partes concordet, vel sententiet cum iustitia.

Glos. Si iudex hoc negligeret, & procederet in proposita quæstione

stione, factum non tenet, vel potius est appellandum, an, & quando reus potest reconuenire.

665 *Cap. II.* Prudentiam. *Cælestin. iij.*

SI actor per rescriptum appellatione remota conuenit reum, & reus conueni actorem, non potest actor reconuentus appellare, quia actoris, & rei est eadem conditio, & eiusdem iuris circa appellationis remedium censentur.

Glos. Non debet actori licere quod reo non permittitur. Item an conuentus super vna re possit reconuenire super pluribus, & an actor reconuentus possit reconuenire in alia re.

DECRETALIVM LIBER II.

DE LITIS CONTESTATIONE.

Tit. V.

666 *Cap.* Olim inter. *Gregor. ix.*



LITIS contestatio in aliqua causa, non fit per positiones factas coram iudice, vel per responsioues factas ad eosdem, nam talis processus est irritus: sed fit per petitionem in iure positam, & responsionem secutam.

Glos. Quando testatio litis est omissa, processus est nullus, & contestatio debet in scriptis apparere, & quæ sit, vide ibi.

IN SEXTO LIBER II.

DE LITIS CONTESTATIONE.

Tit. III.

667 *Cap.* Exceptionis. *Innoc. iij.*



OBiectio exceptionis peremptoriæ ante litem contestatam non impedit contestationem, nisi excipiat de re iudicata transacta, & finita.

Glos.

Glos. Poteſt tamen opponi ad merita cauſæ: & exceptio peremptoria eſt, quæ intentionem agentis interimit, vt pactum de perpetuo non petendo, exceptio doli mali vi.

668 *Cap.* Si oblato. *Bonifac.viij.*

SI oblato ab actore libello reus excipiat peremptoriè, per hanc exceptionem non conteſtatur lis, ſed eſt conteſtanda, niſi exceptio ſit ex his tribus, quæ impediunt.

Glos. An per exceptionem peremptoriam conteſtetur lis.

DECRETALIVM LIB. II.

VT LITE NON CONTESTATA non procedatur ad teſtium receptionem, vel ad ſententiam definitiuam. Tit. VI.

669 *Cap. I.* Ad hoc Deus. *Innoc.iij.*

Trid.ſeſſ. 25.Ref.8



QVANDO cauſa eſt de ſeparatione thori ob adulterium, vel de receptione dotis,& reus eſt contumax, poteſt excommunicari,ſed teſtes contra ipſum non poſſunt recipi, nec ferri ſententia definitiua ante litis conteſtationem.

Glos. In cauſa criminali cum ciuiliter agitur, poteſt interuenire procurator. Item propter cõtumaciam procuratoris, non eſt dominus puniendus, ſed cum ſciuerit, & non ſe purgauerit poteſt excommunicari. Caſus in quibus ſpoliato viro non reſtituitur vxor, ſunt: Primus, cum timetur de ſæuitia viri, ſicut Dominus ſeuerus in ſeruum cogitur eum vendere: ſecundus ſi in continenti probetur impedimentum ſaltem in gradu indiſpenſabili: tertius ſi virgo fuerit & timeatur corrumpi: quartus ſi publice fornicatur: quintus ſi non vult habitare cum viro ſine cõtumelia Creatoris, alias viro eſt facienda reſtitutio, ante ingreſſum principalis cauſæ, præſtita ſufficienti cautione de impunitate perſonæ, niſi tanta eſſet viri auſteritas, quod non auderet ſe viro committere, quia tunc nullo modo debet reſtitui. Item in cauſa matrimoniali, id eſt cum agitur de fœdere matrimonij, ſunt multa ſpecialia. Primo poteſt procedi contra contumacem ad definitiuam ſententiam lite

non

non contestata: secundo potest etiam in causa per procuratorem: tertio confessio contra matrimonium non praeiudicat: quarto pater, & mater possunt testificari tam in coniungendo, quam in separando matrimonio: quinto sententia lata ad separandum, non transit in rem iudicatam: sexto in matrimonio non possunt interuenire transactio, compositio, arbitrium, nec poena habet locum: septimo non potest remitti iuramentum testibus. An sicut in ciuilibus, sic in criminalibus lite non contestata possit ferri sententia. Item, an & quando sit puniendus defectu procuratoris, vide ibi.

670 *Cap. II.* Accedens. *Innoc. iij.*

CVm agitur de restitutione, & aliquis est contumax, si lis non est contestata, non potest ferri sententia definitiua contra contumacem, licet possit excommunicari.

Glos. Iudex subditus actoris potest legitimè recusari. Item quando suspicio est notoria, & de ea non fit mentio in litteris, litterae dicuntur obtentae per veri suppressionem. An appellatio sine aliqua causa expressa valeat, vide ibi.

671 *Cap. III.* Tuae fraternitatis.

LIte contestata si reus est contumax, actor mittatur in possessionem rerum petitarum causa custodiendi: si actor mitti non potest, reus contumax excommunicetur; & Iudex ante missionem debet summam negotij perscrutari. Item contra eos, qui non admittunt actorem in possessionem ex mandato Iudicis, sunt quinque auxilia. Primo puniuntur in expensis: secundo actor anno elapso efficitur verus possessor, licet non possederit: tertio potest excommunicari, sed deferendum dignitati, & personae: quarto potest conuenire aduersarium pro interesse nato defectu possessionis: quinto potest eijcere manu militari. Item nimius fauor, id est, maxima amicitia, & non qualibet repellit Iudicem. Item duo conciues si sint tamen longinqui, vnus est suspectus.

672 *Cap. IV.* Quoniam frequenter.

REgulariter lite non contestata, testes recipi non possunt: sed si agatur ciuiliter, siue pars conuenta sit contumax, siue sine fraude sit absens, vt conueniri non possit, possunt recipi testes senes, & valetudinarij, vel alij de quibus timetur probabiliter copia, ne veritas occultetur. & tunc si actor intra annum non conuenit aduersarium, vel illi nunciet tales testes, testificatio recepta non valet. Item in causa matrimoniali carnali si citatus venire contemnit,

nit, vel se occultat, vel impedit ne citetur lite non contestata, testes sunt recipiendi, & procedendum ad sententiam definitiuam. Si vero Reus, siue maritus abest ex causa, & sine sua culpa, citari non potest: vt si sit in captiuitate, est expectandum donec verisimiliter præsumatur de obitu. & interim coniux, & si sine culpa, non tamen sine causa, cogitur esse continens. Item in matrimonio spirituali contracto, v. g. in electione ad prælaturam, si pars est contumax, procedatur sicut ius præcipit: si est absens, & per ipsum non stat, quin citetur, & agatur de promouendo, expectetur per sex menses, vel ad arbitrium iudicis. Item possunt testes accipi, vt quando fit inquisitio excessuum, vel quando timetur in posterum, ne aliter lis moueatur. Item in actione reali, si reus est contumax, actor mittitur in possessionem: & si Reus infra annum venit, & dat cautionem de stando iuri, solutis expensis recuperat possessionem; si post annum, non, sed potest agere de principali. Item si quis conuenitur super immobilibus, qui possidet nomine alieno, nominet Dominum in iudicio, & citetur Dominus, qui si non comparet est interrupta præscriptio, & iudex examinet negotium summariè, & det possessionem actori. Item si agatur de personali, post contumaciam mittatur actor in possessionem mobilium; si non sunt, immobilium; vel excommunicetur: & reus si infra annum venerit, audiatur modo supradicto.

Glos. Regulariter in quibus casibus lite non contestata testes accipi possunt, vide ibi; sunt in glossa multa, quæ ex tædio relinquo.

DECRETALIVM LIBER II.

DE IVRAMENTO CALVMNIÆ. Tit. VII.

673 *Cap. I.* Inhærentes. *Honor. iij.*




CLERICVS in causa suæ Ecclesiæ, non debet iurare in iudicio iuramento calumniæ, nec Episcopus inconsulto Papa: sed hoc iuramentum Clerici præstent per alios actores, seu defensores.

Glos. Grauiores quæstiones sunt terminandæ per Papam *cap. quod transactionem de off. delegat.* Item in iuramento calumniæ quinque continentur. Primo quod

credat

credat se bonam causam habere: secundo quod interrogatus non negabit quod credit esse verum: tertio non vtetur falsa probatione: quarto non petet dilationem in fraudem: quinto non dabit, nec promittet aliquid pro hac causa, nisi quæ iura permittunt. Item quod vni iure communi conceditur, ab alijs trahi debet in consequentiam, & nulli debet denegari, secus quando conceditur per priuilegium, non enim extenditur ad alios. Item in criminali causa iuramentum est præstandum de calumnia, sed non semper nec solum. Item hodie non seruatur hoc capitulum: in causa propria personaliter quilibet iurare debet, non sic in causa Ecclesiæ suæ, quando litem alijs committit, secus quando vult litigare in persona propria, etiam si sit Episcopus. Item si Clericus iuret sine licentia Episcopi, iudicium non vitiatur.

674 *Cap. II.* Litteras.

IVs canonicum in causis de Ecclesiasticis, Decimis, & rebus spiritualibus non ordinat iuramentum calumniæ; nec Ecclesia tale consueuit, quia hæ causæ debent tractari ex canonum æquitate, & non ex districtione legum. Est corre-ctũ in 6. cap. si de calũnia.

Glos. Sed in his iuratur de veritate dicenda, sed in criminalibus de iuramento calumniæ. Item si agatur de possessorio pro re speciali, iuratur de calumnia. Item in exceptionibus positis in re spirituali Iuratur de calumnia.

675 *Cap. III.* In pertractandis. *Eugen.*

IVramentum calumniæ potest ferri quandoque per principales personas, quandoque per œconomos, & fit in animam iurantis.

676 *Cap. IV.* Imperatorum.

ABbas, & Monaci non per se, sed constituant œconomum, qui pro eis petat & accipiat, & præstet iuramentum calumniæ: & si ipsi non eligunt, Episcopus idoneum œconomum eligat, pro monasterio, ne cadat à suo iure.

Glos. Qui de calumnia iurare non vult, cadit à causa.

677 *Cap. V.* Cæterum. *Lucius iij.*

CLerici in suis causis debent iurare de calumnia, non obstante consuetudine.

Glos. In causis ciuilibus iurent de calumnia. Item vtraque pars debet iurare: si vna non est præsens, detur ei bonus iurator, qui iuret. Item consuetudo contra legem non est seruanda.

Cap.

678 *Cap. VI.* Cum causam. *Innocent. iij.*

PRior Vniuersitatis habens mandatũ de rato iuret de calumnia. *Glos.* Datur tempus ad deliberandum ei qui iurat de calumnia. An excommunicatus conuentus possit iurare de calumnia. Respondeo sic. Item reus ante litis contestationem est interrogandus de quibusdam, vt an possideat rem de qua agitur: si negat,& actor oppositum probat,est auferenda, & danda actori. Item an sit hæres,& quota ex parte, an habeat talem seruum in sua potestate, an animal, an hæredes, & tandem quoties æquitas mouet iudicem potest ante, & post interrogare.

679 *Cap. VII.* Cum in causa. *Greg. ix.*

EPiscopus in causa pecuniaria, si per se litigare vult, debet per se iurare propositis, & non tactis Euangelijs. si per Procuratorem,per eumdem potest iurare de calumnia. Item si recusat iurare, quando iurandum est tale iuramentum, actor cadat ab actione, reus habeatur pro confesso.

Glos. Episcopus hodie nouo iure debet iurare in animam propriam, & in animam sui capituli. Item actor quia non vult iurare cadit à causa, non ipso iure, sed per sententiam Iudicis.

IN SEXTO LIBER II.

DE IVRAMENTO CALVMNIÆ. Tit. IV.

680 *Cap. I.* Si de calumnia. *Bonifac. viij.*

IVramentum de calumnia vel de veritate dicenda, non est necesse vt fiat in initio litis, potest enim fieri in qualibet parte litis. Item si in tota causa iuramentum calumniæ tacitè omittatur, processus legitimè factus non est nullus, neque annullandus. Item in causis spiritualibus iuretur de calumnia, & de veritate dicenda.

Glos. Si non tacite, sed partes remittent ipsum iuramentum de calumnia, processus esset nullus.

681 *Cap. II.* In appellationibus.

QVam vis in lite sit iuramentum, tamen in causa appellationis est iurandum de calumnia, & de veritate dicenda. Item pro-

procurator deputatus post iuramentum calumniæ factum à principali, debet etiam ipse iurare de calumnia. Item licet fuerit iuratum de calumnia, & de veritate dicenda, potest tamen Iudex exigere iuramentum malitiæ, quoties expedierit.

Glos. Iuramentum de calumnia licet non sit de litis substantia, tamen potest peti, & debet exigi, alioquin si nolit iurare, perdet litem supra in causa fide calumnia. Item licet defunctus iurauerit, tamen hæres, vel successor tenetur iurare quia Iuramentum non transit de persona in personam. Item semel iuratur de calumnia, sed sæpius de malitia.

682 *Cap. III.* Nullam sibi.

PRocurator constitutus cum speciali mandato ad iurandum de calumnia, in tali causa nominata potest admitti ad iuramentum calumniæ.

DECRETALIVM LIBER II.

DE DILATIONIBVS.
Tit. VIII.

683 *Cap. I.* Dilecti filij. *Alex. iij.*



IN litibus præsertim rerum Ecclesiasticarum si terminus peremptorius est nimis breuis, licite appellatur, & appellatio tenet.

Glos. Pro tempore peremptorij, est considerandum conditio causæ, & personæ.

684 *Cap. II.* Præterea. *Celestin.*

QVando reus vocatus ad iudicium potuit instrui ex transmisso rescripto, dantur ei induciæ ad deliberandum.

Cap. III. Litteræ tuæ. *Honor. iij.*

SI in libello repetitur aliquod verbum generale, vel ambiguũ, quod deinde declaratur, non ideo sunt petendæ nouæ dilationes, nec, si non concedantur, appellari potest: & hoc intelligitur, quando per libellum satis bene potest deliberare reus.

Glos. Qui per biennium non soluit pensionem rei Ecclesiasticæ

datæ

datæ in emphyteusim, cadit à iure suo. Potest tamen Emphyteuta purgare moram celeri solutione. Item in re priuati requiritur triennium. Item colonus si non soluit per biennium pensionem rei, ipsi locatæ in longum tempus, cadit: idem pro re fisci.

685 *Cap. IV.* Exposuit nobis. *Greg. ix.*

QVando quis vocatur ad respondendum suo aduersario, Romę, cui dantur certæ induciæ: si interim vocatur Romam, pro vtilitate Sedis Apostolicæ, non tenetur respondere illi causæ particulari, sed potest reuerti domum, & noue induciæ sunt illi dandæ.

EXTRAV. COMMVN.

LIBER SECVNDVS.

DE DILATIONIBVS.

686 *Cap.* In delictorum *Ioann. xxij.*

QVi excudebant falsos florenos, citantur, vt intra tres menses compareant ad reddendum rationem; alioquin procedetur contra eos non obstante absentia.

DECRETALIVM LIBER II.

DE FERIIS. Tit. IX.

687 *Cap. I.* Omnes dies.

DIES Dominici à vespera in vesperam seruentur, vt in eis non fiat mercatum, placitum iudicium, iuramentum, nisi pro pace, & necessitate, & tandem homines abstineant ab omni opere illicito.

Glos. Non fit iudicium ad pœnam, idest sanguinis, & præcipuè mortis, quia nec alia causa est tractanda nisi pietas suadeat.

688 *Cap. II.* Quoniam.

FEstorum finis & principium debent seruari, secundum eorum magnitudinem, & consuetudinem regionis. Item in Dominicis, &

eis & præcipuis festiuitatibus: & inter Pascha, & Pentecosten non fit genuum flexio, nisi quis ex deuotione, & in secreto, & nisi in ordinationibus.

Glos. Dies incipit, & terminatur diuersis horis pro diuersitate functionum.

689 *Cap. III.* Licet.

IN diebus festis, non tamen in maioribus solemnitatibus, est licitum propter necessitatem alecia piscari, & dent congruam portionem pauperibus & ecclesijs.

Glos. Vt licet piscari alecia in festo, quòd raro, & certis diebus apparent, sic propter necessitatem, vel pietatem licet ferre iudicium. Item portio quæ debetur ecclesijs eiusdem territorij, est quasi decima prædialis.

Cap. IV. Capellanus. *Clem.iij.*

DEclarat quæ tempora pro solemnitate nuptiarum, ne carnaliter coniungantur, sunt interdicta. vide Triden. sess. 24. de Refor. c. 10.

690 *Cap.* Conquestus. *Greg.ix.*

IN diebus festis, nisi necessitas, vel pietas suadeat, ita est abstinendum ab opere seruili, vt processus factus in his, vel sententia lata, & pronunciata, etiam de consensu partium, non valeant: In ferijs vero introductis fauore hominum, v. g. vindemiarum, vel messium, de consensu partium possunt ista fieri.

Glos. Ferijs fauore hominum introductis possunt partes sponte renunciare, sed non compelli, nisi res sit tempore peritura. Item si res pertinet ad pacem, vel quietem. Item potest appellare, sed non prosequi. Item causa pietatis, idest causa debilium, vel miserabilium personarum.

DECRETALIVM LIBER II.
DE ORDINE COGNITIONVM.
Tit. X.

691 *Cap.* Intelleximus. *Clem.iij.*

EXceptio peremptoria est examinanda ante sententiam ferendam rei principalis. v.g. Mulier vult probare quendam esse

ſuum maritum, vir excipit de conſanguinitate, prius eſt cognoſcendum de cōſanguinitate: quia hæc perimit principalem quæſtionem, qua probata abſoluitur vir.

Gloſ. An ſi obijciatur exceptio ſuper illa ſit pronunciandum, *vide gloſ. in verb. cognoſcendum*, vbi latè de hoc, & optime diſtinguit inter queſt. incidente, vel emergente.

692 *Cap. II.* Cum dilectus. *Innoc. iij.*

SI ego vi accipio rem meam à ſpoliatore, & ſpoliator agit contra me, & ego obijcio ſpoliationem: ſi obijcio excipiendo, prius ſum audiendus; & probata exceptione, non cogor reſpondere donec reſtituar: ſi obijcio agendo, tunc vtraque cauſa eſt tractanda, ſed illa prius quæ venit prior, & vltimo eſt danda ſententia, nec interim eſt reſtituendum.

Gloſ. Cum crimen ciuiliter probatur, teſtis non punitur pœna ordinaria, ſed tamen reijcitur à teſtimonio. Item quæſtio ſpoliationis niſi proponatur per modum exceptionis, non præiudicat ciuili quæſtioni, ſed criminali ſemper. Item an exceptio ſpoliationis interrumpat præſcriptionem? Reſpōdeo, non. An hæc poſſit opponi in qualibet cauſa? An ſi ſuccubuit in exceptione, poſſim dicere & agere de poſſeſſorio, & alia huiuſmodi? vide.

693 *Cap. III.* Tuam non. *Honor. iij.*

QVando petitur hæreditas, & excipitur de illegitimitate, prius eſt determinandum de illegitimitate coram iudice eccleſiaſtico.

Gloſ. Non valeret proceſſus ſucceſſionis, ſi prius natiuitas legitima non probaretur. Quæſtio præiudicialis quæ incidit in eam, prius eſt cognoſcenda quam cauſa principalis; ſi vero ſint duæ quæſtiones principales ambo ciuiles, tractatur prius illa, quæ primo proponitur vide gloſ. in verbo dependentem.

694 *Cap. IV.* Super ſpoliatione. *Greg. ix.*

SPoliator conuentus ſuper ſpoliatione ſi reconueniat petentem ſpoliationem non eſt audiendus, niſi ſuper queſtione ſpoliationis; ſed ſi excipit de ſpoliatione alias, repellit aduerſarium ab agēdo.

Gloſ. Quando ſint audiendi, & quando non, vide.

DE-

DECRETALIVM LIBER II.

DE PLVS PETITIONIBVS. Tit. XI.

695 *Cap. I.* Consilium.



Vi petit plusquam re sibi debetur, vel alia causa quam debetur, & persistit in iudicio petendi, condemnatur ad expensas. Qui petit plus loco, idest ratione loci, vel in alio loco, tenetur ad interesse natum ratione loci. Qui petit ante tempus, duplicantur induciæ, & soluat expensas.

Glos. In tribus primis casibus condemnatur ad triplices pœnas & expensas.

DECRETALIVM LIBER II.

DE CAVSA POSSESSIONIS, ET proprietatis. Tit. XII.

696 *Cap. I.* Susceptis. *Gregor.*



Avsa de possessione, & causa de proprietate debent cognosci ab vno, eodemque iudice, nec sententia est ferenda parte non audita, nec contra absentem non contumacem.

Glos. Intellige de sententia definitiua.

697 *Cap. II.* Ad vltimum. *Cælestin.iij.*

Causa possessionis, & proprietatis possunt simul tractari quoad suscipiendos testes, & allegationes, vt parcant sumptibus partium: his tamen acceptis prius est expedienda causa possessionis, seu prius pronuntiandum est in possessorio, quamuis petitorium simul terminetur. An in vtroque iure causa possessionis, & causa proprietatis possint simul expediri, vide in *glos. inter expressum.*

P 2 *Cap.*

698 *Cap. III.* Cum Ecclesia. *Innoc. iij.*

QVi est spoliatus, si simul agat de possessorio, & petitorio, & benè probat spoliationem, sed non dominium, vel proprietatem, restituetur illi possessio, sed succumbet in petitorio, seu proprietate: vt accidit Clericis Sutrinæ ecclesiæ, qui contra canonicos probarunt possessionem, sed non proprietatem eligendi Episcopum.

Glos. Quam Testis varius in dicto non valet, & qui vacillat reijcitur. *c. si testes §, item qui, 4. q. 3.* Qui nititur probare negatiuam reijcitur. Item qui probat spoliationem restituitur, sed si deficit in proprietate destituitur. Item cùm simul agitur de possessorio, & petitorio, prius pronuntiatur in possessorio. Item ius eligendi potest præscribi. Item si actor non probat, reus absoluitur *l. qui accusare C. de eden.* Item actor quam diu potest agere de possessorio, cautius aget si non agat de proprietate quæ tertio. Tres vices non inducunt consuetudinem nisi in criminalibus, *cap. ita nos 24. quæst. 2.* non obstan. *c. cum olim.*

Glos. Temporis. An longitudo temporis sufficiat ad præscribendum, quamuis nō multiplicentur vices? videtur sic ex hoc textu. Tamen respondeo quod nō, quia seruitutes, quæ non habent causam cōtinuā, requirunt duplicatū tempus, *l. si sit constituta ff. quemadmodū seruit. amitt.* Item in præscriptione ecclesiastica requiritur bona fides, & titulus iustus, sicut in consuetudine est alleganda causa: sed nō in incorporalibus, in quibus sola sufficit pacientia pro toto, vt hic.

699 *Cap. IV.* Cùm super. *Innoc. iij.*

DIcit idem quod in præcedenti: restituitur possessio, sed vtraque electio cùm non fuerit canonica cassatur, & restituuntur fructus. Item iudex debet pronunciare de ea re, quam cognoscit.

Glos. In qua re hæc regula fallit. Primo in causa criminali Episcopi *c. quamuis 3 q6.* Secundo in sententia lata à superiore *cap. de cætero infra de re iudic.* Tertio vbi sola cognitio demandatur *c. cùm olim infra de test.* Quarto in incidentibus quæstionibus *c. 1. de ord. cognit. l. adita C. de ord. iud.* Adde, fallere etiam propter appellationem, recusationem, vel reuocationem, quia tunc minor iudex, qui cognouit non potest pronuntiare *c. dilectus inf. de appellat.*

700 *Cap. V.* Pastoralis.

SPoliatus, qui inchoat litem, mauult agere de proprietate, non facta mentione de violentia, seu possessione; antequam tamen sit renuntiatum, vel conclusum de proprietate, potest agere de spoliatione,

liatione, sed postquam est renũntiatum, vel sic conclusum, quod diffinitiua sententia posit ferri de proprietate, non potest agere de possessione, nisi iusta causa moueat animum iudicis, v.g. cùm clarè arguitur iniquitas inuasoris, & via spoliato tollitur, casu, vel malitia probandi dominium.

Glos. Recuperanda. Iudicium possessorium est tantum triplex, primum pro adipiscenda possessione, & aliud dicitur Quorum bonorum, aliud Quorum legatorum, & aliud Saluianum. Secundum pro recuperanda, & aliud dicitur Vnde vi, aliud Quod vi, vel clam. Tertium pro retinenda, & aliud dicitur Vti possidentis pro re immobili, aliud Vtrobi pro re mobili. ***§. adipiscenda, & §. seq. instit. de interdict.***

Glos. Interdictum) Interdictum olim erat quædam formata, & solemnis conceptio verborum, quibus Prætor aliquid fieri iubebat; vel prohibebat: hodie loco interdicti datur vtilis actio in factum, ***instit. de interdict. §. vltimo.***

Glos. Non decisa) qui succumbit in iudicio proprietatis, potest agere pro possessione.

Glos. Æquitatem. Vbi ius non est proditum, iudex debet procedere secundum æquitatem, quam semper ante oculos debet habere, ***l. quod si Ephesi. ff. de eo quod certo loco.***

701 *Cap. VI.* Cum dilectus.

QVando actum est super possessorio, & petitorio, vtrumque est terminandum vnica sententia, sed in pronũciatione permittitur possessio, in exequutione verò præualet proprietas.

Glos. Super possessorio. Quomodo de vtroque possit simul agi, vide ibi.

702 *Cap. VII.* Cum olim.

BEneficiatus, qui probat collatorem fuisse in possessione conferendi tempore collationis sibi factæ, relinquitur in possessione. Aduersarius tamen potest agere contra collatorem circa proprietatem iuris conferendi. Not. quod Iudex datus de consensu procuratoris domini, non potest ab ipso recusari. Item res acta inter quosdam non nocet alijs.

Glos. Reseruata. Episcopus non potest repellere tales Canonicos volentes de proprietate agere per exceptionem rei iudicatæ in possessorio iudicio, quia talis exceptio transit quidem ab actore suo in alium, idest emptorem, sed non reuertitur ad suum actorem, ***l. si à te. §. vltimo, de except. rei iudicat.***

703 *Cap. VIII.* In causa. *Honor. iij.*

QVi petit aliquam rem, & affert vnam causam, in qua succumbit, potest nihilominus eamdem iterum petere ex alia causa, non obstante sententia lata.

Glos. Indicium census, qui soluitur alicui, est aliquando signum subiectionis, aliquando exceptionis, *cap. cum venerabilis, de censib.* aliquando protectionis. *cap. receptionis, inf. de priuil.*

CLEMENTIN. LIB. II.

DE CAVSA POSSESSIONIS, & proprietatis. Tit. III.

704 *Cap.* Causa beneficialis.

QVando causa beneficialis per legitimam appellationem deuoluitur ad Curiam, vtraque pars potest tentare petitorium, & possessorium, & ante causæ conclusionem spoliatus potest prosequi possessorium suspenso petitorio suo, vel ab aduersario tentato.

Glos. Nemo debet appellare ad Papam omisso medio, sed seruetur forma *cap.* 1 *de appellationibus, in 6.* & potest quis in prima instantia litigare coram Papa, medio omisso. Item spoliatus tentans petitorium, antequam sit conclusum, vel renuntiatum potest, omisso petitorio, agere de possessorio. Item hic canon habet locum in beneficialibus, vel præbendis, sed non in ecclesijs, vel in alijs. Item coram iudice appellationis non fit reconuentio. Item petens restitutionem beneficij non tenetur iustificare possessionem, vel probare titulum.

DECRETALIVM LIBER II.

DE RESTITVTIONE spoliatorum. Tit. XIII.

705 *Cap. I.* Licet. *Greg. ix.*

ANte omnem litem est restituenda possessio violenter ablata, sed lite spoliatus cedit iuri suo, & consentit vt spoliatus ante resti-

te restitutionem possessionis probet proprietatem, omittitur restitutio,& expectatur sententia.

Glos. Violenter ablata sunt restituenda cum fructibus, & sumptus, quos fecit inuasor non potest petere, nec retinere, quia donasse videtur; & quicquid plantauit, vel serit, si radices egit, cedit loco, & tenetur etiam de eo, quod casu perijt: sumptus vero necessarij, sine quibus res facta fuisset deterior, non sunt relaxandi.

706 *Cap. II.* Sollicitè. *Alex. iij.*

QVando quis est spoliatus, & deinde renuntiat ecclesiæ tunc testes contra cum non sunt recipiendi antequam restituatur, quia non præsumitur liberè renuntiasse.

Glos. Possessio est priuilegiata, nec obstat titulus sequens.

707 *Cap. III.* Accepit.

QVando spoliatus agit pro spolio, & pars contraria probat sponte renuntiasse sine metu, & vi, spoliatus non est audiēdus.

Glos. Si probat renunciasse ante spoliationem, non est audiendus, & sic concordat cum præcedenti.

708 *Cap. IV.* Audita.

QVando Papa rescribit secundas littetas, ne quid immutetur si per primas litteras fuit lata sententia antequam venirent secundæ, non reuocatur si post reuocatur.

Glos. Nemo potest habere duas ecclesias quoad rectoriam. Item quis per renunciationem sponte factam amittit ius. Item sententia lata post reuocationem litterarum non valeat. Item Papa per suum rescriptum non vult derogari iuri alicuius. Item si sententia non esset lata, primæ litteræ reuocarentur. *de rescriptis cap. cæterum cap. ex parte.*

709 *Cap. V.* In litteris.

QVando vnus dicit se vi eiectum de possessione, & aduersarius dicit illum non fuisse canonice electum, debet prius agi de violenta eiectione, quàm de canonica institutione, quia secundum ius etiam prædo est restituendus.

Glos. Nisi Dominus eodem tempore petat cum fure.

710 *Cap. VI.* Item cùm.

CVm spoliatus agit de vi vel clam, & aduersarius obijcit crimen, prius agendum de possessione.

711 Cap. VII. Conquerente.

QVi spoliat clericum beneficio, non seruato iuris ordine, debet prius restituere beneficium, & fructus, deinde agere.

Glos. Spoliatus non tenetur respondere de proprietate, donec fuerit restitutus.

712 Cap. VIII. Ex transmissa.

SI vir probat legitimam dispensationem, & copulam, & det cautionem, quod non inferet malum mulieri, est illi restituenda vxor: si vxor diffidat à viro ob capitale odium, committatur alicui custodienda donec causa videatur.

Glos. Si probetur legitimus consensus in facie Ecclesiæ, licet obijciatur impedimentum, vxor est danda viro, nisi impedimentum sit perpetuum, vel indispensabile, & sic non sufficit probare solam possessionem. Idem circa seruum est dicendum.

713 Cap. IX. Cum venisset.

QVando clerus v. g. possidet Ecclesiam sibi concessam ab Episcopo per alium, à quo possessionem accipiunt, mortuo illo immediato possessore potest ingredi possessionem sine alio nouo consensu Episcopi, & omnia relicta ab illo sunt cleri.

Glos. Licet beneficium non vacans non possit conferri alicui particulari, potest tamen conferri Collegio, vel Vniuersitati.

714 Cap. X. Ex conquestione. *Lucius iij.*

SI vir vxorem relinquat, & agat de nullitate matrimonij apud iudices, & mulier petat sibi restitui virum appellando, prius est restituendus vir, & omnia acta post appellationem sunt nulla.

715 Cap. XI. Grauis.

QVi ab alijs rem vi, damno, & iniuria abstulit, tenetur integrè restituere rem, & plenè, & resarcire damna, & fructus non solum perceptos à violento, sed quos Domini percepissent, & satisfacere iniurijs, & ad hæc compellatur.

Glos. Violentia est probanda per testes: si aduersarius negat reo per proprium iuramentum, considerata qualitate personæ, Iudex taxando condemnet, iniurias specificet actor. Item fructus sunt restituendi deductis necessarijs expensis, siue in bona, siue in mala fide. Item bonæ fidei possessor restituat fructus extantes, & non consumptos ante litis contestationem: sed post litis contestationem

nem restituat etiam consumptos post eam, nec cessat bona fides propter solam denuntiationem. Item possessor malæ fidei tenetur reddere omnes fructus, qui ad eum prouenire probantur ante litis contestationem. Item violentus possessor tenetur ad omnes, etiam ad eos, quos percepissent Domini, vt dicitur in tex. Item possessor bonæ fidei tenetur restituere omnes fructus naturales, & consumptos, & extantes.

716 *Cap. XII.* Olim causam. *Innoc. iij.*

QVando v. g. aliqua Ecclesia est promissa alicui, & deinde inscio domino sumitur, vel traditur possessio ab aliquo, cum clausula si placeat Domino, si statim vi eijcitur, eiectus non potest agere de possessorio, & eijciens si excessit modum, satisfaciat pro modo.

Glos. Qui possidet sub conditione, non dicitur possidere. Item licet in continenti, & cito vim repellere. Item inscio domino accepta possessio non præiudicat: quando præiudicatur possessor, vide in *gl. A.* Item, qui petit restitutionem, debet duo probare: primò se possedisse, & non ex precario, vel ex gratia: secundo, se spoliatum fuisse. An isti, qui vi vim repellendo excesserunt modum, sint excommunicati, videtur non. Respondeo sic, quia scienter exciderunt, secus si casu, vel ignoranter.

717 *Cap. XIII.* Litteras tuas.

AN quando vxor sua temeritate, sine iudice discedit à marito, deinde coram iudice petit separari, opponens gradum consanguinitatis, etiam illum in quo Ecclesia non solet dispensare, vt in secundo, & habet promptas, & paratas probationes, sed vir petit sibi vxorem restitui, an iudex debeat illam restituere. Respondeo: est triplex opinio. Prima affirmat cum tex. ex Lucio Papa: nec est timendum de incestu, quia scientes consangninitatem nec petere, nec reddere debitum possunt. Secunda negat cum tex. *cap. 1. de ordin. coniu.* ex Clemente, quia si probatur exceptio, perimitur principalis quæstio. Tertia distinguit in casibus iure diuino prohibitis, in quibus Papa non potest dispensare, nec est restituenda; in casibus iure humano prohibitis, in restituenda, in quibus, qui ad mandatum Ecclesiæ reddit debitum, non peccat. Hæ tres opiniones non reprobantur, nec alicui fit præiudicium: ideo responde ad tollendum periculum incestus, & perplexitatem mulieris. Mulier opponens consanguinitatem, præsertim in gradu à lege diuina prohibito, si in continenti offert probationes paratas, præci-

præcipuè si fama consentit, est præcipienda restitutio in omnibus præter copulam carnalem, quousque causa terminetur. Interim ad cautelam iuret mulier, quod non malitiosè obiecit. Si verò non habeat incontinenti paratas probationes, sed dilationem quærit, compellatur censuris ad plenariam restitutionem, quia præsumitur contra eam, cùm sua temeritate, sine iudice recessit à viro: ipsa tamen ex se abstineat à toro, & humiliter toleret censuram donec rem probauerit, & absoluatur: sed si tanta sit sæuitia viri, vt non sit tuta, non restituatur, vel prouideatur de sufficienti securitate.

Glos. Nota, debet quis sequi potius propriam conscientiam, quam sententiam iudicis. An qui expulit à se vxorem, & deinde eam repetit, sit ei facienda restitutio. Item *Glos.* putat quod Papa in gradum prohibito lege diuina non potest propriè.

718 *Cap. XIV.* Ex parte.

QVando non præcesserunt, nec sunt sequuta sponsalia, vel consensus legitimus, sed vir traduxit mulierem in domum suam, & mulier discedens vult alteri nubere, vir non potest petere restitutionem mulieris, quia non fuit spoliatus, & mulier potest agere per procuratorem.

719 *Cap. XV.* Cum ad sedem.

INterdictum vnde vi non competit contra illum, qui non spoliauit, nec mandauit spoliare, nec ratam habuit spoliationem: quæ si non probatur per testes, vel partium confessionem, in iudicio, vel per instrumenta, vel per euidentiam facti, si quæ fuit lata sententia cassatur.

Glos. Acta in vno iudicio fidem faciunt in alio. Item à sententia super possessorio appellatur, licet legibus contrarium sit cautum. Item interdictum vnde vi datur vniuersali successori, & non singulis. An interdictum vnde vi detur singulis, & in qua re, vide ibi.

720 *Cap. XVI.* Olim nobis.

SPoliator, qui spoliatus fuit, nec habet vnde restituat, non est cogendus ad restitutionem, nisi prius sit restitutus, vt habeat vnde restituat, alioquin actio, quam inopia debitoris excludit, esset inanis.

721 *Cap. XVII.* Olim inter.

NOn debetur restitutio Parochiæ illi, qui dicit se spoliatum, & probat eo solo, quia excommunicauit, & populus Parochiæ

chiæ abstinuit ab ingressu timore excommunicationis.

Glos. Iudex non acquirit possessionem ex eo, quod aliquis timet sententiam latam à non suo iudice: & qui petit restitui, debet probare se possedisse, & spoliatum fuisse. An qui timore victus abstinet, perdat possessionem? videtur sic, quia paret, vt subditus: videtur non, quia ex timore.

Glos. Timor excommunicationis æquiparatur timori cadenti inconstantem virum, & in tali dubio melius est obedire.

722 *Cap. XVIII.* Sæpe contingit.

SPoliator si distraxit rem in alterum scientem, spoliatus habebit beneficium restitutionis contra retinentem scienter.

Glos. Quod ignoranter. Item iura pro eodem putant auferre, & detinere iniustè.

723 *Cap. XIX.* Pisanis. *Gregor. ix.*

QVi occupat locum, in quo quis liberè aliqua iura possidet, v. g quia non potest impediri in exigendis fructibus, occupans potest conueniri, vt restituat libertatem possidendi: & quia ista restitutio non potest fieri, nisi remittat locum occupatum, cum semper possit dominum prohibere, ne liberè possideat; ideo occupans potest cogi, vt locum dimittat, vt fuit factum Pisanis ob Episcopum Lucanum.

Glos. Qui peccat tam in facto, quàm in modo, vel altero tantum, factum non valet; vt in electione, quia forma data omnino est seruanda.

IN SEXTO LIBER II.

DE RESTITVTIONE SPOLiatorum. Tit. V.

724 *Cap. I.* Frequens. *Innoc. iij.*

AD tollendas dilationes litium in ciuilibus, si obiectio spoliationis est posita ab aliquo, quam ab actore, non impedit quin procedatur. v. g. Titius spoliauit te, & ego ciuiliter ago contra te, non potes excipere de spoliatione. Similiter si ego spoliaui, deinde ago pro mea Ecclesia, non potes excipere: si pro me, potes in criminalibus, siue ab actore, siue ab alio sis spoliatus, ab om-

ab omnibus tamen bonis, & non à parte minima potes; & in vtroque casu debet probare exceptionem intra quindecim dies, alioquin condemnabitur ad expensas actoris taxa iudicis, & potest puniri.

Glos. Dubium est inter Doctores, an si actor spoliauit, & agat de quacumque actione, sit repellendus donec restituat, an tantum in actione de re, qua spoliauit. Item cùm est probanda spoliatio intra quindecim dies, non computatur prima dies exceptionis: similiter in exceptione excommunicationis: secus quando dantur decem dies ad appellandum. Item dies, in quibus oportet sistere in iudicio, vel cùm committitur causa terminanda intra certum tempus dies præsentationis litterarum non computatur: quod si vltimus dies est feriatus respondere, debes præuenire. Item sunt decem & septem casus, in quibus cōpellitur quis agere ex Hostiensi T: qui excipit, si infra tempus datum à Iudice non petit restitutionem, & litem: si potest, non terminat, poterit accusari, non obstante exceptione T. Si te spoliaui nomine priuato, & deinde ago de iure meæ Ecclesiæ, vel contra; & tu excipis de spoliatione: non valet exceptio.

725 Cap. II. Ad decimas. *Bonifac. viij.*

QVando clerici petunt decimas de prædijs, quæ sunt in aliena, v.g. Parochia, non sunt audiendi si dicant se spoliatos, nisi probent se legitimè possedisse, quia præsumitur iniustè occupasse; cum prædia in aliena parochia, de iure communi, ad eandem pertineant, nisi aliud ostendatur.

Glos. Scilicet, debent probare titulum, quo decimas possidebant, & non sufficit probare possessionem: quomodo vero acquiritur titulus, ibi. Item possidens aliquid contra ius præsumitur possessor malæ fidei. Item decimæ de iure communi pertinent ad ecclesiam parochialem, vbi sunt. Item si fuissent spoliati à tertio, habuit locum hæc decretalis.



D E-

DECRETALIVM LIBER II.

DE DOLO, ET CONTVMACIA. Tit. XIV.

726 *Cap. I.* Ad hæc. *Alex. iij:*



EVS, qui spoliauit, si est absens, & non paret iudici in danda possessione, immo per dolum, & potentiam impedit ingressum ad possessionem, si in fine anni offert cautionem standi iudicio, est patienter admittendus, & non priuandus, quia in personis, & negotijs Ecclesiasticis non requiritur districtio, & rigor iuris, cum iustitia non periclitatur.

Glos. Qui in possessionem mittitur per primum decretum efficitur tantum custos, & non possessor. Item contumax quibus pœnis mulctetur, *cap. tuæ, vt lite non contestata.* Item, qui impeditur ab aduersario ne consequatur possessionem, intelligitur possidere.

727 *Cap. II.* Ex litteris.

IVdex propter contumaciam partis potest rem petitam sequestrare, & condemnare contumacem in expensis partis. Item litteræ Apostolicæ secundæ si non faciunt mentionem de primis in eadem causa, vel non contineant nomina particularium, qui erant in primis, non præiudicant primis, quia dolus, & fraus nulli debet patrocinari.

Glos. Qui malitiosè trahit alium ad iudicium, debet condemnari ad expensas. Item litteræ generales non reuocant speciales. Item multis modis cõmittitur contumacia: primò si non venit: secundò, si non restituit: tertiò, si non respondet, vel obscurè respondet: quartò, si non iurat: quintò, si recedit negotio in festo: sextò, si non exhibet. Item de iure non debet fieri sequestratio, sed res tradenda.

728 *Cap. III.* Causam, quæ.

SI reus est contumax, idest si citatus non paret, vel non vult parerē iudicio, vel se absentat, si pars instet, iudex vocet procuratorem eius: si non venit, vel non est, mittat denuntiationes ad domum

domum eius, & accipiat testes alterius partis contra actorem absentem, & proferat sententiam.

Glos. Etiam lite non contestata. Item legitima citatio fit trinis edictis, vel vno peremptorio pro tribus. Item hæc decret. loquitur quando actor est absens, reus presens.

729 Cap. IV. Pro vt nobis. *Vrban. iij.*

SI lite contestata reus vocatus est contumax, si liquet de causa feratur sententia diffinitiua: si non liquet, petens ponatur in possessione, & pro absente seruetur quæstio proprietatis.

Glos. Si in causa liquet, vel liquere potest. Item si causa est talis, vt actor non possit mitti in possessionem, reus debet excommunicari.

730 *Cap. V.* Finem litibus. *Innocent. iij.*

QVando actor habet intentionem fundatam, si altera pars obijcit exceptionem, & in continenti non probat, sed accipit inducias, condemnabitur statim ad moderatas expensas, & si non est soluendo puniatur arbitrio iudicis.

Glos. In hac Decretali continetur ius nouum, ideo dicit statuimus. Item loquitur de exceptione peremptoria. An hoc cap. circa expensas, habeat locum in exceptione dilatoria, quæ fit ante litem contestatam. Item hoc regulare est, vt qui non est soluendo alio modo puniatur; & quando certa pœna non est taxata, iudicis arbitrium habet locum, vt pensata æquitate procedat.

731 *Cap. VI.* Cum dilecti.

QVi citatus intra certum terminum per se, vel per alium non comparet in illo termino, vel paulo post, si non est legitimè impeditus, licet nuncium miserit ad excusandum, habebitur contumax, & condemnabitur ad expensas à tempore contumaciæ.

Glos. In causa communi eiusdem litis, si vnus post litem contestatam vult agere pro alio, admittitur etiam sine mandato, præstita tamen cautione de rato. An etiam in causa criminali, est dubium? Item post litem contestatam cauetur de rato. An citatus impeditus debeat mittere procuratorem; vel satis sit mittere nuncium excusantem.

732 *Cap. VII.* Cum olim.

IN causa beneficiali post latam sententiam Papa potest cognoscere. Item contumax, & condemnatus, vt conuincatur eius malitia,

malitia, debet iterum ex abundanti citari ad causam defendendam: & si est intra prouinciam, & intra tres menses non comparet; si verò extra, intra annum postea confirmetur prima sententia, & interim in illo anno idem fiat administrator.

733 *Cap. VIII.* Veritatis.

SI contumax est absens ex malitia, possunt recipi testes, potest excommunicari, deponi, priuari officio Pontificali, vel Sacerdotali, & quæcumque facta post has sententias irritantur.

Glos. In causa denunciationis, lite non contestata, possunt recipi testes contra contumacem, & in absentem contumacem fertur sententia depositionis, quia excommunicatus, vel suspensus celebrauit. Item in magno crimine deponitur quis per denunciationem. Item hoc valet in criminalibus.

734 *Cap. IX.* Contingit.

QVando actor ex decreto iudicis debet poni in possessione rei custodiendæ, & propter dolum, vel potentiam rei non admittitur, vel admissus reijcitur, transacto anno efficitur verus possessor, ne contumax sit melioris conditionis.

Glos. Secundum iuristas non dicitur propriè custos rei seruandæ, quando agitur de actione reali, sed verus possessor; licet reus, si veniat infra annum secundum formam iuris, rem recuperat: secundum can. propriè dicitur, quia infra annum non est verus possessor, sed custos. Item duæ sunt pœnæ contra contumaces, missio in possessionem, & excommunicatio. Quid si per alium tertium impedior à possessione? Item d. An elapso anno ipso iure fiat verus possessor; vel requiratur sententia iudicis, & idem in causis spiritualibus, & an ex iure canonico missus in possessionem ex primo decreto, si eijciatur possit petere restitutionem.

735 *Cap. X.* Venerabilis. *Greg. ix.*

SI citandus non inuenitur, citatio potest figi in valuis Ecclesiæ suæ, & valebit.

Glos. Secundum ius can. instantia iudicis, elapso triennio, non finitur, sicut in ciuilibus. Item in quibus potest procurator interuenire.

IN SEXTO LIBER II.

DE DOLO, ET CONTVMACIA. Tit. VI.

736 *Cap. I.* Actor. *Innoc. iij.*

SI non curat venire ad terminum, ad quem fecit citare aduersarium, condemnetur ad expensas factas à reo.

Glos. Veniendo cum lite, nec amplius admittendus ad aliam citationem, quod in termino comparebit fideliter.

Glos. Si tamen hoc pars petat, vt non admittatur, nisi præstita cautione, quia iudex non debet interponere suum officium ad priuatam vtilitatem, nisi requisitus. An iste sit condemnandus in expensis pro simplici citatione, vel pro citatione peremptoria. Item quid si neuter comparuit, an sit condemnandus ad expensas, vel aliud? Item reus in qualibet contumacia, etiam ante peremptorium condemnatur ad expensas, sed non potest excommunicari, nisi post peremptorium.

737 *Cap. II.* Eum, qui. *Bonifac. viij.*

QVi in sententia interlocutoria, vel grauamine appellat à iudice, non est amplius citandus ad ea, quæ post sunt facienda in iudicio, vel ad sententiam audiendam, nisi sponte renunciet appellationi.

Glos. Intelligitur in casu, in quo appellatio non impedit excusationem. Item contumax in vno actu citabitur ad alios actus, secus si fuit citatus ad totam causam, & fuit contumax. Item quando dantur plures iudices, cum clausula quod si non omnes, & duo pronunciant vnum, & tertius aliud, illi duo non possunt procedere ad exequutionem non vocato tertio, scilicet si in exequutione sententiæ sit cognitio causæ.

CLEMENTIN. LIB. II.

DE DOLO, ET CONTVMACIA. Tit. III.

738 *Cap.* Si ante.

QVi ante definitiuam sententiam appellat, iudex non deferens eius appellationi in causa procedit,& fert sententiam definitiuam: si prima appellatio non fuit manifestè friuola, potest ab illa sententia definitiua intra tempus debitũ appellare.

Glos. De iure canon. potest quis appellare à sententia interlocutoria, à quocumque grauamine: de iure ciuili non, nisi tale esset grauamen, quod non posset repari à definitiua, quia tunc posset appellare ab interlocutoria iure ciuili. Item quando appellatur ab interlocutoria, iudex potest dare Apostolos refutatorios, idest litteras testimoniales, & ipse potest procedere ad vlteriora, si causa appellationis sit irrationabilis, secus in diffinitiua sententia. Item sententia est varia: vt diffinitiua, quæ iudicialiter finem imponit condemnando, vel liberando, in quæstione principali, quam iudex non potest reuocare. Interlocutoria, quæ fertur in medio causæ, non super principali, sed super emergenti, & incidenti quæstione, vt de libello, vel dilatione danda, vel de testibus suscipiendis: & dicitur semiplena, quam quilibet iudex, etiam arbiter potest reuocare. Conuentionalis, & est amicabilis compositio, quando iudex monet conuenire inter se. Item sententia per errorem reuocatur. Item, qui appellat debet petere Apostolos à iudice, à quo appellat: & sic Apostoli dicuntur litteræ datæ appellanti, in quibus continentur allegationes, & processus causæ. & Apostoli, vel sunt conuentionales, vel testimoniales de appellatione facta, vel dimissorij, id est quãdo apparet,quod iudex detulit appellationi. Alij reuerẽdi,vel reuerentiales,id est quando ob reuerentiam superioris defertur appellationi. Item tempus debitum est decem dierum à tempore notitiæ. Item manifestus contumax quis dicatur, & an verus contumax, sed non manifestus possit appellare.

EXTRAV. COMMVN.

LIBER SECVNDVS.

DE DOLO, ET CONTVMACIA.

738 *Cap.* Rem non nouam.

Citandi à Sede Apostolica, si per se, vel per alios faciunt ne citationes ad eos perueniant, vel ne figantur in eorum domibus, vel ne tute ad eos ire liceat, & libere: tunc si citationes fiant in audientia litterarum Apostolicarum, aut in aula palatij, postea affigendæ in valuis maioris ecclesiæ loci, vbi curia Romana residet; si fiant extra dies solemnes, ita ligent post lapsum terminum proportionatum illi, etiam si sint Reges, & Imperatores, ac si personaliter essent citati, non obstantibus priuilegijs, indulgentijs, litteris generalibus, vel specialibus, etiam si de verbo ad verbum, &c. etiam si essent nominandæ personæ.

Glos. An Papa possit procedere contra aliquem omissa citatione, vbi multa de iure diuino, naturali, positiuo, humano, &c.

DECRETALIVM LIBER II.

DE EO, QVI MITTITVR IN possessionem causa rei seruandæ. Tit. XV.

739 *Cap. I.* Constitutis. *Alex. iij.*



Missus ex primo decreto in possessionem causa rei seruandæ, v. g. Ecclesiæ, si pars contraria, licet hoc velit facere, tamen intra annum, sua culpa, non præstat cautionem, acquirit possessionem incommutabilem illius rei saluo iure partis pro proprietate.

Glos.

Glos. Pars aduersa, si iudicem habere non potest, offerat, & præstet cautionem coram publicis, & honestis viris, ne annalis præscriptio currat: tunc enim per ipsum non stat. Similiter si non potest iudici præstare cautionem, præstet parti, sicut & potest præstare iudici parte absente; alias honestæ personæ, vt dictum est.

740 *Cap. II.* Cum sicut. *Clem.iij.*

QVi passus est missionem in possessionem, si infra annum offert cautionem iudicibus, vel vni ex his, licet iudices illam non capiant, non currit annus ei: & sic post annum restituetur, quia per ipsum non stetit.

Glos. Idem si non habet copiam iudicis. Item quod per me non stetit, non est mihi imputandum.

741 *Cap. III.* Cùm venisset. *Innoc.iij.*

QVi passus est missionem in possessionem, secundum ius, & secundum laudabilem consuetudinem, si appellat præstita cautione restituitur in possessionem, & differtur solutio expensarum necessariarum, donec constet fuisse contumacem, vel consuetudinem non fuisse laudabilem; & si secus constat, soluat expensas.

Glos. Lapsus anni ad recuperandam possessionem non obstat, si per eum, qui eam amisit, non stat. Item legitima appellatio impedit. Item præscriptio annalis interrumpitur per oblationem cautionis. An per oblationem cautionis renunciauerit appellationi factæ Papæ, vide. Item expensæ necessariæ dicuntur, sine quibus deterior esset res, si non fierent, aut etiam periret *l. expensæ ff. de verb. signif. l. ac si necessarias ff. de pign.*

Cap. IV. Si aduersarius.

ADuersarius si citatus non comparet, nec aliquis pro eo, agens mittatur in possessionem causa custodiæ. Secus si non fuit citatus personaliter.



IN SEXTO LIBER II.

DE EO, QVI MITTITVR IN POSS. causa rei seruandæ. Tit. VII.

742 *Cap.* Eum, qui.

IN beneficijs ecclesiasticis propter contumaciam absentis non mittitur quis in possessionem causæ: sed diligenter examinato negocio, etiam lite non contestata, fertur sententia, & terminatur debito fine.

Glos. Si mitteretur in possessionem, ex primo decreto haberet vitiosum ingressum in beneficium, quia non haberet titulum, siue institutionem. Item quia constat de intentione absentis quod sit deliberatus non venire, non est citandus, quia citatio est ad explorandū animū, an velit venire. Item personatus non est dignitas, cum textus dicat de obtinendis. An etiam intelligatur de obtentis? Resp. sic.

DECRETALIVM LIB. II.

VT LITE PENDENTE NIHIL innouetur. Tit. XVI.

743 *Cap. I.* A memoria.



LITE pendente nihil est innouandum, nec alicui auferenda possessio. & si ego obtineo litteras, quibus tu priuaris sine causæ cognitione, vsu possessionis, litteræ illæ tanquam subreptitiæ non valent, donec constet, an sit iuridicè possidens.

Glos. Papa reuocat quod iniustè fecit, vel quod iustè, sed incipit esse occasio mali. Item incorporalia possidentur, vel quasi possidentur, vt ferre crucem ante se. Item hodie archiepiscopus de iure potest ferre crucem ante se per loca etiam exempta suæ diæcesis. *Clem. vlt. de priuilegijs*, & *Glos. in hoc tit.* loquitur de iure antiquo: sed quatuor Patriarchæ possunt vbique etiam extra prouinciam ferre crucem ante. Excipitur Romæ, vel coram Papa, vel eius Legato.

Cap.

744 *Cap. II.* Laudabilem. *Clemen.iij.*

CONiux accusatus de adulterio pro separatione tori, ante probationē accusationis non est priuandus possessione coniugali.

Glos. Qui ad mandatum Ecclesiæ soluit debitum vxori, sibi præiudicium non facit. Item conscius impedimenti non debet exigere, nec reddere.

745 *Cap. III.* Ecclesia.

LIte pendente res litigiosa non debet in alium transferri, & si facto transferatur, ita vt recuperari non possit, alia res restituatur loco illius, quæ censebitur litigiosa, eodem iure, vt prima, nec alienari poterit.

Glos. Pœna ementis rem litigiosam est, si scienter, amittit prætium, quod applicabitur Fisco, & rem ipsam; si ignoranter, recuperabit pretium, & tertiam partem plus. Idem de dante, & donatario scienter, vel ignoranter. Excipiuntur aliqui casus, vt dotis, donationis ante nuptias, &c. vide ibi.

746 *Cap. IV.* Ecclesia sanctæ.

IDem quod in præcedenti.

Glos. Quando Superior reuocat ad se negotium, quicquid tentat inferior non tenet. Item si res non potest restitui, fiat in aliquo æquiualenti. Item quando pignus restituitur, non intelligitur debitum esse remissum, sed quando restituitur chirographum videtur esse remissum, quia ex chirographo nulla alia vtilitas habetur, nisi remissio debiti, ex pignore vero habetur alia.

747 *Cap. V.* Dilectus. *Honor.iij.*

QVando litigatur de aliqua re, si obtineatur priuilegium fauorabile, in quo non fiat mentio de lite, vel indulgentia, non valet.

Glos. Vt priuilegium non valet tacita lite, ita nec tacita compositione; ita nec super re iudicata impetratum ad sententiam retractandam. Idem si vt pragmatica, vel sanctio, vel quid simile.

IN SEXTO LIBER II.

VT LITE PENDENTE NIHIL innouetur. Tit. VIII.

748 *Cap. I.* Dispendijs. *Bonifac. viij.*

SI duo electi litigant de Ecclesia super electione, & vnus moritur, vel cedit iuri suo, vel cadit, seu excluditur à prosecutione, lite pendente non fiat alia electio, & si fiat est nulla, donec constet, an superstes sit legitimè electus.

Glos. Secunda electio esset nulla, etiam si primus non fuisset legitimè electus, sed fiat de nouo.

749 *Cap. II.* Si hi, contra quos.

SI ego moueo litem contra aliquem, qui possidet beneficium super possessione, vel proprietate, & ille cedit, vel moritur Patronus, vel cuius est conferre, non potest præsentare, vel conferre alteri, dum mea lis pendet, & si secus fiat, factum est nullum: & si aliquis ad quem spectat, vult admitti ad beneficium defendendum, admittatur in eo statu, in quo est lis.

Glos. Hodie impetratur à Principe, vt possit fieri subrogatio non obstante isto cap. & hoc quando possessor moritur, secus quando petitur. Item hæc decretalis procedit, quando est lis inter duos, ad quem spectet beneficium, non quando est alia lis. v.g. cùm quis petit alterum remoueri propter concubinatum, vel aliud crimen: tunc enim si moriatur accusatus cum lite pendente cedat, bene potest alius prouideri.

CLEMENTIN. LIB. II.

VT LITE PENDENTE. Tit. V.

750 *Cap.* Si duobus.

SI duo litigant super beneficio ipsis collato, & moriantur in Curia, tunc collatio beneficij spectat ad Papam: si ambo morian-

tur

tur extra Curiam, ſpectat ad Ordinarium, dummodo ius beneficij fuerit pænes defunctos, non pænes tertium. Si vnus moritur in Curia, alter extra; ſi qui in Curia poſsidebat beneficium, ſpectat ad Papam; ſi qui extra, ad Ordinarium: ſi neuter poſſidebat, & moriantur vnus extra, alter intra, præfertur Papa in collatione facienda: ſi vnus tantum moritur, alter proſequitur litem, interim beneficium non conferatur: & ſi poſtea cognoſcetur beneficium ſpectaſſe ad defunctum, ſi mortuus fuit in Curia, ſpectat ad Papam, ſi extra ad Ordinarium: ſi ad neutrum ſpectabat, tunc Ordinarius confert. Item per iſtum Tit. qui loquitur tantum de beneficijs ſimplicibus, non agitur de perſonatibus, & dignitatibus Eccleſiaſticis, de quibus ſolus Papa diſponit, vt habetur *in 6. de præben. cap. 1. & 2.*

Gloſ. Romana Curia, & Sedes Apoſtolica in hoc caſu habentur pro eodem. Item ſi electus non confirmatus moriatur in Curia, non vacat in Curia eius beneficium, quia non erat collatum, ſed dicitur vacare per primam vacationem. An beneficiatus confirmatus in Curia ad aliquam dignitatem; prima beneficia dicantur vacare in Curia? Reſpondetur affirmatiuè. An per conſecrationem vacent beneficia Epiſcopi? Reſpondetur negatiuè. An ſit idem mori, & renuntiare in Curia? Reſpondetur affirmatiuè. Vide.

751 *Cap.* Cum lite pendente.

QVantum ad hoc, vt nihil innouetur, tunc dicitur lis pendere, quando legitima citatio peruenit ad partem citatã, vel pars impediuit ne ad ſe perueniret: ſi tamen in citatione ſint ea expreſſa, per quæ poſsit plenè inſtrui, ſuper quibus conueniant in iudicio.

Gloſ. Iudex dicitur competens, qui habet iuriſdictionem in exercitio ante exceptionem, licet poſſit excipi contra iuriſdictionem, vel perſonam iudicis. Item quando dicatur aliquid innouari in lite, vide. Item caſus, in quibus etiam ponderatur pendentia litis. *cap. vlt. de off leg. in 6. & ibi gloſ.* Item ſi quis in citatione dicat, compareas tali die coram iudice reſponſurus ſuper quadam domo, non exprimit ſufficienter ad introducendam litis pendentiam ſuper tali domo. *cap. 2. de dot. & coniu. in 6.* Quare actor cui intereſt, inducat litis pendentiam, vel in citatione ponat libellum, vel cauſam ſufficienter exprimat.

DECRETALIVM LIBER II.

DE SEQVESTRATIONE possessionum, & fructuum. Tit. XVII.

752 *Cap. I.* Ad hoc. *Innoc. iij.*


Ontinentia causæ diuidi non debet, & sic quando committitur causa, intelligitur commissum possessorium, & petitorium, nec sequestratio fieri debet. & qui non dat cautionem, sed reassumit possessorium rei, tenetur parti ad expensas interim factas.

Glos. Si alicui committatur causa possessionis tantum, non potest cognoscere de proprietate. Item vno eodemq. tempore causa possessionis, & proprietatis non debet diuersis iudicibus committi. Item res sequestrata à nullo litigantium possidetur, nisi dicatur quod custodiæ gratia ponitur in sequestro.

753 *Cap. II.* Dilectus.

QVi causa custodiæ est missus in possessionem, non potest fructus dissipare, & si dissipat reuocentur dissipati, & omnes fructus sequestrentur.

Glos. Qui est missus in possessionem causa custodiæ, infra annum non facit fructus suos, sed custodit tradendos reo, si infra annum recuperat possessionem, deductis expensis factis pro colligendis fructibus: si infra annum non recuperat, tunc ipse lucratur omnes. Item possessor lite pendente non remouetur à possessione, nec ab ea sequestratur, nisi in aliquibus casibus, quos vide ibi.

754 *Cap. III.* Ab eo, qui.

POssessor si appellat à sententia contra eum lata, & dissipat fructus, lite pendente, fructus possunt sequestrari.

IN SEXTO LIBER II.

DE SEQVESTRATIONE possessionum, & fructuum. Tit. VI.

755 *Cap.* Ad compescendum.

CVm in Curia Romana fertur sententia diffinitiua in petitorio, vel possessorio contra possessorem, qui tamen per triennium non pacificè possederit beneficium, Ordinarius sequestret beneficium; & si sit curatum, vel dignitas, apud idoneam personam, quæ plenam, & debitam curam gerat de beneficio; & fructus, qui supersunt solutis oneribus restituantur ei, qui in causa finalem victoriam habebit. Item, qui impedire sequestrationem, vel quomodolibet sequestratos fructus occupare præsumpserit, ipso facto est excommunicatus, qui non absoluatur nisi facta restitutione, vel amoto impedimento: & si est ex litigantibus, cadit à iure, quod habet in beneficio, vel ad beneficium: nec obstat si opponatur contra sententiam de nullitate.

Glos. Si sententia fertur contra petitorem pro possessore, non fit sequestratio, nec si inter duos petitores feratur contra vnum, nec si contra possessorem, sed non pro petitore. Item interlocutoria sententia non habet locum in hoc Tit. nec si agatur de alio, quàm de beneficio. Item non sufficit tertius annus inchoatus, sed debet esse perfectus ante litem motam. Item non sufficit cautio de restituendo pro absolutione ab Ordinario. An absolutio data contra hanc formam. Res est dubia, sed affirmatiuè respondendum.

DECRETALIVM LIBER II.

DE CONFESSIS. Tit. XVIII.

756 *Cap. I.* Cùm Monasterium. *Clem. iij.*

QVANDO vnus, v. g. Sacerdos confitetur se commisisse crimen, v. g. homicidij suggestione aliquorum, si aliter veritas non probetur, illi, qui dicebantur suggessisse non sunt aliqua pœna castigandi, quia secundum ius de se confessus non est

est interrogandus de conſcientijs aliorum, & talis confeſſio non est admittenda contra aliquem, excepto crimine læſæ Maieſtatis: ſed ſi illi de hoc eſſent infamati, iniungatur ſingulis, vt cum tribus alijs eiuſdem ordinis ſe purgent.

Gloſ. Nulli de ſe confeſſo eſt credendum in præiudicium aliorum: & infamatus debet ſe purgare per honeſtos viros, qui illum cognoſcant, & ſi deficiant tanquam conuictus puniatur.

757 *Cap. II.* Cùm ſuper. *Innoc.iij.*

SImoniacus eſt deponendus per ſententiam iudicis ab omni beneficio, & officio Eccleſiaſtico, Item ſi quis incidenter confiteatur aliquod crimen contingens cauſam principalem, iudex poteſt nouum inchoando proceſſum illum punire pœna ordinaria, etiam ſi directè contra eum non ageretur.

Gloſ. Confeſsio facta coram non ordinario iudice non præiudicat quantum ad pœnam, ſed quantum ad ſuſpicionem.

758 *Cap. III.* Ex parte. *Greg.ix.*

QVando negotium nondum eſt finitum, error facti nemini nocet: & ſic cauſa non finita, confeſſio œconomi ex errore facti, ſi conſtat, non præiudicat Eccleſiæ.

Gloſ. Dummodo ante ſententiam error probetur. Item hic Tit. habet locum poſt litem conteſtatam, ſed edictum de interrogatorijs actionibus habet locum ante, & poſt, quia iudex quando æquitas illum mouet, debet interrogare partes. Item ad hoc vt confeſſio præiudicet alicui, requiruntur multa. Vt ſit maior 25. annorum, ſponte, & non coactus, ex certa ſcientia, quia ſi errat, & poteſt probare ſe erraſſe, non nocet. Item confeſſio ſit contra ſe, non pro ſe, & coram ſuo iudice (quandoque valet coram alio, ſi per teſtes.) Item aduerſarius ſit præſens. Item non ſit contra naturam rerum, nec contra ius, ſit de re litigioſa. Vide ibi, vnde verſus.

Maior ſponte ſciens contra ſe vbi ius ſit, & hoſtis
Certum, liſq. fauor ius, nec natura repugnet.

Item ſi dicat ſe ſeruum non nocet. Item iudex ſententiat, non cognoſcit in confeſſis.

IN

IN SEXTO LIBER II.

DE CONFESSIS. Tit. IX.

759 *Cap. I.* Statuimus. *Innoc. iv.*

SI Iudex æquum, & expediens iudicauerit, est admittenda positio negatiua, qua non potest probari nisi per confessionem aduersarij.

Glos. Hoc est de æquitate, quia de rigore iuris nulla positio admittenda, quæ probari non possit. Positio autem est quando post libellum porrectum, & responsum acceptum actor contestata lite deducit suum factum, quod continetur in libello per articulos: illi articuli dicuntur positiones, quibus aduersa pars interrogata respondet, credo, vel non credo. Item hæ positiones possunt fieri ante litem contestatam. De petitionibus vide multa in glosis.

760 *Cap. II.* Si post præstitum. *Bonif. viij.*

SI post præstitum iuramentum veritatis, aut calumniæ reus, vel eius procurator interrogatus, & iussus à iudice, non vult sine causa rationabili respondere positionibus ab aduersario sibi factis, vel non se præsentat, habebitur circa illas pro confesso; si verò antequam sit iussus respondere, contumaciter se absentet, non habebitur pro confesso, sed potest procedi contra eum tanquam contra contumacem.

Glos. An ipso iure, vel per sententiam habebitur confessus? Res est controuersa, sed videtur ipso iure.

DECRETALIVM LIBER II.

DE PROBATIONIBVS. Tit. XIX.

761 *Cap. I.* Ex epistolæ. *Greg. ix.*

NEmo debet quærere in suis scriptis ea, quæ contra se sunt, & ea in medium proferre.

Glos. Reus non tenetur dare actori sua instrumenta, contra

contra se, nec actor tenetur dare reo instrumenta defensionis, sed communia instrumenta alter alteri dare tenetur. Item argentarius, & publicus exactor rationes contra se tenetur edere. *l. in fraudem. §. ex his bonis, & §. seq. ff. de iure fisci*; & hæreticus Fiscali contra se agenti tenetur dare instrumenta, vel libros, *c. vt commissi, de haret. in 6.*

762 *Cap. II.* Sicut. *Alex. iij.*

ACtor quando fundauit suam intentionem, seu rem bene probauit, non tenetur iurare, & consuetudo contraria non valet, quia iuramentum in defectu probationis præstatur.

Glos. Licet consuetudo rationabilis, & præscripta præiudicet iuri scripto, sed si obuiat rationi, vel est introducta per errorem, non præiudicat. Item ex quo semel iuratum est de calumnia à principio, saltem in causa ciuili non est amplius iurandum.

763 *Cap. III.* Ex litteris. *Lucius iij.*

QVando litigatur de confinibus, vtraque pars agit personam actoris, & rei, & sic vtraque pars debet probare testibus, & iudex admittat quos excellere intellexerit. Sed si ambarum partium testes sunt æque idonei, præferuntur testes possessoris, quia iura sunt promptiora ad absoluendum possessorem, quam ad condemnandum: sicut cùm agitur de libertate, iura semper fauent libertati. Item possessori multoties in iure competit probatio, v. g. si obijciat præscriptionem longi temporis, potest illum probare.

Glos. In hoc iudicio ambo debent præstare iuramentum calumniæ, cum vterque actor, & reus censeatur, sed principaliter dicitur ille actor, qui primus prouocauit ad iudicium, alioquin dirimendum.

764 *Cap. IV.* Proposuisti. *Gregor. viij.*

SI mulier dicit se non fuisse, nec potuisse cognosci à viro, & hoc probatur iuramento, & testimonio septem mulierum, quæ ipsam aspexerunt, & inuenerunt virginem, est credendum illi, & non marito, etiam si iuret illam cognouisse.

Glos. Si mulier esset corrupta, & diceret virum esse impotentem, vir autem iuraret illam cognouisse, creditur viro fauore matrimonij. Similiter si mulier non probaret suam virginitatem per aspectum mulierum.

Cap.

765 *Cap. V.* Tertio loco. *Clem. ij.*

QVando profertur aliquod instrumentum v.g. circa alienationem terræ alicuius monasterij, vel capituli, de quo dubitatur: si fratres, vel singulares personæ iurant capitulum vel vniuersitatem nunquam consensisse tali instrumento, cùm semper repugnauerint tali alienationi, creditur testimonio eorũ, non instrumẽto.

Glos. Testes præualent instrumento, & negatiua indirectè probatur; & Monachi, vel Clerici possunt pro ecclesia testificari. An testes præualeant instrumento, & quando, vide *glos. in verbo testium*, quæ optime, & fusè id explicat.

766 *Cap. VI.* Iurauit.

IN matrimonio contrahendo quando aliquod impedimentum est sufficienter probatum iuramento, & partibus publicatum, si alius velit oppositum probare, non est admittendus, sed standum est primæ probationi.

Glos. Publicatis testibus etiam in causa matrimoniali super eodem articulo non sunt alij testes admittendi in contrarium, vel in fauorem. An publicatis testibus super eodem articulo sint ab alia parte alij inducendi. Respondetur negatiuè, quia vtraque pars ante aperturam testium suos testes debet inducere super eodem articulo; secus si super alio. vide.

767 *Cap. VII.* Post cessionem. *Innoc. iij.*

SI per litteras iudicis ordinarij probabitur aliquem, quando, assumpsit officium procurationis, fuisse excommunicatum, non est vt procurator admittendus: donec enim probetur contrarium, est standum litteris ordinarij.

Glos. Excommunicatus non potest constitui procurator, & si fiat non valet, etiam postquam est absolutus, quia tempus procurationis factæ attendendum est, sicut & tempus electionis. *cap. dudum, de elect.* Item litteris Episcopi creditur tanquam publico instrumento, sic eius sigillo, etiam sine sigillo capituli. Item hodie creditur litteris Episcopi circa illa, quæ non faciunt in figura iudicis ordinarij, & circa excommunicationem: circa alia verò non, nisi habeant testium subscriptionem, vel legitimè constet. An credendum sit litteris Episcopi, cùm non credatur eius verbo? vide *in glos. solutionem*.

Cap.

768 *Cap. VIII.* In presentia.

SI pater moriens in testamento instituat hæredem suum filium, præcipiens, vt si filius sine liberis moriatur, bona deuoluantur ad patrueles: interim filius ingreditur Monasterium offerens se, & sua, & deinde egrediens; iterum reuertitur offerens se, & sua cum iuramento, & moritur: bona cedunt Monasterio, quod est loco filij primi hæredis. & patrueles si obijciant, quod obtulit se & sua in minoribus, non nocet, quia est æquiuocum an fuerit minor in prima, vel in secunda oblatione, secus si probaretur in secunda.

Glos. Quando substitutio est cum hac clausula, si sine liberis moriatur hæreditas perueniat ad talem, si habet filios naturales substitutio euanescit. Item si filius est in vtero, & ille præmoritur, dicitur sine filijs decedere. Item si dicatur sine hærede, soli filij intelliguntur; si non habeat filios, sed nepotem ex filio, substitutio euanescit. Item grauatus restituere hæreditatem, v.g. iste filius nihil potest interim alienare, nisi in casibus positis in authen.

Item quis præsumitur maior, nisi probetur minor. Item in iudicio verbum dubium interpretatur contra reum, & dictum ambiguum testis semper contra eum, qui illum produxit, nisi contrarium fiat in fauorem religionis seu dotis. An rogatus restituere loco religioso, vel expendere in pijs causis per ingressum religionis, euanescat substitutio? Respondet glos. negatiuè licet res sit dubia.

769 *Cap. IX.* Licet causam.

CVm partibus datur terminus v.g. trium mensium producendi testes, vel pro causa principali, vel ad confutandos testes contrariæ partis; si transacto termino vna pars vult producere testes, non admittitur. sed si obijciat testes fuisse corruptos, & deposuisse falsum, admittitur, & assignatur terminus v.g. vnius mensis, & parti contrariæ conceditur alter mensis ad producendos testes, qui reprobent primos. Item acceptis testibus, & reprobatis reprobandis, vt sunt qui se contradicunt, qui sunt singulares, sunt malæ famæ, vel leuis opinionis, ita vt nulla, vel modica fides sit adhibenda, vel qui non probant totum id, ad quod inducuntur: tunc si ex vna parte sunt plures testes, & testantur verisimiliora, si causa est de possessione non potest interdici, vt possideant, sicut possidebant; sed qui habet potiores testes, possideat, & altera pars non molestet illum in possessorio, quia cùm duo non possint eandem rem insoli-

dum

dum possidere pars, quæ succumbit videtur sine titulo, & iniquè egisse aliquos actus possessionis, quos probat.

Glos. An sufficiat probare testes fuisse corruptos, licet non probetur falsum deposuisse, & contra; & an sententia lata teneat, vide. Item qui examinat testes, debet significare iudici quanta fides sit illis adhibenda. Item, qui se astringit ad duo probanda, vt est corruptio, & testificatio falsa, quorum vnum sufficeret, non sufficit probare vnum, si specialiter se obligauit ad vtrumque: secus sufficit. An possessor quando petit non inquietari, debeat probare titulum, vide. Item quandonam iudex debeat sententiare vti possidetis, ita possideatis, vide fusè explicatum in *glos. in verbo vti possidetis*.

770 *Cap. X.* Per tuas.

SI concubina dicat suum filium esse Francisci, & Franciscus acceptat, & recognoscit publicè esse suum filium, & sic est habitus communiter, si deinde mulier dicat contrarium, & iuret; non creditur, & sic currit consanguinitas.

Glos. Standum est dicto alicuius, etiam si postea velit per iuramentum illud infirmare: idem de testibus si ex interuallo velint mutare dictum. Item in fauorem filiationis magis standum est communi opinioni, & nominationi, & simplici dicto, quàm iuramento.

771 *Cap. XI.* Quoniam contra.

IVdex siue ordinarius, siue extraordinarius, teneatur per notarium publicum, vel per duos idoneos fideliter scribere omnia acta iudicij, idest citationes, dilationes, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, & interrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumentorum productiones, interlocutiones, & cætera omnia ordine competenti, designando loca, tempora, & personas: & horum copiæ dentur partibus, originalia vero maneant penes scriptores, vt hoc modo possit cognosci, si quæ nascitur dubitatio in processu. Et iudex qui negligit obseruare prædicta, si per hanc negligentiam difficultas emergit, puniatur à superiore, nec præsumatur pro ipsius processu, nisi in causa constiterit documentis legitimis. Item falsitas negatiua directè probari non potest.

Glos. Indirectè potest. *c. bonæ de elect.* Item plus creditur libello tabellionis, quàm scripturæ Episcopi circa iudicia: nã in cõtractibus in vtroque requiritur subscriptio testium. Item semper præsumitur pro his quæ facta sunt à iudice. *cap. bonæ de elect.* quando constat de processu causæ, secus quando dubitatur de processu, nisi probetur

per

per acta. Item si Episcopus denuntiaret aliquem excommunicatum, standum est sententiæ Episcopi, licet non adsit subscriptio testium. si tamen ille dicat se inordinate, vel iniustè excommunicatum, tunc iudex, vel aduersarius debet ostendere, quod debito modo fuit excommunicatus.

772 *Cap. XII.* Ad nostram. *Honor. iij.*

QVando affirmatiuè probari potest aliquem deliquisse, non admittitur probatio negatiua, quod non deliquit, quasi velit se purgare.

Glos. Consuetudo contra ordinem iuris non valet, & affirmatiua præualet negatiuæ. Item ei qui dicit, incumbit probatio. Item probato crimine affirmatiuè, si reus vult probare negatiuè, indirectè audietur. Item contra probationem testium non admittitur purgatio.

773 *Cap. XIII.* Cum causam.

FInis diœcesum litigantium probatur per antiquos libros, vel testes, famam, vel alia adminicula, & sic potest procedi in causa.

Glos. Scriptura librorum antiquorum facit fidem, sic instrumentum productum ex archiuio antiquo, etiam sine subscriptione. Item scriptura in aliqua columna, vel lapide. Item scripturæ, quæ olim fiebant in albo Prætorij. Item adminicula, etiamsi per se non probant, tamen adiuuant.

774 *Cap. XIV.* Causam matrimonij.

MAtronæ, quæ in causa matrimonij separandi sunt testatæ puellam esse virginem, de quo *supra in cap. proposuisti*, possunt reprobari à viro per alias probationes, quæ sunt recipiendæ, sicut quascumque vtraque pars attulerit; & per nouas matronas est expediendum de virginitate, & interim puella sit in loco tuto, ne patiatur violentiam.

Glos. Sententia contra matrimonium lata non transit in rem iudicatam, & ideo inducuntur aliæ mulieres ad probandum.

775 *Cap. XV.* Cum bonæ memoriæ. *Greg. ix.*

ACta originalia, quæ remanserunt apud primos iudices, habent vim si transferantur ad secundos iudices, & si non habent accipiantur de nouo probationes.

Glos. Primi iudices possunt compelli, vt dent acta secundis. Item potest constare contestatio litis per confessiones partium, licet non inuenia-

inueniatur in actis. Item iudices deberent tentare compositionem. *cap. 1. supra de mut. petition.*

CLEMENTIN. LIB. II.

DE PROBATIONIBVS. Tit. VII.

776 *Cap.* Litteris nostris.

VErba narratiua in litteris Papæ, super quibus fundatur gratia, vel intentio Papæ, faciunt fidem, ita vt non liceat dubitare de veritate narratiuæ, ad hoc, vt detur exequutioni intentio Papæ: v.g. si narret se reseruare talia beneficia Sedi Apostolicæ, & ideo illa conferre alicui, vel recepisse resignationem beneficij, vel alicui commisisse potestatem recipiendi, vel aliquem excommunicasse, vel suspendisse, vel aliquem fuisse suum capellanum, vel familiarem, &c.

Glos. Excepto Papa narratiuis aliorum, etiam si sit legatus, non creditur, nisi ipse faciat fidem salua consuetudine curiæ. Item verba narratiua rescriptorum Papæ, si super illis non fundatur intentio Papæ, non probant. *cap. si Papa de priuileg. in 6.* si super illis fundatur intentio Papæ, & verba sunt de facto proprio, faciunt ita fidem, vt non admittatur probatio in contrarium. Si verba sunt de facto alieno, faciunt fidem, sed admittitur probatio in contrarium. Item nota: quando dicit, reseruamus Sedi Apostolicæ, morte Papæ non extinguitur. Item verbum, censemus, sonat quasi iudicamus, sententiamus, statuimus, iubemus, deliberamus, existimamus.

DECRETALIVM LIBER II.

DE TESTIBVS, ET ATTESTAT. Tit. XX.

777. *Cap. I.* Placuit.

TEstes assumantur idonei, & fideles. Item non conducantur pretio. Item nullus testetur nisi ieiunus.

Glos. Hoc c. quidam habent pro palea. 4. *q. 3. c. placuit.*

Item testimonium pretio corruptum non valet. Item idoneus reputabitur, qui per exceptionem non repellitur, quia quilibet præsumitur idoneus, nisi probetur contrarium. Item infidelis non admittitur nec ad accusandum, neque ad testandum: excipitur casus *cap. contra christianos de hæreticis in 6.* Item ieiunus, hoc est de honestate, non de necessitate.

778 *Cap. II.* In nomine Domini. *Greg. ix.*

ANtequam recipiantur testes debet citari pars, vel eius defensor, vt veniat, & audiat testes: si vero noluerit venire, nec esset excusatus aliqua ineuitabili necessitate, tunc recipiatur ac si venisset: si secus fiat, receptio non valet.

Glos. In testibus multa requiruntur: in primis vt conditio, sexsus ætas, discretio, fama, fortuna, fides. An pars debeat audire testes, cum deponunt dictum suum, vel attestationes, id est cum iurant, vel publicantur.

779 *Cap. III.* Quoniam.

ADmittitur mulier ad deponendum contra clericum quando agitur de crimine.

Glos. Quando agitur criminaliter non recipitur mulier ad testificandum; si vero per modum inquisitionis, vel exceptionis, sicut in isto casu textus; vel si agatur ciuiliter, admittitur mulier. *cap. tam litteris infra eodem*. Item in causa denuntiationis omnes admittuntur, non tamen inimici, vel criminosi. Item mulieres cum quibus delinquitur, tantum inducuntur ad præsumptionem, non ad plenam probationem; sic etiam socij criminis, & serui. *cap. si testes §. Item serui 4. q. 3.*

780 *Cap. IV.* In omni negocio. *Paschalis*.

PRincipalis persona dicens verum, habetur pro vno teste: & si alium secum ducit, sunt duo testes: si duos, erunt tres testes iuxta denuntiationem post correctionem fraternam Matth. 18. & Luc. 17.

Glos. Hoc c. loquitur tantu de denuntiatione post correctionem fraternam Euangelij, vbi sufficiunt duo, vel tres testes: sed ad testificandum non admittuntur criminosi, & infames, debent enim esse bonæ famæ. Fallit in causa hæresis, lesæ maiestatis, simoniæ, & similibus. Item in nulla causa satis est vnus testis.

Cap.

781 *Cap. V.* Quoties. *Eugenius ix.*

QVando agitur de separando matrimonio propter consanguinitatem, sint duo, vel tres testes de eadem consanguinitate: qui si non sint totidem, meliores, & seniores eiusdem loci, qui iurent, se non inductos ad iurandum aliquo commodo, vel incommodo. Item iurent quod ipsi dicunt, ita se accepisse à maioribus suis.

Glos. Hodie hoc c. non habet locum in toto, quia testimonium de auditu, vel credulitate, non valet, sed debet dicere testis, se vidisse consanguineos, designando personas ab vtroque latere, vel saldem aliquas, vt in. *cap. licet eodem.* & debent addere se ita credere à suis maioribus audiuisse, vt dicitur in textu.

782 *Cap. VI.* Insuper.

IN causa alicuius ecclesiæ. Prælatus, vel clerici illius ecclesiæ possunt esse testes exceptis procuratoribus.

Glos. Hoc possunt etiam regulares in causa suæ ecclesiæ. Item in eadem causa quis non potest esse procurator, & testis. Item possunt constitui duo procuratores, sed agat ille, qui litem prius occupauit. Item nemo in causa debet habere duo offitia.

783 *Cap. VII.* Ex parte.

QVando impetratis litteris à Papa conuenitur reus coram iudice volente accipere testimonia, si reus excipit contra testes, quod non sunt idonei, quia vult probare eos esse latrones, raptores manifestos, vel conuictos de periurio, & iudex, non obstante appellatione, recipit testes, & fert sententiam contra reum, quem spoliat, v.g. ecclesia, & alijs tradit: si hoc constiterit, sententia est cassanda, ecclesia est restituenda præsbytero, non obstantibus Apostolicis litteris confirmationis, nec deinceps molestetur. si vero res aliter se habet, causa audiatur, & fine debito terminetur, & moneantur testes, vt verum dicant.

Glos. Viles testes, notabiles, & infames contra clericos non sunt recipiendi. Item sententia lata post legitimam appellationem est cassanda, non obstante confirmatione. Item laicus contra publicum sacerdotem fornicarium est admittendus, cum agit ciuiliter. *cap. præter hoc §. verum can. nullus* 32. *dist.* Item exceptiones contra testes fieri possunt, & ante aperturas testium, & post, protestatione tamen ante illas præmissa. *cap. præsentium supra eodem cap. denique de except. cap. licet alÿ*, & *cap. per tuas de simon.* Item an appellans teneatur probare causam suæ appellationis, vide *glos. in*

verbo, testes idoneos. Item an iudex delegatus post possessionem alicui datam, teneatur illum manutenere in possessione, vide in verbo, *molestari*.

784 *Cap. VIII.* Si qui testium.

IVdex debet mittere personas idoneas, & discretas ad recipiendos testes, quando non possunt ad se venire, v.g. qui sunt senes, infirmi, pauperes, &c.

Glos. Vel quia sunt personæ egregiæ, quia ad omnes istas debet mittere iudex *l. ad egregias ff. de iureiur.* vel saltem mittat ad iudicem loci, vt eos recipiat,& sub sigillo mittat: & hac ratione possunt recipi testes,lite non contestata. *cap. quoniam, supra, vt lite non contest. cap. cum olim supra eod.* Item an senes possint compelli ad ferendum testimonium inuiti. Respondetur affirmatiue secundum canones, propter peccatum. *cap.1. supra de fal.*

785 *Cap. IX.* Sicut. *Alex. iij.*

CVm testes pecunia corrupti testantur consanguinitatem, & per sententiam factum est diuortium, si deinde priuati dicunt iudici se corruptos, & falsum dixisse: si separati contraxerunt secundo cum alijs, imponatur testibus pænitentia pro periurio, & adulterio: si verò non transierunt ad secundam, diligenter quæratur, coram quibus corruptio fuit facta: & si probetur, sententia est reuocanda, quia testimonium periuri non admittitur.

Glos. Qui dat occasionem damni, si dat operam rei licitæ, & adhibet diligentiam quam potest, non tenetur de ijs, quæ inde sequuntur: si non adhibet, tenetur. *cap. sæpe 50. dist.* Qui vero dat operam rei illicitæ, semper tenetur ad damna, quæ inde sequuntur. *cap. quantum dicit 50. dist. l. Item Mela. ff. ad legem Aquiliam. c. vlt. supra de vsur.* ideo in textu puniuntur testes de adulterio ob periurium sequuto. Item si aliquis coniugum transiuit ad secundas nuptias,& probatur non solum corruptio, sed etiam falsitas testium, separabuntur secunda coniugia, & prima restaurabuntur: sed in tali casu cum maiori discussione recipientur testes, & difficilius retractabitur sententia.

786 *Cap. X.* Veniens.

IN materia simoniæ, qui de se confitetur crimen, non potest testificari contra suum socium negantem idem crimen; nec sufficit vnus testis ad condemnandum: v.g. si duo dicunt aliquod debitum

tum fuisse remissum vtrisque ab obtinente beneficium, & alter dicit processisse pactum; nil probant.

Glos. Idem est remittere, & dare in materia simoniæ. Item confitenti de se crimen non creditur contra alium. Item ad dictum vnius nullus est condemnandus. Item cum crimen simoniæ sit crimen exceptum, videtur quod debeat admitti ad testificandum socius criminis. *cap. 1. supra de confess.* sed dic, quod personæ viles nulla ratione sunt admittendæ ad testificandum contra clericos, nisi talis clericus sit prius malæ famæ, & opinionis, *c. per tuas supra de simon.* vel dic, quod socius criminis, & muneris non admittitur, sed criminis tantum admittitur, vnde versus.

Per testem socium sceleris simonia probatur.
Muneris, & sceleris socius testis reprobatur.

787 Cap. XI. Causam.

VNus iudex potest vti attestationibus susceptis ab alio iudice in eadem causa, & inter easdem personas.

Glos. Iudex ad quem causa transfertur, debet habere omnia acta facta coram alio iudice, quia valent.

788 Cap. XII. Cum nuncius.

CLerici non sunt repellendi à ferendo testimonio in causa ecclesiæ, nisi impediat causa rationabilis.

Glos. Idem populi pro vniuersitate. An clerici debeant compelli, vt testificentur contra ecclesiam, si aduersarius petat? videtur quod non, quia contra matrem. respondetur quod sic, quia causa ecclesiæ non est propriè clerici, & tacere veritatem peccatum est. *cap. quisquis 11. q. 3. cap. veni infr. eod.*

789 Cap. XIII. Super eo.

TEstes etiam si de crimine non sunt conuicti, vel confessi, si deinde conuincuntur, repelluntur à testimonio, tum in causa criminali, tum in ciuili.

Glos. Hoc caput intelligitur, *vt infra cap. testimonium.* Item confessi, vel conuicti, si deinde in crimine perseuerent, repelluntur. Item secundum leges reijcitur damnatus tantum, secundum canones, siue condemnatus sit, siue ei probari possit, & probetur.

790 Cap. XIV. De cætero.

LAicus contra clericum in causa criminali non admittitur nisi prosequatur suam, vel suorum iniuriam, & tunc admittitur

ad accusationem, non ad testimonium.

Glos. Et si est excommunicatus, nec ad accusandum. Item contra clericos admittuntur laici, etiam viles in criminibus. *cap. tanta de simon.* Item quando laici admittuntur ad accusationem, vel testificationem clericorum, vide *c. cum P. infr. de accus.*

791 *Cap. XV.* In causis.

IN causis ecclesiasticis, vel ciuilibus infra tres productiones, idest, dilationes possunt testes produci; post tertiam productionem non possunt produci, nisi cum quadam solemnitate legum. Item super dictis testium postquam sunt publicata, potest publicè disputari.

Glos. Finita prima dilatione, infra quam possunt semper testes produci, iudex ex iusta causa allegata potest dare secundam, & tertiam dilationem, sed non quartam, nisi cum solemnitatibus iuris, de quibus *infra, c. vltra*: & hoc intelligitur nisi renunciauerit productioni testium, quia postea non potest. Item iudex post productos sufficientes testes ad euitandam effrænatam multitudinem testium, potest denegare quartam, immo & tertiam, & secundam; sed si sine hac causa negat, legitimè appellatur ab eo.

792 *Cap. XVI.* Cum tu.

QVando quis probat, quod sententia excommunicationis fuit lata post appellationem, & pars contraria probat quod fuit lata ante, creditur dicenti fuisse post appellationem: & sic excommunicatio iudicatur nulla, quia nemo præsumitur periurus: sed potuit excommunicatio ferri post primam appellationem, sed ante secundam.

Glos. Interpretatio semper facienda est in benigniorem partem. Item testes si possunt, semper sunt concordandi ad fugiendum periurium, si non quoad litteram, saltem quoad intellectum spiritualem. Item dubia probatio non prodest illam facienti, & in dubio iudicabitur pro reo. Obiectio. In dubiis erat interpretandum quod essent excommunicati, quia securius. Resp. Hoc fuit propter periurii testium canonici enim poterant ad cautelam petere absolutionem.

793 *Cap. XVII.* Fraternitatis.

POstquam vtrumque est renunciatum testibus, & conclusa est causa, & sententia lata, si appellatur & offeruntur noua capita, super quibus pars vult testes recipi, possunt de nouo recipi super

per

per capitulis nouis tantum, non super alijs iam probatis.

Glos. Postquam testificationes sunt publicatæ, siue renunciauerint, siue non testibus, non possunt amplius recipi testes. Item idem sæpius potest testificari contra aliquem in diuersis capitibus; non sic in criminalibus, quia habebitur eius inimicus. Item à testibus prius recipiendum est iuramentum, nisi à partibus relaxetur: quæ vero iurare debeant, vide ibi.

794 *Cap. XVIII.* Intimauit.

QVi iurauit non testificari contra aliquem, si opus est potest cogi ad iurandum, si testificationes non sunt probatæ, nec fuit renunciatum testibus.

Glos. Iuramentum est illicitum, ideo non seruandum, vide.

795 *Cap. XIX.* Causam.

PVblicatio, & renunciatio testium, in ceris capitibus, non præiudicat parti volenti producere testes in alijs capitibus: & litteræ impetratæ à Sede Apostolica, postquam causa fuit commissa, non faciunt præiudicium parti super nouis capitibus.

Glos. Lite pendente priuilegium impetratum in præiudicium partis, non facta mentione de lite, non valet, & iudex procedat eo non obstante. Item causa postquam est commissa facit rem litigiosam, & priuilegium interim impetratum non valet.

796 *Cap. XX.* Personas.

QVi certè vel legitimè conuinci potest, quod laborat consimili morbo, non admittitur ad testificandum.

Glos. Qui habet simile negocium, non admittitur testis in causa eiusdem negocij: v.g. si agatur de aliquo iure, litigans de simili iure non potest esse testis. Item iudex, qui habet consimilem causam potest recusari, *cap. causam supra de iudic.*

797 *Cap. XXI.* Iudei, siue Saraceni.

CHristiani in qualibet causa possunt esse testes contra iudæos, cum ipsi semper præsumant contra christianos, vti suis testibus: & in hac parte, qui præferunt iudeos christianis, sunt excommunicandi, quia iudei debent subiacere christianis, & ab eis pro sola humanitate foueri.

Glos. De facto, non de iure, vtuntur iudei contra chistianos suis testibus, nam de iure nullus infidelis contra fidelem admittitur in testimoninm. *c. si hæreticus, & c. non potest 2. q. 7.*

798 *Cap. XXII.* Super eo.

CVm vir negat se contraxisse cum aliqua, & mulier probat contraxisse per matrem suam, & aliam vxorem, si vir est dignior honore, testimonium matris puellæ est suspectum & non admittendum. Item an mulier sit coniungenda viro, si sola mater alterutrius dicit esse consanguineos. Respondetur, si matrimonium non est confirmatum, non sunt coniungendi, quia est magna præsumptio: si est firmatum, non debent separari sine plurium iuramento.

Glos. Mater, & pater possunt testificari in causa matrimoniali modo supra dicto, in alijs non. Item dictum vnius impedit matrimonium contrahendum, non dirimit contractum. Item vbi est æqualitas, vel modica excellentia, vel si parentes essent valde honesti, admittuntur ad testimonium, quia cessat suspicio. Item in nullo casu vnus testis sufficit, præterquam in supradicto. Vide *cap. nullum de testibus.*

799 *Cap. XXIII.* Licet vniuersitas.

QVælibet causa, & maxime inter christianos, & iudæos, est terminanda ad minus duorum testimonio, vel trium bonæ vitæ, & non vnius.

Glos. Aliquæ causæ requirunt plures testes, vt in testamento septem; in codicillis quinque; in donatione causa mortis quinque: cum quis vult probare se soluisse debitum in scriptis, quinque. Item testimonium vnius non valet in præiudicium alterius, nec facit probationem, nisi semiplenam, & inducit præsumptionem.

800 *Cap. XXIV.* In litteris.

VOlens probare vxorem sibi fuisse affinem non potest producere testes suæ familiæ, sed alios probatæ vitæ, & opinionis, de quibus non dubium deierare.

Glos. Contra matrimonium familiares non sunt admittendi, quia præsumptio est contra eos. Item domestici repelluntur, quibus imperare potest ratione patriæ, vel dominicæ potestatis, & hi nullo modo admittuntur. Familiares vocantur consanguinei, colonus, ascriptitius, mercenarius, filius in potestate, libertus, & seruus, & omnes habitantes in domo, & isti admittuntur, vel non, cum distinctione affectionis, prout præsumitur, vel non contra eos.

Cap.

801 *Cap. XXV.* Cum venisset. *Vrban.iij.*

QVi post appellationem producit testes, vel stat iuri, tacitè renunciat appellationi, & sententia postea lata valet. Item quæstio super qua testes fuerunt producti, & publicatæ depositiones, vel vtrique fuit renunciatum testibus, est terminanda secundum tenorem depositionum, nec alij testes sunt admittendi; si vero testes non sunt producti, nec renunciatum est testibus, possunt noui audiri, & res terminari. Item delegatus mortuo mandatore, & re integra, non potest procedere etiam de consensu partium.

802 *Cap. XXVI.* Series tui. *Clem.iij.*

SI coniux probans matrimonium non valere, producit testes pro consanguinitate, & testes erant recepti, & publicati, si pars contraria vult per alios testes probare quod illi primi falsum dixerunt, sunt admittendi non obstante consuetudine contraria.

Glos. In causa matrimoniali post publicatas attestationes, post latam sententiam admittuntur testes ad probandum contrarium, id est ecclesiam fuisse deceptam, quia causa matrimonialis non transit in rem iudicatam. Alij dicunt hoc esse speciale in fauorem matrimonij, etiam si sit contra ius. Alij dicunt quod non est contra ius, cum non sit de eodem articulo, quia probatio prima fuit de consanguinitate; secunda de falsitate testium.

803 *Cap. XXVII.* Præterea. *Cælestin.iij.*

AD probandum aliquem carnaliter cognouisse mulierem, sat est si tradat testimonium de visu conueniens, vel est de auditu, si fama consentiens faciat violentam præsumptionem, ac sint alia legitima adminicula: & tunc standum est testimonio iuratorum, & iudex discretus se reget testimonijs, & argumentis aptioribus.

Glos. Ex multis præsumptionibus, & ex fama fit sufficiens probatio. Item dicitur quis conscius si audiuit ab eodem, vel si vidit nudum cum nuda, licet non viderit commisceri, vel si vidit post tenuem parietem eos commisceri inuicem. An testes de auditu, & fama sufficiant ad separandum matrimonium? est vtrinque dubium, sed satis est ad impediendum contrahendum, vel ad probandum adulterium viri, qui petebat separari à muliere ob fornicationem.

Cap.

804 *Cap. XXVIII.* Cum à nobis. *Innoc.iij.*

IN causis non creditur verbo, seu dicto vnius iudicis, vt Episcopi, quantæcumque sit authoritatis, licet agatur de quocumque contractu, seu testimonio. Item scripto Episcopi, seu iudicis, nisi sit firmatum testimonio aliquorum, non ita creditur, sed potest reprobari per duos, vel tres bonos testes; tamen hoc non intelligitur de dicto, vel scripto Papæ.

Glos. An si plures iudices dicerent, crederetur? videtur. sic *de elect. cap. cum dilecti*. Respondetur, si dicant in præiudicium partis negantis non, nisi legitimis documentis constet: sed in causa appellationis vbi alij dicunt, possunt admitti tanquam testes iurati, sed non in causa principali. Item an credatur scriptis Episcopi, vide *c. post cessionem, de probat*. Nota: quando scripto adest manus tabellionis, requiruntur quatuor vel plures testes ad illud reprobandum. Item in litteris Papæ non requiritur subscriptio testium, & contra eas non admittitur probatio, nisi essent falsæ.

805 *Cap. XXIX.* De testibus.

TEstes inducti ad probandum solum dilatoriam exceptionem, & hoc tantum iurarunt, non possunt cogi: imo si velint non possunt deponere super principali, quia ad hoc non iurarunt: si vero sunt ab vna parte introducti ad probandum exceptionem peremptoriam, possunt cogi, si altera pars hoc petat, ad deponendum super principali negotio cum iuramento: secus quando probatio testium super principali causa facta fuit sufficiens, vel fuit renunciatum testibus, vel depositiones publicatæ.

Glos. Dictum testis super re de qua non iurauit, non valet. Item quando est alius modus agendi, vel cum alia persona, potest induci testis in casu dicto. Item exceptio peremptoria potest opponi postquam est renunciatum testibus, & post publicatas denunciationes testium, & si voluerit suis reprobare testes, vel probare eos falsum dixisse.

806 *Cap. XXX.* Constitutus.

SI primi iudices acceperunt testes translata causa, secundi iudices vtantur in eadem causa ijsdem attestationibus: si non, iterum de nouo admittuntur. Item dicta testium non sunt publicanda ad petitionem tertij; nec inseruiunt tertijs.

Cap.

807 *Cap. XXXI.* Præsentium.

POst publicatas attestationes, qui vult obijcere contra personas testium, debet iurare de malitia, vel ante publicationem debuit præmittere protestationem, vel debet ostendere quod post publicationem illa sciuit, quæ obijcit in personas testium. Item qui protestatur velle repellere personas testium, si aliquid pro ipso dicunt, non est facile credendum.

Glos. Producens testes non potest dicere contra personas testium; sed potest dicere contra instrumenta, quæ producit. Item iuramentum in hoc casu est legitima probatio, quia quilibet præsumitur bonus, nisi probetur malus. Item sola protestatio contra testes, si non fuit processum ad actum, non impedit, quin dictum pro ipso valeat.

808 *Cap. XXXII.* In nostra.

QVando vtraque pars producit testes deponentes contrarium non est numerus testium considerandus, sed dicta, & qualitas personarum: nam si vnius partis testes sint magnæ authoritatis, & præeminentiæ, vt sint præferendi multitudini, tunc præualent; si vero vtriusque authoritas est æqualis, multitudo vincet.

Glos. Si testes vndequaque sunt pares, sententia fertur pro reo. Item quid agendum si testes sibi contradicant, & quid si duo petunt vxorem? vide ibi.

809 *Cap. XXXIII.* Tam litteris.

IN electione alicuius ad probandam irregularitatem natam ex eo, quia contraxit cum vidua, admittuntur laici, & fœminæ ad testificandum; & qui hos testes impediunt, sunt excommunicandi solemniter: & si non probatur hæc irregularitas, electus debet se canonice purgare per septem canonicos cathedralis, vel priores ecclesiarum bonæ famæ intra terminum. Si vero probatur irregularitas, vel canonice non se purgat, eligatur alius. Item qui subreptitie obtinuit litteras contra electum, est suspensus ab officio, vel beneficio arbitrio Papæ.

Glos. Singulares testes non probant, & vilibus testibus non creditur. Item cum excipitur de irregularitate non criminaliter, laici & fæminæ idonei admittuntur; & qui testes impediunt, sunt excommunicandi. Item infamatus debet se purgare, alioquin expellitur.

810 *Cap. XXXIV.* Cum olim.

QVando agitur de libertate ecclesiæ, si pars est contumax impediendo litem contestari, possunt recipi testes lite non contestata, & potest ferri sententia.

Glos. Idest sententia definitiua, licet alij velint de interlocutoria.

811 *Cap. XXXV.* Ex tenore.

POst publicationem attestationum, pars succumbens potest producere testes ad probandum contrarium super nouo articulo nato ex attestationibus publicatis.

Glos. Quamuis allegans suam turpitudinem non sit audiendus, tamen quando est periculum animæ auditur: sic etiam in causa liberali.

812 *Cap. XXXVI.* Significarunt.

POst ceptam litem de petitorio, potest suspensa hac lite, agere de possessorio. Item potest petere quartam per productionem testium cum solemnitate iuris, quam iudex non potest denegare, nisi ad fugiendam effrænatam mulitudinem testium, vel ex alia honesta causa: secus pars potest appellare infra decem dies, & si pars deficit in probatione appellationis, condemnatur in expensis legitimis. Item iudices prius determinent de possessorio, sed si petitorium fere ex probationibus liquebat, terminent vtramque causam simul.

Glos. Nisi appelletur ab interlocutoria infra decem dies, transit in rem iudicatam. Item iudex ex causa potest negare primam, & secundam productionem testium. An obediens in petitorio recuperet rem cum fructibus à tempore litis contestatæ: res est dubia. vide ibi.

813 *Cap. XXXVII.* Cum causam.

TEstes sunt diligenter examinandi, tum super negotio principali, tum super ipsorum personis, quærendo de singulis circumstantijs, seù de causis scientiæ, personis, loco, tempore casu, auditu, credulitate, fama, certitudine: & qui præsumit impedire testes, excommunicatione compellatur ad cessandum. Item numerus testium vtriusque partis non excedat quadraginta. Item si pars voluerit ratas habere depositiones testium acceptas sub alio iudice, & adhuc clausas, numerentur in numero quadraginta: si noluerit habere ratas, ijdem iudices testificentur.

Glos.

Glos. Vltra quadraginta dicitur effrænata multitudo. Item iudex debet quærere causam scientiæ, quam si testis non reddit, non valet eius dictum. Item si iudex non quærit, & testis simpliciter dicit se scire, valebit dictum. Item cum iudex debeat petere, de persona testium, an testis teneatur dicere se esse criminosum? pro iure non tenetur, si crimen sit occultum. Item testis si vult, potest corrigere suum dictum incontinenti, & non ex interuallo. Item si testis secundo introductus dicat oppositum primi dicti, suum dictum non valet, nisi prima depositio fuerit nulla.

814 *Cap. XXXVIII.* Veniens ad Apostolicam.

QVando diuerso modo agetur super eodem articulo, etiam post publicatas attestationes, possunt iterum testes produci. Item quæ in capitulo aguntur, probantur per canonicos tamquam per testes, & si opus est absoluuntur ad hunc effectum ab excommunicatione.

Glos. Sententia est executioni mandanda, nisi statim probetur exceptio: & si ius alterius partis læditur, non est executioni mandanda. Item canonicus si accipit officium Aduocati, vel Prioris contra ecclesiam suam, debet perdere beneficium: si vero est compulsus testificari contra ecclesiam suam, v.g. de contractu illicito cum capitulo, non perdet beneficium.

815 *Cap. XXXIX.* Tuis quæstionibus.

REligiosi in causis Monasterij non possunt testificari, nisi iurent: potest tamen pars aduersa relaxare iuramentum, si vult.

Glos. Iuramentum testium potest remitti à partibus, sed non iuramentum calumniæ. Item nulli testi quantumuis religioso creditur, nisi iuret. Item tam clerici, quam monachi, possunt testificari pro ecclesia sua. Item iuramentum potest remitti à parte, non tamen in causa matrimoniali.

816 *Cap. XL.* Dilecto filio.

QVando delegatus cognoscitur esse necessarius ad testificandum pro aliqua parte, remouetur à delegatione, & alius substituitur.

Glos. Ius collationis præbendarum cadit in laicum. Item non remouetur iudex meus, si debebat esse aduocatus tuus, nisi in fraudem impetrauerim peritissimum. Quid si reuelaui secreta iudici impetrato? adhuc potest esse iudex, quia debet iudicare secundum allegata, & probata, non secundum conscientiam. Quid si iudex commit-

committat alteri iudicium? videtur quod non possit coram subdelegato esse testis: sed verius videtur, quod possit. vide glos. in verbo recusastis. Nota: pars contraria non potest obijcere in personam ne sit testis, cum eum elegerit iudicem; potest tamen obijcere in dicta eius.

817 · *Cap. XLI.* Significauit.

QVando timetur ne processu temporis desit copia probationis, & testium, iudex, citata parte aduersaria, vt intersit, debet examinare testes idoneos, quos altera pars offert, reducendo eorum dicta in publica instrumenta: similiter conficiat instrumentum super denunciatione facta parti aduersæ, vt intersit.

Glos. Inter hanc acceptionem testium, & illam, quæ fit cum timetur de morte testium, vel de diurna absentia, est multiplex differentia: nam hic recipiuntur omnes tam iuuenes quã senes: ibi solũ senes, de quorum morte timetur, statim publicantur, perpetuo valent, licet non timeatur lis in presenti; sed ibi contra. Item non valet receptio testium, si de hoc non fiat denunciatio parti aduersæ, quæ satis est, si fiat domi, si non comparet.

818 *Cap. XLII.* Cum causa.

IIdem testes, qui fuerunt pro vna materia in vno capitulo, possunt iterum recipi in eadem materia pro alio capitulo: vt qui testificati sunt excessum deceptionis, possunt testificari quantitatem valoris.

Glos. Aliud est probare deceptionem vltra dimidium, & aliud est probare quanta fuerit deceptio, ideo possunt esse ijdem testes. Item est inspiciendum tempus contractus. Item res æstimatur ex qualitate rei, & quantitate fructuum, qui colligi possunt, v.g. in viginti, vel triginta annis, vel quanti vendi potest.

819 *Cap. XLIII.* Albericus.

SEntentia lata à Iudice, si per scripturam non apparet, debent recipi testes, & in publicam scripturam redigi: v.g. sententia diuortij si non apparet in scripturis, probetur per testes, ne filij sint illegitimi.

Glos. Est specialis fauor matrimonij. Sed fiat denunciatio parti, cuius interest testes non recipi: & sic in causa matrimonij sententia non scripta valet, si probetur per testes.

Cap.

820 *Cap. XLIV.* Cum in tua.

SI esset fama, quòd contrahentes sint consanguinei, & ad tollendum scandalum duodecim propinqui iurant nullam esse cõsanguinitatem, si post contractum matrimonium, tres, vel quatuor testantur esse parentelam: tunc si primi testes iterum iurant, vel alij non esse consanguinitatem, præualebunt: si verò primi, vel alij non testificantur, consequenter præualebunt secundi.

Glos. Ratio quare in hoc casu publicatio testium non impedit, quin de nouo sumantur: quia ante matrimonium procedebatur per modum denunciationis, sed post per modum accusationis, & sic erat diuersus modus agendi. Item iste textus non habet locum in causa criminali, quia partes didicerunt testificata. Item textus hic loquitur de quacumq. causa, non solum de matrimoniali.

821 *Cap. XLV.* Constitutis.

QVi præsumit impedire aliquẽ in producendis testibus, potest excomunicari. Item, qui iurat veritatem non dicere, non tenetur seruare iuramentum. Item quando consanguinei rei præsumuntur impedire aliquem, ne testificetur contra reum, punietur ipse reus; & si sit Archiepiscopus, suspenditur à pontificalibus, dum eius consanguinei impediunt, nequis testificetur ipsius simoniam, quia præsumitur impedimentum non dari reo inuito: & sic suspenditur, donec parentes desistant à tali præsumptione.

Glos. Iuramentum de non testificando non tenet: & hoc non obstante, qui sic iurauit admittitur vt testis. Item impedientes iurisdictionem iudicis debent excommunicari.

822 *Cap. XLVI.* Constitutus.

QVando impeditur ingressus ad iudicem, potest appellari à sententia, quæ fertur. Item si parentes adhuc non didicerunt testificata, nec renunciarunt testibus producendis, possunt iterum ijdem, vel alij testes produci in alio iudicio.

Glos. Iudex debet assignare locum idoneum partibus.

823 *Cap. XLVII.* Licet ex quadam.

QVamuis olim, quando impedimentum consanguinitatis erat vsque ad septimum gradum, admittebantur testes de auditu; nunc quia est ad quartum gradum, non admittuntur, nisi fortè essent personæ graues, quæ ante motam litem audierint hæc à suis antiquioribus, saltem duobus non infamibus, & suspectis, sed fide dignis,

gnis, & omni exceptione maioribus. Item sufficit, si vnus audiuit à pluribus, vel si multi infames ab hominibus bonæ vitæ audierint. Item tales testes in suo iuramento iurent etiam quod nō odio, amore, timore, vel commodo testificentur; & singulos gradus ab vtroque latere nominando, vel circumloquendo personas distinguant, & iurent se accepisse à maioribus, quod deponunt, & credere ita esse: iurent etiam se vidisse personas, saltem in vno prædictorum graduum constitutas, se pro consanguineis habere: nam tolerabilius est dimittere aliquos copulatos contra statuta hominum, quam legitimè coniunctos contra statuta rei dissoluere.

Glos. Testimonium de auditu hodie non admittitur in causis matrimonij. Item non admittitur testis, cuius auctor repellitur, v.g. vt infamis. Item si testis probaret ab vno tantum latere, an sufficeret. Respondetur affirmatiuè. vide *glos. in verbo gradus*.

824 Cap. XLVIII. Per tuas. Honor. iij.

SI pars post publicationem testium petat iterum interrogari, nō est audienda, nisi ex malitia, vel negligentia examinatorum non interrogatum fuisset super certis articulis.

Glos. Ante aperturam testium, testis incontinenti potest iterum dicere, & etiam corrigere suum dictum. Item iudex ex officio suo, si testis est obscurè loquutus, potest per aperturam testium iterum interrogare testem.

825 Cap. XLIX. Licet dilectus.

TEstes contra personas testium in negotio principali admittuntur, & similiter secundo testes contra testes, sed vltra non licet admittere quartos testes reprobatorios, ne lis diutius protrahatur.

Glos. Duæ tantum reprobationes testium possunt fieri, non vltra, ab vtraque parte.

826 Cap. L. Præsentata.

POstquam arbitri acceperunt testes, & publicauerunt attestationes, si contingat arbitrium dissolui propter mortem, vel absentiam arbitrorum, scripturæ sigillatæ deferantur ad iudicem ordinarium: Iudex det optionem, vt vel admittat contra se testificationes receptas eorum qui adhuc viuunt; vel si eas nolint, consentiant vt iterum de nouo ijdem testes recipiantur, saluo semper iure, quod parti competit excipiendi in personas, vel in dicta testium.

Glos. In isto casu publicatis testibus ijdem testes admittuntur.

Item

Item contra personas testium coram arbitris productorum potest opponi, etiam si sint mortui. Item compromissum per mortem vnius arbitrorum expirat. Item testes recepti coram arbitro, si sint mortui valent, in iudicio de eis datur optio.

827 *Cap. LI.* Nuper.

NVlli testi, licet religioso, debet credi in praeiudicium alterius, nisi iuret.

Glos. Si parte contraria volente, & consentiente testificantur sine iuramento, tunc valent. Item vni testi non creditur in praeiudicium alterius. *supra cap. veniens.* licet faciat praesumptionem: sed quando non est in praeiudicium alterius, creditur, vt an ecclesia sit consecrata.

828 *Cap. LII.* Venerabili.

TEstes etiam si agatur de vita, & miraculis alicuius canonizandi, sunt recipiendi, & examinandi sigillatim, & cum diligentia.

Glos. Testes sunt examinandi sigillatim, & secreto, alioquin non valent: sic canonici secreto eligant. *de elect. cap. quia.* Item non sufficit ad canonizandum inquirere de miraculis, sed etiam inquirẽdum est de vita, quia miracula Deus facit etiam per reprobos.

829 *Cap. LIII.* Cum clamor. *Greg. ix.*

IVdex si post testium publicationem inueniat illos obscure deposuisse, sunt iterum examinandi ipsi testes, & alij etiam.

Glos. Hoc verum putatur in iudice, qui ex officio inquirit, secus in iudice ordinario. Item non videntur examinandi iterum, quia interpretatio debet fieri contra producentem. *de probat. cap. in praesentia.* Et timenda est subornatio. *Resp.* hoc fit, cum agitur per inquisitionem, non petitionem alterius, sed ad clamorem, & famam.

830 *Cap. LIV.* Testimonium eius.

SIue in causa ciuili, siue criminali, si apponatur crimen testi, & testis in ipso crimine perseueret, non valet eius testificatio: si verò est emendatus de crimine, nec est infamis, & crimen non erat periurium, est recipiendus in causa ciuili, & in criminali ciuiliter tractata. Item in causa criminali, si testis in alio iudicio accusatus, fuit de crimine conuictus, vel confessus, vel si nunc per exceptionem conuincitur, aut eius opinio fuit grauata ex eo, quod quandoque fuit tali modo repulsus, est remouendus à testimonio, licet poeni-

tentiam egerit, licet in ciuilibus repulsus admittatur.

Glos. Detentus in crimine non admittitur testis in iure canonico in alia causa: si est emandatus, admittitur cum distinctione. Item criminosus non potest accusare.

831 *Cap. LV.* Vltra tertiam.

PEtenti quartam productionem, idest dilationem ad producendos testes, non est concedenda, nisi cum solemnitate iuret quod non per se, nec per alios subtraxerit testificata, vel percontatus fuerit. Item, quod non per dolum, vel artem petit quartā productionem, sed quia hos testes antea habere nequiuerit. De hoc vide *supra cap. in causis*.

Glos. Istud iuramentum est distinctum à iuramento calumniæ, quia calumniæ est quod credit, & existimat verum, hoc est de veritate dicenda. Item hæc quarta productio non est danda, si sufficiens fuit prima, & tunc nec secunda est danda.

832 *Cap. LVI.* Non debet.

ACcusatus de crimine, pendente sua accusatione non potest esse testis in alia causa criminali, immo non potest accusare, nec suscipere ordines, nisi prius se probauerit innocentem.

Glos. Reus, seu accusatus de crimine, non purgatur relatione criminis, idest accusando alium, sed innocentia: nec potest esse procurator, tamen in causa ciuili potest esse testis, si sit emendatus de crimine.

IN SEXTO LIBER II.

DE TESTIBVS, ET ATTESTAT. Tit. X.

833 *Cap.* Mediatores. *Greg. ix.*

MEdiatores simoniæ, si ex hoc non sunt assequuti emolumentum, & non agatur criminaliter, admittuntur testes contra authores sceleris, & hoc in detestationem huius criminis.

Glos. Quando agitur, vt simoniacus priuetur beneficijs, dicitur agi ciuiliter; quando vt priuetur ordinibus, dicitur criminaliter. Item licet regulariter non admittatur contra socium criminis, tamen

men specialiter admittitur in simonia, si sit socius criminis, & non muneris, & agatur ciuiliter. Item est speciale in alijs criminibus exceptis, vt læsæ maiestatis, & hæresis. Item quomodo accusatus possit excipere de teste, quod sit socius criminis, non se confitendo talem. Vide *Glos.*

834 *Cap.* Præsentium.

IVdex in causis spiritualibus assumpto iuramento de calumnia, & veritate ab vtraque parte, faciat reum respondere sigillatim positionibus sibi traditis: & si altera pars vult producere testes reprobatorios contra testes productos in principali ab altera parte, eos recipiat, & examinet: & si altera pars vult substentare primos testes super principali productos, illos etiam recipiat, & examinet secundum articulos, & interrogatoria partium.

Glos. Pro re spirituali potest intentari remedium vtile possessionis. Item si subditus recusat obedire superiori, dicitur spoliare superiorem illa possessione subiectionis. Item qui vult producere testes, debet exprimere nomina testium. Item ego possum testes reprobatorios reprobare, sed tu non poteris amplius reprobare meos, ne detur processus. Vide ibi multa.

835 *Cap.* Romana ecclesia. *Innoc. iv.*

QVi fuit aduocatus, vel procurator in causa principali, non potest esse testis in causa appellationis. Item appellanti cum præsumptio faciat pro eo, non datur indistinctè iuramentum, nisi iudex consideratis circumstantijs causæ, & personarum, iudicet dandũ.

Glos. Multa dicit de iuramento supplente.

CLEMENTIN. LIB. II.

DE TESTIBVS.

836 *Cap.* Cum Iudæi.

IVdæi, & Saraceni conuinci possunt per testes Christianos, non obstantibus priuilegijs Regum in contrarium. Et si iudæi, & Saraceni præsumpserint vti talibus priuilegijs, subtrahatur eis commercium christianorum: & si opus fuerit, christiani compellantur censura ecclesiastica abstinere ab eorum communione.

Glos. Christiani, qui testificantur contra iudæos, possunt per ex-

ceptionem criminis à testimonio repelli. Item Principes non possunt priuilegiare iudæos in eis, quæ sunt opprobrium Fidei. Item iudæi regulariter non per ecclesiam, sed per Principes seculares compelluntur.

837 *Cap.* Testibus.

PVblicatis attestationibus non licet accipere, nec eosdem testes, nec alios super eisdem, vel directè contrarijs articulis, tam in causa principali, quam in causa appellationis: quia in vtroque subornatio est timenda.

Glos. Hæc Clem. est determinatiua. *cap. patrenitatis*. Item receptio testium non tenet ex aliquo defectu, vel publicatio testium indiscretè facta: vt inscia, & inuita parte, ex causa rationabili contradicente, possunt recipi testes, quia hæc Clementina non habet locum. Item parte aduersa consentiente non habet locum hæc Clementina. Item si veteres articuli fuerunt probati per instrumenta, & non per testes, possunt appellatione probari per testes, hac non obstante. Item licet indirectam contrarietatem probare, non directam: & quæ sint, vide ibi. Item publicatis attestationibus in principali non licet producere in appellatione.

DECRETALIVM LIB. II.

DE TESTIBVS COGENDIS, vel non. Tit. XXI.

838 *Cap. I.* Causam matrimonij. *Alex. iij.*



N causa matrimoniali, vel alia ciuili, testes ab alterutra parte inducti, sunt diligenter monendi ne veritatem occultent: sed si odio, gratia, vel amore se subtrahunt, sunt compellendi districtione ecclesiastica ad testificandum coram iudice, vel eius nuncio ad hoc misso.

Glos. Testis veritatem occultans peccat mortaliter. 11. *quæst.* 3. *cap. quisquis*. An præter hos casus testes sit compellendus? videtur non, *cap. super eo*. Resp. nisi per alios veritatem posset probare, est compellendus, quia præsumitur contra ipsum. An testes debeant esse præsentes iudici. Resp. in criminalibus sic 3. *quæst.* 9. *c. testes*.

Sed

ſed in ciuilibus ſi iudex ſit infirmus, debilis, vel egregia perſona, ſatis eſt coram nuncio.

839 *Cap. II.* Cum ſuper.

QVando teſtimonium alicuius eſt neceſſarium, eſt vocandum cum mandato: ſi non venerit, eſt ſuſpendendus ab officio eccleſiaſtico, vel ſi ſic non venerit poteſt excommunicari, & deponi.

Gloſ. Debet venire in termino conſtituto, & in hora, qua poſſit expedire officium ſuum, *de officio deleg. c. conſuluit*. Item quando culpa incipit à contumacia, eſt excommunicandus; ſi à crimine, debet deponi. Item creſcente contumacia debet creſcere pœna. An ſi iudex excommunicaſſet aliquem, qui in territorio non venit, nulla exceptione facta, ſit excommunicatus, ſi non potuit venire. Reſp. quoad Deum non, quia impoſſibile præceptum non ligat: ſed quoad eccleſiam, quæ illud ingnorat, tenet, ſed doceat de impedimento, vel grauamine, & ſine difficultate abſoluetur. *cap. ſacro de ſent. excommunicat.* ſicut ſententia diffinitiua non mandatur executioni.

840 *Cap. III.* Super eo.

QVando quis conuentus coram iudice de aliquo facto negat factum; ſi factum eſt notorium, non eget teſtibus; ſi non eſt notorium, tunc ſi qui interfuerunt, licet de rigore iuris humani compelli poſſint ad teſtificandum, tamen ſunt monendi, & non cogendi, niſi conſtet iudici eos à ferendo teſtimonio reuocari timore partis aduerſæ.

Gloſ. Factum notorium non indiget teſtibus, vel probatione, ſicut nec in confitente ſunt neceſſariæ partes Iudicis. Item teſtes non ſunt cogendi in principio, ſed primo ſunt monendi, deinde ſi nolint ſunt cogendi *ſup. c. cum ſuper cauſam*. Item clerici in cauſa laicorum non ſunt cogendi, niſi cum non poſſunt haberi aliæ probationes. Item quod ex timore nolit, præſumitur eo ipſo, quod non vult, & ſic cogetur; vel ſtandum eſt interpretationi conſuetudinis. Item ſi conſtet quod pars aduerſa timorizat, debet excommunicari. *c. cum cauſam, de teſtibus*. Item teſtes in ciuilibus paſſim coguntur in criminalibus non, niſi agatur ciuiliter, *infra c. delictorum*.

841 *Cap. IV.* Peruenit ad audientiam.

QVando fertur iniuria clericis, vel rebus eccleſiaſticis, ſi iniuria aliter probari non poteſt, laici, qui interfuerunt, ſunt

compellendi ad testificandum per censuras ecclesiasticas.

Glos. Cum dicit, quod sunt cogendi, cum agitur de rebus ecclesiasticis, collige non esse cogendos in causa criminali, vt est iniuria. *c. delictorum*, nisi ciuiliter agatur, vt de impensis.

Cap. V. Peruenit.

IN causa Ecclesiastica testes sunt cogendi censuris, si res aliter probari non potest.

842 Cap. VI. Ceterum. *Calestin.v.*

IN causa matrimoniali, vt super consanguinitate, si constet aliquem nolle testificari odio, gratia, vel timore, est cogendus, tum de iure. *cap.4.q.2.* cum de consuetudine approbata.

Glos. Vt compellatur sufficit, si requisitus non vult, quia præsumitur contra ipsum.

843 Cap. VII. Præterea.

SYnodales testes, idest alicuius ciuitatis, qui coram Episcopo visitante, vel capitulo testificati sunt super causa matrimoniali, si ista causa deducatur ad aliquem delegatum, prædicti testes non sunt compellendi iterum iurare coram delegato super eadem causa, secus si emergat nouus articulus nouæ quæstionis, vel si aliter non possit fieri fides illi delegato. Item si prædicti testes post latum testimonium contrahunt infamiam, non admittuntur ad testificandum amplius. Item si in proferendo testimonio non studiosè errauerint, si in continenti se corrigant, non debent reprobari: secus si interponunt interuallum suæ correptioni.

Glos. Testis in eadem causa semel tantum debet iurare. Item in continenti potest corrigere suum dictum, non ex interuallo. Item si aliter non fiat fides coram delegato, non debet testis iterum iurare, sed aliter suppleatur. Item infamia superueniens impedit à iuramento dando, & non à iam dato, quia non vitiat quod legitimè factum est. Item quando dicatur in continenti. Resp. in eadem instantia iudicij, vel antequam recedatur à præsentia iudicis, vel loquatur partibus. vide *cap. quia propter de elect.*

844 Cap. VIII. Super his. *Innoc.iij.*

QVando contra electum obijcitur crimen, & scribitur Papæ, & dubitatur de crimine, vel de litteris an sint capituli, in inquisitione sunt cogendi testes.

Glos. Vide *c. super his de accusat.* & *c. tam litteris de testibus.*

Item

Item etiam de sequenti in criminalibus testes compelluntur, & hoc est contra *cap. peruenit,* & *cap. dilectorum, eodem.*

845 *Cap. IX.* Cum contra.

TEstes super crimine falsitatis, si se odio, gratia, vel timore subtrahunt, sunt cogendi.

Glos. Intelligitur etiam de alijs criminibus. An testes in criminalibus sint cogendi? vide *Glos.* in cap. sequenti.

846 *Cap. X.* Dilectorum.


TEstes in ciuilibus, & non in criminalibus, si gratia, odio, vel timore se subtraxerint, sunt cogendi.

Glos. In ciuilibus tum laici, tum clerici sunt cogendi ad testificandum. Item in causis pecuniarijs mediatores non sunt cogendi, nisi de consensu partium. Item de priuilegiatis in alijs casibus. An in criminalibus testes sint cogendi? videtur hic affirmatiuè respondendum. *sup. cap super his. cap. cum contra & alibi.* & in hac decretali agebat ciuiliter, vide. & tandem respondetur non nisi in aliquibus casibus priuilegiatis, & exceptis.

847 *Cap. XI.* Venerabilis frater.

AD manifestandam coniurationem possunt testes compelli, etiamsi iurauerint non manifestare eam; & qui acceperunt iuramentum, sunt cogendi vt illos soluant à iuramento, ad hoc vt testificentur.

Glos. Impedientes iurisdictionem iudicis possunt compelli, vt non impediant. Item clerici, qui faciunt insidias, vel coniurationem contra Episcopum, sunt deponendi, & tradendi curiæ sæculari, 11. *q.* 1. *cap. coniuratorum*, & laici excommunicandi. *cap. conspirationum*. Item licet iuramentum non tenuerit, quia de re illicita, tamen qui iurauit absoluitur ad cautelam, & de facto. Item socius criminis admittitur ad detegendam conspirationem. Item in defectu probationis admittuntur minus idonei testes, qui alias non debent admitti. *cap. cum dilecti, de elect.*



DECRETALIVM LIBER II.

DE FIDE INSTRVMENT. Tit. XXII.

848 *Cap. I.* Si scripturam. *Greg.*



ON datur fides exemplaribus, si non appareat scriptura authentica, ideft nisi ostendatur originale.

Glos. Nisi esset scriptum per Iudicem, & eius auctoritate publicatum. Item scriptura authentica est, quæ facta est per manum publicam, vel per iudicem cum testimonio, vel subscriptione trium, vel ad minus duorum testium, vel quæ habet sigillum authenticum. Item scriptura, quam facit priuatus in præsentia trium testium, videtur authentica.

849 *Cap. II.* Scripta vero. *Alex.iij.*

SCriptura facta per manum alicuius priuati, vt scriptura facta à testibus, si testes sint mortui, non habet fidem, secus si sit facta per manus notarij, vel habuerit authenticum sigillum, per quod probari potest.

Glos. Instrumenta publica perpetuo valent ad damnum, vel commodum vtriusque partis. Item priuata, si constet ab aduersario esse scriptam, vel si ab alio cum subscriptione partium, vel testium, habet vim in actione personali; sed in actione reali, tali priuato instrumento præfertur publicum. Sed si instrumentum priuatum est scriptum tribus, vel pluribus testibus, præponitur publico; priuata enim valent in præiudicium illorum, qui ea scribunt. Item authenticum sigillum dicitur Episcopi capituli, vel Principis sæcularis.

850 *Cap. III.* Ex litteris.

LItteræ apostolicæ, propter abrasuram factam in narratiua, vel in locis non suspectis, non censentur falsæ, vel suspectæ, sicut nec priuilegia, si abradantur in nominibus possessionum.

Glos. Secus si in nominibus actoris, rei, vel iudicis, vel si esset falsum latinum. Item copia litterarum est facienda aduersario petenti, vt videat. Item vbi ius non constituitur, non nocet rasura.

Cap.

851 Cap. IV. Accepimus.

QVando quis dicit priuilegia partis contrariæ esse falsa, iudices in loco congruo, & securo, vt in claustro religiosorum priuilegiatorum, coram duodecim testibus infra certum terminum illa demonstrent parti, sed interim priuilegia, & sententia lata habeant suam vim.

Glos. Qui vult arguere priuilegium, vel instrumentum falsitatis, primo iurabit, quod hoc non dicit calumniose, alioquin non demonstrabitur, nisi prius fuerit de calumnia iuratum. Item si dicatur sententia lata per falsa instrumenta, vel falsos testes, donec probetur dictum valet.

852 Cap. V. Contingit. Cælestin. iij.

QVando vna pars cogitur demonstrare suum priuilegium, vel indulgentiam, vel instrumentum, tunc legatur coram iudice, & aliquibus iuris prudentibus, deputatis ab ipso iudice, audiente parte contraria: & si quæstio fuerit super vno capitulo solum, illud tantum rescribatur, & tradatur parti aduersæ copia.

Glos. Tenetur edere hæc, quia his erant vsuri in iudicio, reliqua vero non tenetur. Item iuret quod per calumniam hoc non faciat.

853 Cap. VI. Inter dilectos. Innoc. iij.

QVando iura partium sunt obscura, sententia fertur contra eum, qui est petitor, & absoluitur conuentus: & sic qui in causa non legitime probat, v.g. per instrumenta corrosa, vel notoriè interfracta, vel cum sigillo vastato, vel aliena manu subscripta, vel ex qualitate cartæ, vel in anno domini, & similibus, nihil facit, nec nocet possessori.

Glos. Libellus potest concipi nomine procuratoris, in persona tamen ecclesiæ. Item in libello potest apponi, saluo iure addendi, vel minuendi. Item falsitas scripturæ v.g. priuilegiorum, & instrumentorum potest cognosci in annis Domini, in indictione, in qualitate chartæ, in sigillo priuilegij, in scriptura Notarij. Item res inter alios acta alijs non nocet. Item aliud est quod confirmatur, aliud quod datur. Item quod meum est ex alia causa, meum fieri non potest. Item si principale non tenet, nec tenet accessorium. Item locatio facta non probat dominium, nec possessionem. Item sententia formatur in personam procuratoris. Item indictio & millesimus sunt scribendi in instrumento; & indictio numeratur

quindenis

quindenis annis ab annis Domini, additis tribus annis. Item sigillum vt sit authenticum debent apparere characteres, & orbita. Item si deest nomen, non dicuntur litteræ signatæ. De instrumentis, quomodo sint facienda, & quem effectum habeant, vide *Host. in sum. hoc tit.* §. 3. & 4. & 5. An possessio, vel proprietas possint probari per instrumenta locationis, vide.

854 *Cap. VII.* Quod super.

Litteræ impetratæ à sede Apostolica super commutatione, vel dispensatione voti, si fuit falsitas expressa, vel suppressa veritas, sunt nullæ, & impetrantes cogantur soluere votum.

Glos. Quando sigilla sunt ignota, tunc eis non est standum, & si sunt offuscata, sunt suspecta, & sunt remittenda ad consignatores, vt cognoscant sua sigilla: si vero sigillum est notum, tunc creditur litteris, etiam in præiudicium alterius, nisi contrarium probetur.

855 *Cap. VIII.* Pastoralis.

Quando allegatur aliqua Decret. extrauagans, de qua merito iudex dubitat, tunc si est conformis iuri communi, potest secundum eam iudicare; si est dissona, non potest, sed consulat Papam.

Glos. Si aliquod rescriptum est contra ius commune reijcitur, & standum est iuri communi, *de rescriptis c. causam.* & *de ætate, & qualitate c. causam te* & 25. *q.* 2. *rescripta:* Imo est auferendum de manibus tenentis, & dandum est Principi: si non ex toto est contra ius, sed est iniquum, tunc erit expectandum aliud mandatum, *de officio delegati c. si quando.* Si vero aliqua decretalis sit præter ius, non reijcitur, sed consulitur superior. Si Decretalis obuiat consuetudini probabili, & legitime præscriptæ, præualet consuetudo. *de consuet. c. vlt.* nisi princeps per suum statutum intendat tollere consuetudinem.

856 *Cap. IX.* Cum dilectus.

Post publicationem attestationnm, & ante definitiuam sententiam, vtraq. pars potest producere instrumenta. Item vbi talis est consuetudo, creditur instrumentis Regis, & per ea potest quis probare suam intentionem in iure.

Glos. Consuetudo facit aliquod instrumentũ authenticum, quod alias non erat authenticum, sicut dat iurisdictionem alicui, & facit aliquem illegitimum ad promotionem, qui alias erat legitimus: sic facit illegitimas personas ad matrimonium, quæ alias erant legitimæ.

Cap.

857 *Cap. X.* Cum Ioannes.

FAlsitas instrumenti, vel quod aliquid deest instumento, potest probari per testes, & sic testes præferuntur instrumento.

Glos. Compensatio in iure admittitur, si causa ex qua petitur, liquida est, alias non. Item publicatis attestationibus recipiuntur testes super nouo articulo. Item iudex ex officio semper potest interrogare partes, vbi dubitat, vsq. ad sententiam. Item licet sententia ex noua allegatione cassetur, non tamen præiudicat iudicibus, qui eam protulerunt. Item sententia pro parte tenet, & pro parte non. Item ad reprobandum instrumentum requiruntur quatuor meliores, vel quinque testes. *de probat c. 3.*

858 *Cap. XI.* Ex parte. *Honor. iij.*

DEfectus, seu carentia vnius litteræ, non vitiat decretum, vt si in dictione spoliarunt desit, o.

Glos. Modicus defectus non vitiat rescriptum, cum ex præcedentibus, & consequentibus possit cognosci intentio dantis: imo nec si desit sillaba, sicut nec viciatur testamentum: at falsum latinum vitiat *cap. ad audientiam de rescriptis.*

859 *Cap. XII.* G. Perpetuus. *Greg. ix.*

QVando litigatur, & fit conuentio, vel reconuentio coram iudice, si vna pars petat sibi tradi instrumenta communia, & iudex hoc non curat, potest licite appellare, & quidquid tentatur post appellationem, non valet.

Glos. Omnia instrumenta communia, idest acta causæ, confessiones, & responsiones, attestationes, & quæque acta sunt in iudicio, possunt peti exhiberi, vel condictione ex lege, vel iudicis officio. c. quoniam de probat. Si vero actor ad probandā suam intentionem petat à reo instrumenta propria, non est audiendus, quia debet habere apud se suas probationes, *cap. primo de probat.* nisi alterutra partium velit arguere instrumentum de falsitate. cap. inter dilect. de probat. fallit in vsurario, qui tenetur producere libros rationum suarum. *cap. ex graui, §. cæterum de vsuris.*

860 *Cap. XIII.* Imputari.

SI producantur scripturæ contrariæ inter se, non faciunt fidem, & imputetur producenti.

Glos. Siue directe scripturæ sint contrariæ, siue indirecte, & debent produci ab eadem parte: secus si à diuersis producantur, quia,

tunc

tunc ſtandum eſt illi ſcripturæ, quæ eſt dignior, & magis caret ſuſpicione. An ſit idem in teſtibus ab eadem parte productis? reſpondeo non, quia non poteſt prouidere quod ſunt dicturi: ideo ſtandum eſt dignioribus.

861 *Cap. XIV.* Si cautio.

QVi producit ſcripturam, vt cautionem, in qua eſt debitum ſibi promiſſum, ſi non exprimitur cauſa quare fuit promiſſum, abſoluitur debitor, niſi creditor probet id fore ſibi debitum: ſi exprimitur cauſa, condẽnabitur debitor, niſi probet ſe id nõ debere.

Gloſ. Semper cauſa eſt exprimenda, vt quis obligetur ex ſua confeſſione, alias non tenetur. Item confeſſio extra iudicium facta, adiecta cauſa, bene præiudicat ad probandum: *de confeſſ. cap. vlt.* Item ſi me abſente confiteatur quis mihi aliquid debere, talis confeſſio illi non nocet ad inſtar ſtipulationis. Item ſtatur confeſſioni contra ſe. Sed aliquando fallit, vt in pecunia confeſſata, quia poteſt opponi exceptio non numeratæ pecuniæ infra biennium, vt etiam in dote; vt quando ſtatur ſecundæ confeſſioni, & non primæ. Item contra talem cautionem admittitur probatio, vt quia iam ſatisfecit ei, ideo eſt indebita, & tenetur probare.

862 *Cap. XV.* Cum publicus tabellio.

SI notarius aliqua inſtrumenta redacta in nota, non perfecerit, & moriatur, alius notarius auctoritate iudicis ordinarij ad petitionem partium poterit illa in publicam formam redigere, & habebunt perpetuam firmitatem.

Gloſ. Item poteſt fieri ſi per vetuſtatem eſſent corrupta, vel alia iuſta cauſa, vt infra. Nota: tabellio dum viuit, non poteſt alteri committere completionem inſtrumenti, ſed ipſemet debet complere inſtrumentum, pro vt in protocollo reperitur, nihil addendo, vel minuendo.

863 *Cap. XVI.* Si inſtrumenta.

SI propter antiquitatem, vel aliam cauſam, quis petat inſtrumenta exemplari, præſententur inſtrumenta ordinario, vel ab eo delegato ſpecialiter ad hoc, qui ea diligenter inſpiciat; & ſi non ſunt in aliquo vitiata, faciat ea exemplari per publicam perſonam, & habebunt eamdem auctoritatem cum originalibus.

Gloſ. Inſtrumenta, & priuilegia ob vetuſtatem ſunt renouanda modo prædicto. Item ſi eſſent pro parte conſumpta, & ex inſpectione non poſſet cognoſci de fide ipſorum, non ſunt renouanda, niſi

nisi prius probetur per testes de integritate ipsorum. *de priuil. cap. cum olim.*

DECRETALIVM LIBER II.

DE PRÆSVMPTIONIBVS.
Tit. XXIII.

864 *Cap. I.* Sicut.



QVI manifeste nocet, v.g. mittens lanceam vel sagittam, est noxius pœnæ: sic qui nocet occultè amico suo, licet dicat ludens feci. *Salomon in parabolis cap. 26.*

Glos. Sic v.g. qui ingreditur domum amici, & clam accipit iocalia, si detectus dicat iocans feci, non liberatur, quia non creditur. Idem, qui aliquid tentat, licet non sequatur effectus.

865 *Cap. II.* Afferte.

IVdex præsumptione vehementissima potest ferre sentiam definitiuam, vt fecit Salomon de vno filio inter duas mulieres *Reg. 3. cap. 3.*

866 *Cap. III.* Ex studijs.

Puer præsumitur futurus bonus, ex actibus bonis, quos facit.

867 *Cap. IV.* Nullus. *Bonifac.*

QVi dilationibus subterfugit iudicium, confitetur se nocentem. Ratio, quia de sua iustitia diffidit.

868 *Cap. V.* Nonne. *Greg.*

QVi de duobus sibi illatis si vnum negat, alterum tacendo fatetur.

Glos. Qui tacet consentire videtur. hæc regula fallit in multis casibus: vt si ego per meam prohibitionem non possum impedire, quod fit, si taceo non mihi nocet. vide *glosam in verbo. Tacendo.*

Cap.

869 *Cap. VI.* Mandata.

EX bona ante acta vita præsumitur de futura : & sic Papa delegat Maximum Episcopum super omnes ecclesias Siciliæ, & hoc delegat personæ, & non loco, & ait se gerere mandata cœlestia, si onera impartiatur cum fratribus.

Glos. Iste Legatus non potest extendere manus ad ea, quæ in signum vniuersalis dominij sunt reseruata Romano Pontifici. Item legatio facta personæ, spirat cum morte Legati, & non committentis; & si esset facta loco, esset perpetua. *de officio legati cap. quod translationem*, & *in 6. cap. 2.*

870 *Cap. VII.* Quosdam.

EX vicinitate loci præsumitur notitia facti loci conuicini pro aliquo, vel contra aliquem.

Glos. Quando quis interrogatur an credat, an non, non est dandum tempus ad deliberandum, quia ex præsumptione informat suam credulitatem.

871 *Cap. VIII.* Quanto.

FActum, quod est notum in longinquo loco, præsumitur notum in vicino.

Glos. Episcopus, qui non corrigit peccata nota in longinquis, non excusatur ignorantia, quia non præsumitur. Item temeraria præsumptio repellitur, probabilis quandoque inducit purgationem, violenta quandoque sufficit ad condemnationem.

872 *Cap. IX.* Scribam eis.

EX præteritis præsumitur circa futura.

Glos. Aliquando ex præsenti præsumitur circa præsentes, vel præteritum, vel futurum; aliquando ex præterito præsumitur circa præteritum, præsens, vel futurum.

873 *Cap. X.* Quia verisimile. *Alex. iij.*

QVi vult probare aliquid, quod non est verisimile, debet offerre maiorem probationem, v.g. debet offerre tales testes, de quibus non est verisimile, quod deierabunt; & quod de eo sit fama communis.

Glos. Contra verisimilem præsumptionem inducuntur testes. Itē de nemine est præsumendum, quod bona sua iactet.

Cap.

874 *Cap. XI.* Illud quoque.

IN dubio de matrimonio, si fama loci, seu viciniæ habet, quod vir eam in lecto, & in mensa sicut vxorem tenuerit; præsertim si producantur contractus matrimoniales, in quibus vxores vocantur: vxor etiam si dicat illum non esse maritum, & testes habeat, quod rogatus vir vt eam desponsaret, noluerit, est tamen cogenda, vt cohabitet cum viro, licet dicat illum esse seruum, sibi tamen cognitum, ante matrimonium; præsertim si contractus fuerunt conditi ab eo, qui fideliter officium suum adimplebat.

Glos. Matrimonium probatur etiam per exteriora, vel per famam, & si famæ adiunguntur aliæ præsumptiones, vt cohabitatio, contractus, delatio anuli, faciunt probationem: & sic quæ singula non prosunt, multa iuuant. Item contra matrimonium non est admittenda probatio. Item sine vllo instrumento valeret probatio per famam cum alijs. Item præsumitur pro instrumento facto ratione officij. Item præsumitur quis facere semper officium suum fideliter, nisi aliter præsumatur, vel probetur. *de præsumpt. cap. ad audientiam.*

875 *Cap. XII.* Litteris tuis.

VIolenta præsumptio probat copulam carnalem, & sic fertur sententia v.g. si testes deponunt vidisse vxorem cum consanguineo viri, solam cum solo, nudam cum nudo, in eodem lecto iacentem, & credebant fuisse cum intentione cognoscendi se carnaliter; & hoc in secreto loco, & hora, electis &c. probant copulam, & iudex cum hac vehementi, seu violenta suspicione, ferat sententiam diuortij, vt vir mortua vxore ducat aliam, mulier maneat sine spe coniugij.

Glos. Non admittuntur plures accusatores, sed vnus: & si multi compareant, iudex eligat magis dignum, & qui semel comparuit inter accusatores, amplius testificari non potest. *de accusationibus c. 1.* Item mulier carebit spe nubendi propter incestum, quem commisit; & si deinde timetur incontinentia, detur facultas.

876 *Cap. XIII.* Tertio loco.

FEre idem, quod in præcedenti: nam postquam iuuenis contraxit per verba de præsenti cum vna, neptis vxoris deposuit se fuisse prius cognitam carnaliter ab illo iuuene, & produxit testes, qui dicebant de fama viciniæ, & vidisse eos sæpe vagantes per vias & nemora; & tandem iuuenis, & ipsa adstricti iurarunt se cognouisse,

uiſſe, mandat Papa vt ſeparentur, & res dicitur publica.

Gloſ. An allegans ſuam turpitudinem ſit audiendus? Reſpond non niſi propter periculum animæ ſuæ. Item erant ſponſalia de facto, non de iure.

877 *Cap. XIV.* Litteras. *Innoc.iij.*

PRopter vehementem ſuſpicionem de hæreſi non condemnatur quis vt hæreticus: ſed præter cautionem iuratoriam iniungatur diſcreta pœnitentia, ex qua deinde valeat cognoſci, num ſit hæreticus vel non; & ſi inueniatur vere catholicus,non moleſtetur; ſi hæreticus, condemnetur.

Gloſ. Qui contraria dicit, reijcitur vt ſuſpectus, Item vna præſumptio poteſt alteri præſumptioni præponderare. Item periurus non admittitur amplius ad iuramentum,ſi ly,præter,ſumatur excluſiuè; ſi incluſiuè,eſt accipiendum, quia eſt oneris, non honoris.

Cap. XV. Cum in iuuentute.

QVi in iuuentute fuit continens, non præſumitur in ſenectute incontinens, præſertim, ſi ſit litteratus, vt non præſumpſit Papa de Archiepiſcopo denunciato à Rege Vngariæ quod eſſet inceſtuoſus.

Gloſ. Denunciatio debet fieri ex charitate: & ſuperior non ſtatim debet credere, quæ contra ſubditos dicuntur, ſed prius ab alijs iniquirat. Item propter infamiam à maleuolis ortam, non eſt facienda inquiſitio. Item dignitas alicuius præſumitur eſſe adepta ex virtute.

878 *Cap. XVI.* Dudum.

QVando Papa reſcribit pro aliquo, vt recipiatur in numerum beneficiatorum, cum clauſula ſi idoneus recipiatur, prouiſus non tenetur probare ſe idoneum, quia præſumitur idoneus niſi contrarium oſtendatur.

Gloſ. Quilibet præſumitur idoneus, niſi contrarium oſtendatur. Item tot debent eſſe in Eccleſia, quot facultatibus Eccleſiæ poſſint ſubſtentari: & qui dicit Eccleſiam non habere, debet probare. Item clauſula,dummodo idoneus,&c. intelligitur etiam ſi nō fuiſſet appoſita, *de reſcriptis c. cum à Deo*. Item ſi contrarium debet probari, ergo negatiua poteſt probari.

DECRETALIVM LIBER II.

DE IVREIVRANDO.
Tit. XXIV.

179 *Cap. I.* Ex administrationis. *Greg.iij.*

CReditores vsurarum debent compelli per censuras Ecclesiasticas, vt relaxent debitoris iuramentum soluendi vsuras.

Glos. Debitor iurans soluere vsuras non peccat, ideo tenetur seruare iuramentum: creditor vero peccat, ideo tenetur relaxare. Quid si debitor iurarit non repetere vsuras? respondeo, denunciet hoc ecclesiæ, deinde iudex suo officio cogat restituere, vel compellat relaxare iuramentum, vel si non sunt solutæ compellat non exigere.

180 *Cap. II.* Peruenit.

PRælatus si iurat non repetere res ecclesiasticas vi ablatas, iuramentum non tenet, à quo etiam absolui debet.

Glos. Idest de facto ad cautelam, vel absolutus declarandus. Item Episcopus iurasset non repetere proprias res, iuramentum tenet, quia de his ad libitum disponere potest; de ecclesiæ vero non, sicut nec potest de minoris, vel fisci bonis. Item iuramentum metu extortum, si sine periculo animæ seruari potest, tenet; alius, non.

181 *Cap. III.* Peruenit.

QVi iuramentum commutat in melius, non frangit iuramentum. Item qui iurat facere aliquid interposita conditione, altera pars non implet conditionem, ipse non tenetur seruare iuramentum.

Glos. Non deierat, qui ex iusta causa iuramentum deserit, vt iurans peregrinari, si intrat religionem, non tenetur peregrinari. Item licet facienti contra fidem non sit seruanda fides, tamen si maritus, & vxor vouent castitatem, si vnus frangit, alter debet seruare. 23. q. 5. cap. qui Deo.

882 *Cap. IV.* Ego N.

EPiscopi iurant Papæ septem: primo quod erunt fideles sancto Petro, sanctæque Romanæ ecclesiæ, Papæ & successori legitimo: secundo quod non erunt in consilio, vel facto, vt vitam perdat, aut membrum, aut mala captione capiatur: tertio, quod consilium Papæ ipsis quauis via manifestatum, nulli ad damnum Papæ manifestabunt: quarto quod Papatum Romanæ ecclesiæ, & regulas patrum contra omnes defendent cum honore: quinto, quod Legatum sedis Apostolicæ certo sibi cognitum in eundo, & redeundo honorabunt, & in suis necessitatibus iuuabunt: sexto quod limina Apostolorum per se, vel per alium certum nuncium singulis annis visitabunt, nisi absoluantur à iuramento: septimo quod vocati ad synodum veniant, nisi fuerint impediti canonico impedimento.

Glos. Abbates præstent hoc iuramentum in benedictione, vt Episcopus in consecratione.

883 *Cap. V.* Nullus Episcopus. *Vrban.*

CLericus non tenetur Episcopo iurare fidelitatem, nisi quando administrat res ecclesiæ.

Glos. Et etiam pro pace, fide, fama.

884 *Cap. VI.* Debitores. *Alex. iij.*

QVi se obligauit ad soluendas vsuras, non debet cogi, nisi iurauerit: & tunc post completum iuramentum, idest solutis vsuris, vsurarij sunt compellendi censuris ecclesiasticis ad restituendas vsuras acceptas.

Glos. Licet principale non teneat, tamen accessorium tenet, vt promissio soluendi vsuras non tenet, sed iuramentum tenet. *cap. dilecti de foro competenti.* An debitor sit cogendus soluere vsuras, cum habeat exceptionem repetendi, & an qui soluit, vt repetat, liberetur à iuramento, vide doctores. Item in eodem facto vnus peccat, idest qui accipit vsuras, & alter non, cum possit cogi. vide *in 32. q. 1. cap. propositio.*

885 *Cap. VII.* Ad nostram.

QVi mutuo accipiunt pecuniam, & pignorant possessiones, & redditus mutuant, si iurant se non molestaturos mutuantem super fructibus pignorum, donec soluerint pecuniam, tenentur prius soluere pecuniam, & deinde petere restitutionem fructuum: & si dominus accepisset pignora volens compensare fructus, est compellendus

pellendus per censuras vt restituat pignora, & satisfaciat iuramento, & deinde vsurarius cogetur ad fructus, censuris.

Glos. Sufficiens cautio peti debet ab eo, qui vult parere mandato ecclesiæ. Item creditor nil vltra sortem petere potest. Item potest deducere expensas factas circa pignora. Item quando dicitur cautio, intelligitur simplex promissio: quando sufficiens, vel idonea cautio, intelligitur pignoratitia, vel fideiussoria. Item prius est soluenda tota pecunia, & non pars, si debitor totam confiteatur. an debitores isti ceciderint à suo iure, cum indixerint sibi ius. vide ibi.

886 *Cap. VIII.* Si vero.

IVramentum, cuius obseruatio non est contra salutem animæ, est seruandum, nisi fuerit metu factum: vt qui compulsus renunciauit beneficium cum iuramento non repetendi, debet seruare iuramentum, & ecclesia hoc præcipit, ne videatur dare materiam deierandi; solet tamen ecclesia, prius absoluere à iuramento, & deinde restituitur beneficium, vt ecclesiæ inseruiat.

Glos. Quando constat, quod quis vi iurauerit, si petat, absoluitur à iuramento; si non constat, non absoluitur. Item non tenet, quando directe vergit in interitum animæ, vel temporalis vitæ; secus si occasionaliter, tunc enim est seruandum. Item loquitur de iuramento assertorio, non de promissorio, si talis est metus, qui cadat in constantem virum. Secundum alios non obligat, vide. Item est dispensandum cum aliquo interdum in odium alterius.

887 *Cap. IX.* Ex rescripto.

ABbas, & Monachi, qui iurant, vel dant obsides pro pecunia accepta pro monasterio; item fideiussores sæculares, qui iurarunt, debent seruare iuramenta: alioquin interdicatur illis ingressus ecclesiæ, & in terra istorum inhibeantur diuina officia.

Glos. Propter debitum alicuius potest eorum terra interdici. Item Monachi possunt dare obsides, si ipsi libere voluerint, licet in homine libero non possit poni obligatio, vt ius constituatur in eo, tanquam in pignore, licet possit detineri, vt fiat quod conuenit, v.g. Pax non peccata. Item potest mulier excipere, quod non poterat fideiubere per sententiam communem, & legem Velleianam, si eam non renunciauit: sed hic punitur propter iuramentum.

888 *Cap. X.* Querelam.

QVi facit contra iuramentum suum, non ex necessitate, sed ex voluntate, est periurus: & si habeat ecclesiam sibi commissam, est ab ea remouendus, quia periurus non meretur regere ecclesiam.

Glos. Qui non soluit pensionem promissam per biennium, amittit detentionem rei, & res Domino restituitur, multo magis si iurauit. Item qui ex necessitate, vel iusta causa deserit iuramentum, non est periurus; qui ex voluntate, est periurus, & consequenter infamis, & priuandus ecclesia. Item quando agitur de pensione, vel etiam de crimine ciuiliter, si ille contra quem agitur est prælatus, non est priuandus; si est conductor vel vicarius, est priuandus, vbi de ipso probatur fraus.

889 *Cap. XI.* Tua nos. *Lucius iij.*

QVando, v.g. clerici iurant præsentanti augere solitam pensionem, vel dare aliud vltra pensionem, deinde Episcopo instituenti iurant soluere antiquam, & non augere solitam: est standum secundo iuramento, quod iuratur maiore ratione, & auctoritate Concilij Lateranensis, & non primo: sed Clerici periuri in primo sunt perpetuo excludendi ab ecclesiis.

Glos. Secundum præiudicat primo, tamen neutrum obseruandum, quia eijciuntur ab ecclesia. Item licet non fecissent secundum, tamen non erat seruandum primum, quia erat contrarium iuri, nam annua pensio augeri non debet; & sic fuit periurum, idest temerarium iuramentum, idest sine iustitia. Item iuramentum debet fieri saluo iure superioris, & canonico: sed si fiat, & res est licita, peccat mortaliter transgrediendo, si illicita, non peccat trangrediendo, licet peccauerit iurando. Item periurium dicitur etiam indiscretum iuramentum, quod si ex proposito, & deliberatione fiat, est peccatum mortale; si verò ex iocosa leuitate, vel incaute, est peccatum veniale.

890 *Cap. XII.* Cum quidam. *Vrban. iij.*

EPiscopus qui suum iuramentum transgreditur, est grauius puniendus quam alij, ratione dignitatis, & scandali.

Glos. Maior dignitas delinquentis magis grauat delinquentem, quia præsumitur quod maiori contemptu peccauit, & sic pœna grauiter danda. Item in pœna pecuniaria, maior plus punitur quam minor, nobilis quam ignobilis; in corporali contra. Item qui

iurat

iurat non loqui cum parentibus, vel coniunctis, iuramentum est illicitum, & peccat, & ei est iniungenda pœnitentia, & à iuramento absoluendus, idest ad cautelam.

891 *Cap. XIII.* Sicut ex litteris.

IVramentum Monachi non remanendi in claustro vlterius cum vno alio Monacho, non tenet, in quo professus fuerat, est enim temerarium, frangens veram fidem, & stabilitatem suæ professionis: ideo iniungatur pœnitentia, quæ terreat alios ne simile faciant.

Glos. Temerarium iuramentum non est seruandum, & factum contra professionem, vel stabilitatem non tenet. Item clericus non debet abiurare ecclesiam, sine licentia superioris. *cap. admonet de renunciat.*

892 *Cap. XIV.* Veritatis. *Clemens iij.*

QVando vassallus iurauit fidelitatem suo superiori, v.g. Papæ, eius filij tenentur seruare eandem fidelitatem, sed non iterum iurare successoribus Papæ, vel hæredibus superiorum.

Glos. Iuramentum fidelitatis transit ad successores. An hæres teneatur iurare fidelitatem successoribus Dominorum, Vide.

893 *Cap. XV.* Verum. *Cælestin. iij.*

QVi inuiti, vel metu pro vita, vel rebus seruandis iurant, sunt absoluendi à iuramento, alioquin tenentur illud seruare, si possunt sine interitu animæ: si non seruent, non sunt puniendi, tanquam de mortali crimine.

Glos. Iuramentum ex metu parum obligat, idest non dicitur simpliciter obligare ad mortale, licet re vera obliget, & de iure absoluuntur saltem de facto.

894 *Cap. XVI.* Veniens. *Innoc. iij.*

IVramentum si sit contrarium alteri iuramento licite facto, non est seruandum: vt qui iurat stare mandato alicuius, v.g pro componenda pace, & ille mandat aliquid, quod sit contra obligationem, vel aliud iuramentum factum, non tenetur, quia tunc etiam si præsciuisset, non iurasset.

Glos. Iuramenta sunt interpretanda secundum mentem iurantis, nec extenduntur ad incognita, v.g. ad cedendum bonis: & qui hoc mandaret post iuramentum, non est ei obediendum, quia mandatum debet esse idoneum non iniquum. Item iuramentum intelligendum est modo ciuili: vt si liberta iurat non nubere, est intel-

ligendum de nuptijs illicitis. Item si mandatum non repugnat priori iuramento, si potest seruari sine interitu animæ, est seruandum, & si enormiter lædat temporalia, obtineat relaxationem.

895 *Cap. XVII.* Breui.

QVi iurauit defendere, & seruare iura ecclesiæ, & necessitate imminente, requisitus vt seruet, appellat, cum re vera posset defendere, est periurus non obstante appellatione.

Glos. Appellatio frustatoria non excusat à periurio, vel ab eo quod facere tenetur. Item necessitas, imo difficultas excusat à periurio, non tamen à pœna conuentionali. Item an teneatur non requisitus defendere ecclesiam? Respondetur non. Item qui iurauit defendere ecclesiam, si ecclesia non seruat illi fidem in suis necessitatibus, vel si subtraxit ei salarium conuentum, vel si remordet eum conscientia, quod ecclesia habeat malam causam, non tenetur in conscientia illam iuuare, licet ecclesia habeat eum pro periuro.

896 *Cap. XVIII.* Quanto.

QVi scienter iurat rem illicitam, peccat, & iuramentum non tenet, quia non debet esse vinculum iniquitatis: qui putans rem esse licitam, iurat, debet seruare iuramentum in eo, in quo licitè seruari potest, quia fuit licitum, ideo est seruandum: si vero rem putans illicitam iurauit, & est res licita, pœniteat de peccato, & seruet iuramentum

Glos. Iuramentum aliquando solum est interpretandum, aliquando dispensandum, & illicitum non est seruandum. Item Papa ex iusta causa potest absoluere à iuramento, vt propter scandalum intollerabile, præcedente tamen claue discretionis, sicut potest dispensare in voto, vel commutare in melius: sed si in voto vel iuramento licito non subest causa, Papa non potest commutare, & sic intelliguntur iura. Item qui falsat monetam Principis, exuritur; qui ciuitatis punitur capite; qui radit, vel tangit nummos, datur ad bestias; & quilibet tenetur accusare in hoc crimine: & ille in cuius domo falsa moneta cuditur, punitur, licet ignoret. vide extr. Pij V. cum nihil magis clarum. Item non semper datur fides inscriptioni monetariæ, sicut nec sepulchri.

897 *Cap. XIX.* Venientes.

IVramentum factum contra ius superioris, v.g. non obstante appellatione ad superiorem, sententia exequatur, non valet, quia

quia semper intelligitur exceptum ius: & si contra factum fuerit, executio est reuocanda, sub pœna censuræ.

Glos. Pendente appellatione, iudex nihil debet innouare, nec est exequenda sententia diffinitiua, à qua est appellatum; & si fiat, executio est reuocanda. Item est iudicandum secundum consuetudinem loci, quia consuetudo præiudicat iuri. *de consuet. cap. penult.* An si quis est receptus in canonicum, & iurat obseruare laudabilem consuetudinem ecclesiæ suæ, quæ est, v.g. vt resideat per sex menses; & antequam fiat, supplicat Papæ, vt ipsum absoluat: an sit periurus? videtur non, per hunc textum: videtur sic, *de transact. cap. si quis maior*. Responde, si non petijsset. Item an possit facere legem municipalem contra ius commune, & an litigantes possint renunciare appellationi; An iudex, ad quem possit irritare quicquid factum est post appellationem, antequam cognoscat de appellatione? Respondetur, si est de sententia difinitiua, potest; si de grauamine, non.

898 *Cap. XX.* Ad nostram.

QVi iurauit nec per se nec per alium repetere vsuras, quas soluit, potest quærere alia via, vt denunciando iudici; & iudex ex officio inquirat, & cogat.

Glos. Quando per medium denunciationis, vel inquisitionis proceditur, possunt recipi testes, lite non contestata. Item qui iurauit non agere, potest denunciare. Quid si iurauit non denunciare? Respondetur id esse illicitum, quia quilibet ad hoc tenetur. Quid si iurauit soluere nec repetere, nec recipere oblatū Respondetur, fiat de illa eleemosina, vel hoc idē denūciet ecclesiæ Nota: qui iurauit dare aliquid, postquā dederit potest illud repetere non expectato nouo iure. Item qui abiurat renunciare beneficium, potest illud repetere ex noua causa superueniente. *de renunciat. cap. cum inter*; si vero ius nouum non est acquisitum mihi, possum agere vt prius remittatur mihi iuramentum & deinde possum secure repetere.

899 *Cap. XXI.* Ad nostram.

IVramentum simpliciter, & in genere factum intelligitur de his rebus, quæ iuri non contradicunt: v.g. qui iurat in omni causa seruare ordinem iudiciarium, intelligitur quando talis ordo seruandus est, & non quando ius aliter disponit: v.g. in manifestis, & notorijs non est opus accusatione nec subtilitate ordinis iuris, secundum ius canonicum; & in hoc iuramentū non seruādum est: alioquin si intēdebat facere contra ius canonicum, erat periurium.

Glos. Iuramentum factum contra canones non tenet: & qui iurat contra ius, est periurus. Item iuramentum est seruandum vel directe, vel per interpretationem, & in dubijs benigne est interpretandum. Item in notorijs per omnia, ordo iudiciarius non est seruandus. Item iuramenta, & promissa, non extenduntur, nisi ad ea de quibus est cogitatum. An ordo iudiciarius possit seruari super peccato in notorijs? videtur sic, *cap. bene de elect.* & sic est licitum iurare. Respondetur, sed iurare in omni notorio est illicitum. Item qui habet concubinam, & iurat eam amplius non cognoscere, si illam ducit in vxorem, potest eam cognoscere, non obstante iuramento.

899 *Cap. XXII.* Ea te.

QVi tenetur vni iurare fidelitatem, & iurat alteri, si hoc iuramentum est contrarium debito iuramento, est illicitum, & non tenet, & sic tenetur iurare cui debet: nam debitum quod soluitur cui non debetur, non remittitur, sed augetur.

Glos. Quando duo iuramenta sunt contraria, videndum est quod magis est licitum, & illud seruetur. Item qui soluit vni, quod alteri debetur, non liberatur à debito.

900 *Cap. XXIII.* Quintauallis.

QVi iurauit stare mãdatis alicuius, & ille mandat illicitum, v.g. vt exhæredet filios, remoueat à se vxorem, non tenetur obedire nisi reuocet mandatum, licet licitum fuerit iuramentum.

Glos. Cum quis simpliciter iurat stare mandato alicuius, intelligitur si sit licitum, sed non est licitum exheredare filios, nisi in casibus à iure permissis; vt si iniuriat, si percutit, si accusat de crimine, si cum maleficis, si insidiatur vitam, si coit cum vxore, vel concubina patris, si est dilapidator, si non sit fideiussor parentis, si prohibet illum testari, si perseuerat inter mimos, si filia est luxuriosa, si non curat furiosos parentes, vel in carcere. De his vide *Iasonem in authent. non licet, C. de lib. præt. num.* 78.

901 *Cap. XXIV.* Tua nos.

QVando vir, & vxor se separant à thoro, & mutua cohabitatione, & iurant se nunquam petituros; si alter deinde non vult continere, mulier est cogenda censuris, vt redeat ad virum, non obstante iuramento, quia fuit temerarium, & adulterium.

Glos. Iuramentum non præiudicat matrimonio, sed matrimonium iuramento. *cap. pen. de spons.* & in hoc casu vxor debet redire ad vi-

ad iurum, propria auctoritate, & non expectare sententiam. An si iurassent continentiam vlterius, possent redire? Respondetur non, vide *glos. in cap. dudum de conuers. coniug.*

902 *Cap. XXV.* Quemadmodum.

QVi contraxit matrimonium cum muliere & iurauit illam apud se semper retinere, propter fornicationem præcedentem non potest illam dimittere, sed propter sequentem potest, non obstante iuramento, quia intelligebatur illa conditio, idest si non peccet contra legem coniugij. Item si iurauit aliquam ducere, non est consideranda præcedens fornicatio; sed propter subsequentem potest illam non ducere, quia intelligebatur hæc conditio, idest si non facit contra legem sponsalium. Item si post sponsalia, & iuramentum mulier fit leprosa, vel paralitica, vel amiserit nasum, vel oculos, seu aliquid turpius ei euenerit, vir non tenetur illam ducere, sed ductam non potest dimittere. Item si vir iurat, quod de nullo crimine vxorem accusabit, iuramentum est temerarium, quia in casu fidelitatis tenetur de iure. si iurat non accusare de adulterio, iuramentum tenet, & non potest accusare, ad diuortium faciendum, sed potest, & debet denunciare ecclesiæ ad correctionem vxoris.

Glos. In iuramentis intelliguntur hæ condiciones, si Deo placet, si Papæ, si res in eodem statu manserit, si seruabitur fides, si sit honesta & possibilis, si mihi numeraueris pecuniam, si nuptiæ fuerint secutæ, si non immoderatum quid præcipiatur, si aderit facultas, vel commoditas, & similes. Sed speciales condiciones non intelliguntur nisi explicentur, etiam si mente concipiantur, nisi lex illas præcipiat, quia tunc habentur pro expressis. Item prædicta sunt vera in iuramentis promissorijs, quia in assertorijs nulla intelligitur conditio, nec propter præfatas conditiones iuramentum promissorium vocabitur conditionale. Item est contrahendum cum sponsa, quæ euasit pauperior, sed non deformior, idest sine naso, vel oculis, non obstante iuramento. An si sponsa de futuro iurata opprimatur violenter, sit seruandum iuramentum, idest contrahendum? videtur sic. Respondetur non, & sic punitur sine culpa, non sine causa. Item vir semel approbatam vxorem non potest reprobare, ex causa præcedente matrimonium vel sponsalia. Item qui non potest accusare, potest denunciare. Item pactum non accusandi aliquem de crimine non iam perpetrato non valet, quia contra bonum commune; de iam perpetrato crimine, potest valere.

Cap.

903 *Cap. XXVI.* Et si Christus.

MOnachi, & clerici, deficientibus alijs testibus, possunt iurare pro monasterijs suis. Item iuramentum cum veritate, iustitia, & iudicio est licitum, quia non est malum, & ideo prohibitum, sed est bonum, & ex causa prohibitum, vt crimen: & exponitur illud Matth. scilicet. *Nolite iurare, & quod amplius est, à malo est,* idest non culpæ, sed pœnæ.

Glos. Iudex in vltima die suæ iurisdictionis non debet iudicare, si tamen iudicat, sententia tenet. Item cessante causa, cessat effectus: quomodo intelligatur, vide.

904 *Cap. XXVII.* Sicut nostris.

IVramenta, quæ sunt contra vtilitatem ecclesiasticam, non tenent sed sunt periuria, & pro his impo nenda est pœnitentia.

Glos. Existens in p. m potest eligi, & potest accusare. Item quæ crimina inducant depositionem, vide *Glos. cap. ex tenore, & cap. vlt. de tempore ord.* Item vacante ecclesia, non possunt canonici disponere de rebus Episcopatus in præiudicium ipsius, nec minuere redditus, imò nec potest ipse Episcopus; & quicquid contra factum est, reuocandum est. Item quando quis canonicus consentit contra ecclesiam, postea Episcopus factus potest illa reuocare.

905 *Cap. XXVIII.* Cum contingat.

QVando quis in matrimonio consentit in alienationibus rerum dotalium, vel datarum vxori propter nuptias, & iurat non contrauenire; hoc factum licet sit per leges prohibitum, tamen vxor tenetur seruare iuramentum, si iurauit sine vi, & dolo, sed sponte, & non redundat in alterius præiudicium, & seruatum non est contra salutem animæ.

Glos. An iuramentum præstitum contra id, quod leges disponunt, obliget in conscientia, vide.

906 *Cap. XXIX.* Sicut.

QVi bello iniusto occupauit terram alienam, cogitur illam restituere, & soluere à iuramento illos, quos forte iuramento constrinxit; & si renuat, est cogendus excommunicatione & eius terra est supponenda. Item qui iurauit facere aliquid alicui promittenti etiam aliud, vt non nocere; si ista pars non obseruat promissum, altera pars non tenetur ad iuramentum.

Glos. Sequitur quod si bellum erit iustum, res occupata erit occupantis

cupantis; non tenetur quis seruare iuramentum ei, qui non seruat eidem iuramentum.

907 *Cap. XXX.* Nimis de iure.

CLerici qui non habent temporalia à laicis, non debent iurare fidelitatem laicis, nec laici hoc exigere.

908 *Cap. XXXI.* Petitio vestra. *Honor. iij.*

QVando extorquetur iuramentum à clericis, quo iurant se non acturos contra Principem; hoc non obstante clerici possunt agere contra Principem pro iuribus, & honoribus ecclesiæ, & pro proprijs defendendis, non tamen possunt nocere, vel machinari contra personam Principis, vel amissionem Principatus.

Glos. Iuramentum potest obligare in vno, & non in alio casu, licet sit extortum. Item quando de iuramento dubitatur declaratio, seu interpretatio, vel an sit licitum vel non, spectant ad Papam, *cap. constit. de rescript. cap. venerabili de elect.* Item ex iuramento etiam certo nemo tenetur contra se, vel ecclesiam suam, vel suam communitatem. Item in sermone generali persona loquens intelligitur excepta; vt, si promisi dare tibi meum castrum contra omnem hominem, non intelligitur contra me.

909 *Cap. XXXII.* Ex litteris.

QVando agitur de vsuris, iudex potest accipere iuramentum, à partibus, cogendo eas censuris, si aliter non probatur, quod petitur appellatione remota.

Glos. Hoc iuramentum de dicenda veritate prestatur solum in causis spiritualibus. *de elect. cap. dudum*, & petitur tantum, de eo quod scitur, & dicitur scio, vel nescio: sed iuramentum de calumnia non præstatur in spiritualibus, & de eo quod credit, vel existimat: primum præstat etiam Prælatus. Item diuulgatio, vel fama, vel esse quasi notorium non sufficit ad probandum, sed cum alijs adminiculis sufficit; sed ad impediendum matrimonium sufficit sola fama. Item quicquid percipitur de rebus pignoratis, debet computari in sortem, & quod superest est restituendum deductis expensis. Item iurare simul de calumnia, & de veritate non est contra ordinem iuris.

910 *Cap. XXXIII.* Intellecto.

QVi est in dignitate, etiam laica, vt Rex, non potest alienare in præiudicium sui Regni, seu dignitatis & honoris sui, & si alie-

si alienando, iurauit non reuocare alienationem, iuramentum non tenet, & potest reuocare, maxime si iurauit de non alienando in sua coronatione.

Glos. Episcopi in sua consecratione iurant non alienare iura sui Episcopatus, & quod de nouo non infeudabunt. Item in malis promissis licet rescindere fidem.

911 *Cap. XXXIV.* Mulier.

SI mulier iurat coram iudice, aliquem talem esse suum maritum, & non probat, quod iurat, vnde iudex absoluit virum; tamen non debet dare licentiam mulieri, vt nubat alteri, ne videatur auctor periurij, nec debet prohibere hoc, ne forte impediat legitimum matrimonium, sed derelinquat hoc conscientiæ mulieris.

Glos. Quid si habet vnum bonum testem, an ei esset deferendum iuramentum? videtur sic. Respondetur non. Item ecclesia tali mulieri debet persuadere, vt non faciat contra iuramentum, sed non debet expresse prohibere, etiam si habeat præsumptionem contrariam, quia vna non præponderat alteri, licet in aliquo casu præponderet, & tunc etiam taceat.

912 *Cap. XXXV.* Clericus.

QVi iurat seruare statuta facta iam, deinde per idem iuramentum promisit seruare alia statuta postea facta vel facienda, licet ex promissione teneatur ad hæc, non tamen ex iuramento.

Glos. Quia super his non fuit iuratum. Item maior pœna debetur facienti contra iuramentum, quam contra fidem.

913 *Cap. XXXVI.* Iuramentum.

NEmo sine iusta causa potest recusare iuramentum delatum à iudice; sed si detur à parte, potest recusare. Item in actione famosa, non licet reo referre iuramentum. Item si actor nihil probat, reus libere dimittitur; si est præsumptio pro actore, defertur iuramentum reo ad ostendendam suam innocentiam: & si iudex consideratis circumstantijs personarum, & causæ, iudicet deferendum iuramentum actori, det illi, non reo.

Glos. Iuramentum triplex: primum voluntarium, idest quod pars parti defert extra iudicium; & ad hoc non potest cogi, idest non refertur. Secundum necessarium, quod defertur à iudice in defectu probationis, & sine iusta causa non potest reuocari nec referri. Tertium iudiciale, idest quod pars defert parti in iudicio, quod

sub-

ſubire non eſt neceſſe, vt dicitur in textu. Sed ſi reus refert iuramentum actori, neceſſe habet iurare; aliter Prætor negabit actionem actori. Item nota: propter nouas probationes poteſt recedi à iuramento. Item iuramentum defertur, habito reſpectu ad honeſtatem perſonæ, & qualitatem cauſæ.

IN SEXTO LIBER II.

DE IVREIVRANDO. Tit. XI.

914 *Cap.* Contingit. *Nicolaus iij.*

TAm Eccleſiaſtici quam laici, qui recipiuntur in titulis, ſi conſuetudo vel ſtatutum cogat eos iurare, ſe ſeruaturos inuiolabiliter ſtatuta, & conſuetudines ſcriptas, & non ſcriptas locorum: ſi ſciant in prædictis ſtatutis, vel conſuetudinibus contineri aliqua illicita, impoſſibilia vel obuiantia libertati Eccleſiaſticæ, non præſtent iuramentum de præcepto Papæ. Et ſi quis iam iurauit, vel ex ignorantia iurat, eius iuramentum non extenditur ad illicita, impoſſibilia, vel obuiantia libertati Eccleſiaſticæ, ſed ad alia: & ſic declarat Papa.

Gloſ. Qui iurat ſeruare ſtatuta ſolũ edita, non tenetur ad edenda. Item qui faciunt ſtatuta contra libertatem Eccleſiaſticam, intra duos menſes faciant illa delere: & qui faciunt ſeruare, ſunt excommunicati, *c. nouerint de ſent. excommun.* Item ad impoſſibilia tum de iure, tum de facto nemo poteſt obligari.

915 *Cap.* Licet mulieres. *Bonif. viij.*

IVdex Eccleſiaſticus ordinarius poteſt & debet compellere iudicem laicum, vt ſeruet ius canonicum, quamuis ſit contra ius ciuile, quando interuenit peccatum: v. g. ſi vir vendat rem dotis, vel datum propter nuptias, & vxor conſentit, & iurat non contrauenire huic alienationi, & hoc ſine vi & dolo; de iure ciuili poteſt contrauenire, de iure canonico non poteſt: in hoc cauſa Iudex eſt compellendus, vt ſeruet ius canonicum.

Gloſ. In obſeruantia iuramenti attenditur diſpoſitio iuris canonici, non ciuilis. Item iuramentum metu extortum non obligat, *c. Abbas de his quæ vi metuſue.* Item ſi mulier iurauit, non alienare dotem, nec conſentire, niſi ex cauſa rationabili & auctorizante iudice: alioquin ſi conſentiat ſe reuocaturam, pro poſſe; deinde non auctori-

auctorizante iudice consentit vel iurat non contrauenire: an secundum præiudicet primo? vide.

916 *Cap.* Cum in positionibus.

SVpposito, ex *c. querelam, de iure iuran.* quod periurus sit repellendus à beneficio obtento, vel obtinendo, hic tex. dicit: Si electus ad Prælaturam, ante confirmationem, orta lite iurat de calumnia, & postea ponit duas positiones, inter se contrarias manifestè, seu respondet oppositionibus obiectis à parte contraria, duas responsiones inter se contrarias; nisi iusta causa, & rationabilis excuset, electus eijcitur ab electione, & beneficio vt periurus. Item eodem modo reijcitur, si illius procurator eius nomine, huiusmodi contrarias positiones, vel responsiones fecerit, electo expresse mandante, vel sciente, & ratum habente, seu non recusante.

Glos. Positiones sunt faciendæ post iuramentum: & ponens dicitur confiteri id quod ponit. Item si procurator habet mandatum in communi, & expresse dicit contrarium, electus non eijcitur. An positio vel responsio reuocari possit? videtur non: respondetur in continenti sic.

CLEMENTIN. LIB. II.

DE IVREIVRANDO. Tit. IX.

917 *Cap.* Romani.

DEclarat quod Reges Romanorum, qui succedunt Imperio, iurant fidelitatem Ecclesiæ Romanæ, vt fuit iuramentum Henrici, & successorum.

DECRETALIVM LIBER II.

DE EXCEPTIONIBVS. Tit. XXV.

918 *Cap. I.* Dentiq. *Cælestin. iij.*

POtest fieri exceptio de crimine contra testes: & si de eo fuerunt iam conuicti, vel confessi, vel nunc crimen probatur, reijciuntur à testificando, quia testes debent esse absque infamia,

mia; vel suspicione, vel manifesta macula. tamen pro illo crimine probato non puniuntur, quia non precessit accusatio, sed sola exceptio: sed satis est si repellantur, præsertim si crimen non videtur tangere causam, de qua agitur. vide *de testibus. c. testimonium* & *cap. præsentium.*

Glos. Nemo debet puniri sine accusatione. Item secundum leges testis non repellitur, ob crimen obiectum, nisi fuisset condemnatus, & factus infamis; secundum Canones, sufficit si probetur criminosus. Item in ciuili si fuit emendatus, secus in criminali. Item si de falso ante sententiam fuerit obiectum, & non probatum; post sententiam apponi non potest, nisi fuerit appellatum, quia tunc potest opponi, cum sit exceptio peremptoria in obliquo. Item si crimen obiectum contingit causam, punitur: vt si vxor accusatur de adulterio à viro, & ipsa excipit de lenocinio, vir punitur. Item si testis in testificando vacillat, vel falsum dixerit, punitur.

919 *Cap. II.* A nobis ex parte. *Innoc. iij.*

QVando Martinus, qui communicauit scienter cum Titio excommunicato in maiori, & accusatus à Titio illum excipit tanquam excommunicatum: si Titius iterum excipiat contra Martinum, quia communicauit cum illo, prima exceptio valet, quia excommunicatus maior non potest accusare; secunda non valet, quia excommunicatus in minori tantum prohibetur à sacramentis.

Glos. An quis possit excipere contra eum, cum quo communicauit, vide in glos fin.

920 *Cap. III.* Cum ecclesiasticæ.

QVi habet plura beneficia, non potest opponere contra alium de pluralitate beneficiorum, præsertim si est in possessione.

Glos. Qui simili impedimēto laborat, non potest excipere cōtra alium de eodem impedimento. Item exceptio, exceptione, sine replicatione tollitur. Item si capitulum ageret contra aliquem electum canonicum, qui de capitulo non habent plura beneficia, possunt excipere de pluralitate beneficiorum, licet prius aliquem admiserint, cum pluralitate beneficiorum.

921 *Cap. IV.* Pastoralis.

IVdex assignet certum tempus ad probandum omnes exceptiones dilatorias, quo transacto partes nō possint amplius proponere, nisi prius illas fuerint protestatæ, vel aliqua de nouo competēs orta fuerit; vel si iurent postmodum peruenisse ad notitiam suam.

Glos.

Glos. Per iuramentum probatur conſcientia alicuius, & in hoc caſu ſtatur iuramento in præiudicium partis, vel alterius. Item protestatione debet, quis ſpecificare exceptiones quas reſeruat, & non ſufficit in genere. Item ſi accuſator non proſequitur ſuam accuſationem intra terminum, deinde non auditur, vt dixit de exceptione. Item àn qui poſt terminum vult excipere de conſanguinitate, vel affinitate, vaſſallo, iurans ſe tunc ſciuiſſe? Aliqui reſpondent ſic. Sed gloſſa ait, quod videtur non, quia de his debuit inquirere ab initio: & hic textus loquitur de exceptionibus facti, non iuris.

922 Cap. V. Cum inter.

EXcommunicatus poteſt appellare, & facere omnem legitimam defenſionem in iudicio, ſed non poteſt agere, nec reconuenire; & in hoc non attenditur fauor excommunicati, ſed æquitas iudicij.

Gloſ. Excommunicatus poteſt excipere, & defendere ſe in iudicio. *infra c. dilectum. c. dilecta. c. ſignificauerunt, c. vlt.* & tali caſu conceditur iurare iuramento calumniæ, & omnes poſſunt participare cum eo in cauſa litis; quia talis communio eſt potius ad damnum, quam ad commodum. Item excommunicatus iniuſtè, ſi cogatur poteſt nolle reſpondere, niſi ei reſtituatur communio hominum, iniuſte ablata. Item libertus, qui alias patronum accuſare non poteſt, ſi accuſetur à patrono, poteſt retorquere accuſationem in patronum. Item ſententia lata à Iudice ſuſpecto, ſi detegitur ſuſpicio, poteſt retractari. Item reſcriptum quod de conſcientia Papæ non emanat, habetur ſuſpectum. *de reſcript. c. cum dilect.* Item ſi quid alicui conceditur quæ ſunt eiuſdem rationis, ſunt omnia concedenda. Item excommunicatus non poteſt conuenire, nec recompenſare, quia tunc ageret.

923 Cap. VI. Cum venerabilis.

SI reus, à quo v. g. res Eccleſiæ petitur, excipiat de permutatione ipſius rei facta cum actore, per hoc non confitetur actorem fuiſſe Dominum ipſius rei, nec fatetur de intentione aduerſarij. Item exceptio falſitatis inſtrumenti poteſt obijci non ſolum ante, ſed etiam poſt ſententiam latam, & ſententia lata prætextu falſi inſtrumenti, in ſpatio viginti annorum comperta veritate, initatur. Item delictum perſonæ non debet redundare in damnum Eccleſiæ.

Gloſ. Eo ipſo quod Eccleſia eſt ſita in diœceſi Epiſcopi, eſt ſubiecta Epiſcopo in omnibus pertinentibus ad ius Epiſcopale, ſed non in temporalibus, niſi probetur. Item caſum huius textus vide in

c. præ-

c. praeterea de transact. Item quæ sunt actiones stricti iuris, & quæ bonæ fidei. Item an qui excipit, fateatur de intentione partis aduersæ; id est, an qui fatetur permutationem, fateatur etiam fuisse factum de meo suum. Item an sententia data per instrumentum falsum teneat, vel sit nulla ipso iure dum nescitur.

924 *Cap. VII.* Olim. *Honor. iij.*

IVdex post appellationem datam, si causa propter quam fuit appellatum, probatur vera, v. g. quia iudex cognoscit causam, trahendo reum vltra duas dictas à sua diœcesi, declarabit appellationem esse legitimam, sed supersedeat super causa principali, vel negocio. vide *c. non nulli, de rescript.*

Glos. An appellans à grauamine ante definitiuam sententiam teneatur probare ante iudicem appellationis, causam appellantis fuisse veram, *c. ex parte aduer. de test.* vel sufficiat probare quod iudex inferior noluit admittere exceptionem, *c. cum causa, de officio delegat.* & *c. debet, c. dilecto de appellat.* Respondetur, si quis proponat causam probabilem, quam dicit se probaturum, si reijcitur à iudice, & propter hoc appellat, non tenetur coram iudice appellationis probare quod fuerit eiectus: si non se obtulit probaturum causam, quam proposuit, & appellans debet coram iudice appellationis probare causam, alioquin remittitur ad primum iudicem. *c. interposita, de appellat.* & textus contrarij explicantur.

925 *Cap. VIII.* Dilecti.

EXcommunicati, & periuri, v. g. canonici, possunt opponere exceptionem excommunicationis, & periurij contra aliquem in defensionem suæ Ecclesiæ; & ille non potest replicare exceptionem excommunicationis, & periurij contra canonicos, ne excipiant contra ipsos; & quicquid factum erit post appellationem, irritatur.

Glos. Excommunicatus potest se & Ecclesiam suam defendere, non tamen potest agere, *c. cum inter. c. proximo.* Item non debet quis admitti ad probandum, quo probato non prodest. An contra exceptionem doli detur replicatio de dolo, videtur sic, & non? respondetur, si alter replicando non portat commodum, non datur. exempla vide ibi.

926 *Cap. IX.* Apostolicæ. *Greg. ix.*

QVando quis agit pro ordinatione Ecclesiæ, & excipitur contra ipsum, quod sit suspensus, & amotus à beneficio, & agens

vult probare hanc sententiam esse falsam, est ad cautelam absoluendus, ne retardetur ordinatio Ecclesiæ.

Glos. Suspensus ab officio, & beneficio, non admittitur ad agendum pro ordine Ecclesiæ & pro sua electione, licet eligatur, si est suspensus à iudice: nam si est suspensus à canone, potest. *de cleric. excomm. in c. vltimo*, & *de elect. c. illa*. Item non possunt agere pro re spirituali, sed bene possunt agere pro alijs negocijs suis, & suorum, quia non sunt priuati communione hominum, sed sacramentorum.

927 *Cap. X.* Dilectæ in Christo.

RE scriptum impetratum à sede Apostolica, in quo fit mentio de excommunicatione lata post legitimam appellationem, valet: & si quid contra ipsum de excommunicatione excipiatur non repellitur ab executione appellationis.

Glos. Excommunicatus potest appellare de grauamine expresso coram iudice vel causa probabili allegata, & potest appellationem prosequi.

928 *Cap. XI.* Significauerunt.

QVilibet etiam principalis actor non debet excludi à prosequutione appellationis, etiam si ei opponatur excommunicatio, quia excommunicato conceditur omnij legitima defensio in iudicio.

Glos. Ab eadem sententia potest vtraq. pars appellare; secundum diuersa cap. quæ in ea sunt. Item exceptio excommunicationis admittitur in qualibet parte litis; & si post rem iudicatam probetur excommunicatio, impeditur executio sententiæ.

929 *Cap. XII.* Exceptionem.

IN dilatoris proponendis, reus semper, & in qualibet parte litis, potest opponere excommunicationis exceptionem; & si malitiose hanc omisit, vt defatiget actorem sumptibus, & laboribus, condemnabitur ad expensas legitimas; si vero actor erat publice excommunicatus, debet eum iudex repellere, etiam si reus non excipiat.

Glos. Exceptio excommunicationis habet hoc speciale, vt quandocunq. ponatur, vt etiam exceptio falsi procuratoris. Item si malitiose omittatur, condemnabitur reus in expensis, & processus non tenet per hunc textum; sed per decret. nouam processus factus tenet, & in sequentibus actor non auditur, nisi fuerit absolutus.

Item iudex publicè excommunicatus, quicquid facit non tenet, licet ab alijs ignoretur.

930 Cap. XIII. Aduersario.

SI tempore litis motæ, aduersarius desinit sine dolo rem possidere, & absoluitur à iudice, si deinde rem possideat, iterum exceptio rei iudicatæ ei non nocet.

Glos. Si mota lite, cum res iudicatur, reus sine dolo amisit possessionem, est absoluendus, quis probabit dolum?

931 Cap. XIV. Venerabilem.

EXcommunicatus potest appellare: & si obtineat rescriptum super prosequutione appellationis, valet, licet in eo nulla fiat mentio de excommunicatione.

IN SEXTO LIBER II.

DE EXCEPTIONIBVS. Tit. XII.

932 Cap. Pia. *Innoc. iv.*

QVi excipit de excommunicatione contra actorem, debet in publica notione exprimere speciem excommunicatoris, & nomen excommunicatoris. Item debet apertissimis documentis infra octo dies, non computando diem in quo excipit, probare hanc exceptionem: quam si non probauerit, iudex condẽnabit illum in expensis, quas actor fecit his diebus, & procedat in causa. Si vero postea durante iudicio interum excipiatur de eadem excommunicatione, vel de alia, & probetur; actor in sequentibus excludatur donec absoluatur, sed prius acta tenent. Item vltra duas vices, hæc exceptio excommunicationis, non amplius opponatur, nisi emergat noua excommunicatio, vel superuenerit noua, & euidens probatio, de antiqua. Item si talis exceptio proponatur post rem iudicatam, tantum impediet executionem, sed sententia habebit suum robur. Item si actor sit publicè excommunicatus, iudex quandocunque ex officio suo illum repellat, etiam si reus de hoc non excipiat.

Glos. Exceptiones dilatoriæ, idest, quæ proponuntur ad differendum processum, debent proponi ante litis contestationem. *cap. 1. de litis contest. in 6.* Excipitur hæc excommunicationis. Item apertissima

tissima argumenta ad probandum sunt testes, & scripturæ. Item hic text. habet locum, quando exceptio habet vim dilatoriam, & non quando habet vim probatoriam: v.g. si dicet, electus est excommunicatus, vel ab excommunicato electus. nec habet locum quando excipitur de excommunicatione iudicis, vel testis, vel impetrantis rescriptum. Item exprimi debet species excommunicationis, idest, quod sit maior.

933 *Cap.* Cum quidam. *Bonifac. c. iij.*

IVdex sæcularis, quando coram se agitur causa, & excipitur de re per iudicem ecclesiasticum iudicata, debet admittere talem exceptionem, alioquin cogatur ab ordinario. Similiter iudex ecclesiasticus admittet exceptionem de re per iudicem laicum iudicata, si non est contra animam, alioquin castigetur à suo superiore.

Glos. Iudex ecclesiasticus de iure cognoscit inter laicos, vbi habet dominium temporale. Item in causis spiritualibus, & matrimonialibus. Item in criminibus ecclesiasticis. Item si delegatur per iudicem sæcularem causa. Item in laicos, qui sunt de familia ecclesiæ. Nota: hæc quæ sunt de iure, possunt esse de priuilegio concessa ab eo, qui concedere potest. Item nota: iudex ecclesiasticus potest compellere iudicem sæcularem in casibus, in quibus derogaret iurisdictioni ecclesiasticæ. Item lata ab vno iudice debet seruari à quolibet alio, cuiuscunque iurisdictionis, siue sæcularis siue ecclesiasticæ.

CLEMENTIN. LIB. II.

DE EXCEPTIONIBVS. Tit. XXVI.

934 *Cap.* Excommunicationis.

LIcet lis fuerit contestata, & iudex præfixerit terminum peremptorium, ad probandas exceptiones dilatorias, & declinatorias, & terminus fuerit transactus; tamen his non obstantibus, exceptio excommunicationis potest semper opponi, quia est priuilegiata, seruata tamen constitutione Pia supra posita.

Glos. Multa dicit de exceptionibus. Vide ibi.

D E-

DECRETALIVM LIBER II.

DE PRÆSCRIPTIONIBVS: Tit. XXVI.

935 *Cap. I.* Placuit.

QVi conuertit aliquem locum ad fidem, vel vnitatem catholicam, & per triennium illum retinet, nemine repetente, cum per triennium fuerit Episcopus catholicus in ecclesia ad quam alioquin spectaret, vlterius ab eo non repetatur; si vero in illa non erat Episcopus, vel erat hæreticus, non currit præscriptio, sed postquam est creatus Episcopus, vel conuersus, currit, & incipit triennium, intra quod, si non repetit, amittit ius.

Glos. Cap. placuit 16. *quæst.* 7. prius admonendus est Episcopus, vt conuertat suum populum; & si intra sex menses non facit, deinde currit triennium. Item vacante ecclesia, non currit præscriptio, licet sit œconomus; Item quando Episcopus est hæreticus, dicitur ecclesia vacare.

936 *Cap. II.* Nihil.

PAtientia, & taciturnitas Prælati, v. g. ad vitanda scandala, vel scriptum fori pro re ecclesiastica recuperanda, non præiudicat successoribus, quin res pauperum, id est bona ecclesiæ recuperent.

Glos. Propter scandalum est desistendum à iure suo. Item bona ecclesiæ sunt pauperum, *vt Patrimonium Petri*. Item de re inuasa non currit præscriptio: in aliquibus autem rebus currit præscriptio, & taciturnitas Prælati præiudicat, excipitur res ecclesiæ Romanæ per 100. annos.

937 *Cap. III.* Sanctorum. *Greg.*

ECclesia si bona fide pacifice possideat possessiones per triginta annos absque interruptione proclamationis synodalis, præscribit, & sunt ecclesiæ.

Glos. Si possessiones sunt alterius ecclesiæ, non præscribit ex cap. sequenti: quia vna ecclesia non præscribit contra aliam nisi per quadraginta annos. si sunt alicuius sæcularis, præscribit, & hic textus habet locum.

638 *Cap. IV.* De quarta. *Alex. iij.*

CLericus contra Episcopum per spatium quadraginta annorum potest præscribere de quarta decimæ, vel oblationis defunctorum, quæ pertinebant ad Episcopum: & hoc debet fieri spatio quadraginta annorum, in quibus sedes Episcopalis non debet vacare Episcopo, qui causam defendat. Item ecclesia Romana non admittit contra ecclesiam præscriptionem triginta annorum.

Glos. Hodie de iure communi præscriptio ecclesiæ contra ecclesiam debet esse quadraginta annorum, & non sufficit triginta. Item requiritur bona fides, & titulus.

939 *Cap. V.* Vigilanti.

IN iure canonico possessor malæ fidei nunquam præscribit, secus in ciuili: & præscriptio fuit introducta contra desides, & contemptores.

Glos. In iure canonico, si ante impletam præscriptionem quis habeat malam fidem, non præscribit: si mala fides post aduenit, an teneatur in conscientia, res est dubia. Respondetur non, quia iura faciunt esse mea, & possunt mihi dare rem alienam, & sic sum tutus. Item in iure ciuili, ad præscribendum requiruntur triginta vel quadranginta anni.

940 *Cap. VI.* Ad aures.

SI vna ecclesia possidet decimas, in alterius Parochia per quadraginta annos, iam præscripsit, & melior est conditio possidentis, & excludit omnem actionem alterius ecclesiæ.

Glos. An debeat titulum ostendere? Respondetur affirmatiue: vel tempus immemorabile, *in 6. eod. cap. 1.* Item non excludit omnem actionem, sed illam quæ potest præscribi.

941 *Cap. VII.* Causa quæ.

LAici cum nõ possint spiritualia detinere, vt decimas, nec possunt illas præscribere, nec possunt ab Episcopo illis concedi.

Glos. Quod non potest possideri de iure, nec potest præscribi. Item Episcopus non potest concedere laicis ius decimarum, quia cum sit spirituale, non cadit in laicum.

942 *Cap. VIII.* Illud autem.

COntra ecclesiam sola præscriptio quadraginta annorum admittitur: & si contra talem præscriptionem opponatur interruptio

ruptio, ab vtraque parte testes sunt recipiendi; & si probabitur interruptio, præscriptio non tenebit.

Gloss. Ecclesia contra ecclesiam præscribit quadraginta annis, contra personas priuatas, triginta annis; & debet esse continuata, non interrupta, quæ interruptio fit multis modis; vide ibi.

943 *Cap. IX.* Quia.

FInes prædiorum ecclesiasticorum præscribuntur spatio quadraginta annorum. Item quæstio de finibus est terminanda in præsentia iudicum.

Gloss. Iudex potest iudicare secundum id quod nouit, non secundum allegata, vt in isto casu. Item iudex qui contra conscientiam, vel iustitiam alium grauat, est suspensus per annum; & si interim se ingerit diuinis, fit irregularis, cum quo solus Papa dispensat, & condemnabitur ad æstimationem litis. *in 6. de re iud. cap. cum æterni*. An fines parochiæ vel diœcesis possint præscribi. Vide.

944 *Cap. X.* Ex transmissa. *Lucius iij.*

TEmpore hostilitatis non currit præscriptio, & sic decimæ interim acceptæ sunt restituendæ.

Gloss. Monachi possunt habere parochias. Item maior ecclesia potest agere pro iure aliarum ecclesiarum sibi subiectarum. Item Matrix ecclesia de iure communi debet accipere decimas cõfinium, & capellæ, nisi obstet speciale priuilegium, vel consuetudo, *cap. cum contingat de decimis*.

945 *Cap. XI.* Accedentes. *Innoc.*

PRocurationes quæ debentur Legatis, & Nuncijs Sedis Apostolicæ, non possunt præscribi, possunt tamen remitti ex priuilegio speciali.

Gloss. In procuratione quæ datur ratione visitationis, non currit præscriptio, sed in illa quæ datur ratione institutionis, vel consuetudinis, currit.

946 *Cap. XII.* Cum non liceat.

COntra obedientiam debitam prælato subditus non præscribit.

Gloss. Licet recedere à Prælato, si incidit in heresim, vel schisma; in crimine notorio fornicationis, in simoniaco, in ordine, si probari possit quia sunt suspensi ipso iure; in alijs vero criminibus, etiam si sint notoria, est expectanda sententia.

Glos. Enumerat viginti sex casus, in quibus non præscribitur. Vide.

947 Cap. XIII. Ad audientiam.

PRæscriptio iur ium Romanæ ecclesiæ est 100. annorum.

Glos. In aliquo casu magis creditur priuilegio, quam testibus. Item præsumitur pro eo, qui officium suum fideliter implere iurauit.

948 Cap. XIV. Cum vobis.

IN præscriptione 100. annorum, quæ sola currit contra ecclesiam Romanam, in vtroque iure non sunt numeranda tempora schismatum quæ intercedunt.

Glos. Ecclesia Romana hoc priuilegium habet pro suis iuribus, & ecclesiarum immediate sibi subiectarum. Item hæc præscriptio probari non potest. Item in priuilegio prælationis super alias ecclesias nulla currit præscriptio.

949 Cap. XV. Auditis.

PRælatus inferior, vt abbas, potest præscribere ius Episcopale in ecclesijs illius diœcesis, si per quadraginta annos sine interruptione, vel sede Episcopali non vacante præscripserit, siue ex priuilegio particulari.

Glos. Abbas potest præscribere omnia iura, quæ potest possidere, & non alia, de quibus *can. quamuis 68. dist.* Item in hoc casu taciturnitas Prælati nocet ecclesiæ non successoribus, *sup. c. nihil.*

950 Cap. XVI. Cum ex officij.

NEmo potest præscribere contra procurationem, quæ ratione visitationis debetur, nec contra ipsam visitationem, & si aliquis contra personam alterius vtramque potest præscribere.

951 Cap. XVII. Si diligenti.

IN præscriptione rerum ecclesiasticarum requiruntur bona fides, & iustus titulus: & in præscriptione rei ecclesiæ Romanæ requiruntur 100. anni. Item qui alieno nomine possidet, non præscribit, quia non ille, sed possidet is cuius nomine possidetur.

Glos. Quando sit iustus titulus? Respondetur, si illa de quibus fit præscriptio iure communi, possunt possideri ab ipso, tunc sufficit bona fides, & non requiritur iustus titulus, *hic, & cap. quoniam omne, cap. vigilanti, cap. de quarta, & de causa possessionis, p. ecclesia,* in qui-

in quibus nulla fit mentio de titulo. Excipitur id quod dicitur de limite, *super cap. quia*. Si vero iure commuui possideri non possunt ab eo, qui obijcit præscriptionem, non sufficit bona fides, sed requiritur præscriptio; vt laicus non potest habere ius decimarum, sicut nec ius eligendi, nec exemptio monachorum ab obedientia; sic, nec Episcopus potest decimas, vel ecclesias alterius parochiæ possidere. *cap. 1. in 6. eod.* hæc videntur contraria titulus, & præscriptio: quia si quis habet titulum, v. g. priuilegium, seu concessionem, est tutus, & non est necessaria præscriptio; & si præscripsit, non debet impetrare priuilegium, quia impetrando videtur vnum renunciare alteri. *eod. cap. veniens*, & quod semel meum est, alia causa meum fieri non potest, *cap. inter dilectos de fide instrumentorum*. Respondetur, si titulus esset vere iustus, non esset necessaria præscriptio: sed si titulus est minus iustus; si adsit bona fides, vt ille credat talem titulum sufficere, vel credat illum esse verum dominum, requiritur, & vocatur iustus titulus, quia dat causam præscribendi. Item dic quod in præscriptione quadraginta annorum contra ecclesiam non requiritur titulus, nisi cum ius commune, vel præscriptio est contra præscribentem. *infra eodem in 6. cap. 1.* Item incorporalia quasi possidentur. Item bona fides, quæ necessario requiritur, est si credat dantem esse dominum, vel habere ius distrahendi, licet esset in facto. Item hæc bona fides semper præsumitur, nisi probetur contrarium, vt præsumitur ignorantia nisi probetur scientia, licet aliquando contrarium præsumatur. Item accipienti non obstat mala fides tradentis, quando per triginta annos possedit. Item est bona fides, licet quis erret in iure. Item dicitur bona fides, si quis habeat conscientiam dubiam: sed Host. hoc reprobat in iure canonico.

952 *Cap. XVIII.* Cum olim.

ABbas potest præscribere sibi aliqua, vel omnia iura Episcopalia alicuius cappellæ vel ecclesiæ, non tamen obedientiæ, licet quidam abbas illa amiserit per arbitrum quem ignorabat.

953 *Cap. XIX.* Veniens.

QVi præscripsit, & post completam præscriptionem impetrat priuilegium contrarium præscriptioni, & illo vtitur, dicitur renunciasse præscriptioni, & sic eam amittit: si inter præscribendum illud impetrat, tunc cessat bona fides, nec potest amplius præscribere.

Glos. Omnes clerici, & ecclesiæ quæ sunt in diœc. Episcopi, tenentur recipere omnia sacramenta ab eodem Episcopo, nisi contrarium ostendatur, vel si Episcopus non fuerit catholicus, vel in censuris.

ſuris. Item vt priuilegium ſecundum reuocet primum, debet facere mentionem de primo, vt in reſcriptis; aliter non reuocat, *cap. 1. de præſcriptionibus*, & *cap. nullas de regul. iur. in 6.*

954 *Cap. XX.* Quoniam.

NEc in iure ciuili, nec canonico, præſcriptio ſine bona fide valet, quæ debet durare toto tempore præſcriptionis: quia derogandum eſt omni conſuetudini, vel conſtitutioni, quæ ſine peccato ſeruari non poteſt. Item qui mala fide præſcripſerit in iure ciuili, peccat mortaliter, nec poteſt rem illam retinere. Item ſi bona fide præſcripſit, poſtea ceſſat bona fides, non refert. Qui tempore præſcriptionis habuit conſcientiam læſam, deinde incipit habere non læſam, an ſit interrupta præſcriptio? Reſpondetur, videtur non, quia fuit erronea, & eam debet deponere, *cap. per tuas de ſimonia*. Item quid ſi dubitat rem eſſe ſuam, & habeat iuſtam cauſam dubitationis? Reſpondetur, adhuc dicitur poſſeſſor bonæ fidei, & vtitur fructibus: quia licet habeat conſcientiam dubiam, non tamen læſam, quia neſcit an res ſit aliena, & debet de ea inquirere ab alijs, vt certificetur. Item quid ſi prælatus habeat conſcientiam læſam de aliqua re, quam poſſidet, & eccleſia habeat bonam fidem, an teneatur dimittere illam? Reſpondetur non, ſed ſignificabit illi, cuius eſt, vt petat, & ſic purgabit conſcientiam ſuam, & in hoc non facit fraudem. Item quid ſi ille petat in iudicio, & Prælatus confiteatur, an præiudicet eccleſiæ, quæ habet bonam fidem. Reſpondetur, ſi confitetur, vt ſindicus ſic; ſi vt particularis non. vide *cap. dudum de elect.*

IN SEXTO LIBER II.

DE PRÆSCRIPTIONIBVS. Tit. XIII.

955 *Cap.* Epiſcopum. *Bonifac. viij.*

IN præſcriptione etiam rei eccleſiaſticæ, ſufficit bona fides: ſed ſi ius commune, vel præſumptio eſſet contra eum, requiritur etiam titulus, qui tribuat poſſeſſori cauſam præſcribendi, niſi allegetur præſcriptio, cuius contrarij non extet memoria.

Gloſ. Explicat aliquos caſus, in quibus ius contradicit. Item quod non ſit memoria, probabitur ſi antiqui teſtes dicant ſemper ita au-

ita audiuisse, & per 100. annos valent. Quid si altera pars probet contrarium per testes? Respondetur, præferuntur testes magis idonei, & qui dicunt aptiora.

956 *Cap.* Si quis.

QVando quis habet bona ecclesiæ Romanæ, vel aliarum ecclesiasticarum, v.g. in fæudum, & ob sua scelera priuatur bonis per sententiam, vel ipso iure, ipsa bona ecclesiæ non possunt præscribi, nisi si sint Romanæ ecclesiæ per 100. annos, si aliarum ecclesiarum per quadraginta. Item si aliquis hæreticus, qui videtur catholicus, moritur, & eius hæredes catholici per quadraginta annos bona fide possident hæreditatem, ecclesia, ad quam spectabant bona, non potest eos molestare, quia iam præscripserunt.

Glos. In isto casu contra ecclesiam Romanam præscribitur per quadraginta annos.

DECRETALIVM LIB. II.

DE SENTENTIA, ET RE *iudicata.* Tit. XXVII.

957 *Cap. I.* Sententia. *Greg.*

SEntentia contra ius ciuile, vel canonicum prolata non valet, licet non fuerit appellatum.

Glos. Ponit quando est contra ius.

958 *Cap. II.* Iurgantium.

LItes sententia debent celeriter terminari.

Glos. Non sic, quando agitur de morte alicuius.

959 *Cap. III.* Non potest.

SEntentia Episcoporum debet esse concors, & ex iusta causa, ad sacerdotem deponendum. Trid. sess. 3

Glos. Sat est, si maior pars iudicum concordet. Item in causa Diaconi sint tres; sacerdotis, sex.

Cap.

960 *Cap. IV.* Ea, quæ. *Leo Papa.*

SEntentia iuftè, & rationabiliter lata, iufte petitur & à Papa confirmatur.

Glof. Si fententia eft à Papa, & ex certa fcientia confirmata, non poteft iudicari ab inferiori iudice.

961 *Cap. V.* De cetero. *Alex. iij.*

MErus executor fententiæ, fi coram eo opponatur de facilitate, non exequetur fentenriam, nec cognofcet negocium; fed oppofitionem deferet iudici. *cap. paftorali, de officio delegat.*

962 *Cap. VI.* Cum aliquibus.

QVi ex lata fententia debet dare poffeffionem, non fufficit dare pignus.

963 *Cap. VII.* Lator.

SEntentia lata ad matrimonium diffoluendum, numquam tranfit in iudicatum: nam fi deinde conftet ecclefiam errore deceptam, funt denuo coniungendi.

Glof. In caufis, in quibus eft periculum animæ, poteft quis venire contra factum fuum, vt reuocetur fententia, quam curauit, & auditur; aliter allegans fuam turpitudinem non auditur.

964 *Cap. VIII.* Cum caufa.

SEntentia lata fecundum confuetudinem, & contra canones retractatur.

Glof. Si confuetudo non erat rationabilis, & præfcripta.

Glof. Poftquam aliquis non eft profequutus appellationem intra terminum præfixum, iudex poteft procedere, tanquam fi citatus peremptorie non comparuit.

965 *Cap. IX.* Inter.

NOn eft ftandum fententiæ, quæ continet iniquitatem manifeftam; ideft eft nulla, & vt iniqua retractanda, etiam fi caufa fuerit commiffa remota appellatione.

966 *Cap. X.* Tenor. *Clem. iij.*

IN caufa matrimoniali, fententia lata contra abfentem non contumacem non valet, & iterum iudicanda.

Glof. Nec valet in quocumque alio negocio. Item qui contrahit

hit cum secunda post primum matrimonium in facie ecclesiæ, si accusetur primum, secunda non cadit à suo iure, nisi post causam cognitam, *cap. laudabilem de lite pend.* Si contraxit pendente lite cum prima, secunda cadit suo iure, ante cognitionem causæ, *hic cap. tenor*.

967 *Cap. XI.* Consanguinei.

SEntentia lata rite, & secundum ius ab ecclesia contra matrimonium, v.g. si factum sit diuortium propter compaternitatem præcedentem, non reuocatur per solam confessionem coniugis asserentis contrarium, sed ei statur, donec illud contrarium legitimè probetur.

Glos. Idest per idoneos, non periuros testes. Item ad confessionem mulieris, etiam viri, non reuocatur sententia rite lata, nec ad eorum confessionem matrimonium separatur *cap. super eo, de eo, qui cognouit*. Item quandocumque constiterit ecclesiam deceptam fuisse in causa matrimonij, reuocatur sententia lata contra matrimonium.

968 *Cap. XII.* Cum olim. *Innoc. iij.*

QVando Papa confert beneficium contra ordinationem suam factam prius, nulla facta mentione de ordinatione, reuocat collationem, quia impetratio fuit subreptitia, & quod subreptitium est, à Sede Apostolica est reuocandum.

Glos. Etiam si impetrans sit absens.

969 *Cap. XIII.* Cum inter.

SEntentia lata contra ius litigatoris, non tamen contra ius commune, si non fuerit appellatum, transit in rem iudicatam, & tenet; per quam sententiam vna ecclesia potest subijci Prælato, qui sit inferior Episcopo, vel aliæ ecclesiæ.

Glos. Sententia, à qua non est appellatum, transit in rem iudicatam, & facit ius inter partes, & ad appellandum dantur decem dies: quæ si lata est contra ius constitutionum, expresse est nulla, etiam si non præcessit appellatio. Item semper præsumitur pro sententia, donec contrarium ostendatur. Item si principale non tenet, nec quæ ab ipso habent originem: vt si instrumentum non tenet, nec confirmationes, & priuilegia data propter instrumentum tenent.

Cap.

970 *Cap. XIV.* Causam.

SEntentia data, si nihil continet iniquum, licet sit appellatum, si non probetur quod iudex non seruauerit formam mandati, est confirmanda.

Glos. Qui appellat à sententia, debet probare illam iniustam. Item iudex non ligatur ad vnum modum probandi tantum, sed debet omnia acta considerare, & ex omnibus vnum formare, & deinde ferre sententiam.

971 *Cap. XV.* Quod ad.

QVando per sententiam datur terminus competens ad aliquid faciendum, v. g. ad se purgandum dantur viginti dies, si sine contradictione acceptat, & intra decem non appellat, post decem dies à sententia lata non potest appellare, præsertim vbi causa non redditur appellandi, quia videtur per interpretationem iuris pa-ruisse sententiæ. Item qui condemnatur soluere pœnam pecuniariam intra vigintiquatuor dies, si acceptat terminum, videtur renunciasse quadrimestri tempore, & non poterit appellare, idest transactis decem diebus. Quia ex ista causa potest iudex abbreuiare, tempus quadrimestre, licet causa abbreuiationis non appareat: & sic non audietur nisi in executione sententiæ modus canonicus excedatur.

Glos. In appellatione à grauamine est exprimenda causa grauaminis: in appellatione à definitiua satis est dicere, appello ab iniqua sententia.

972 *Cap. XVI.* Sicut.

SEntentia fuisse latam ob fauorem alicuius potest probari per testes, licet nesciant causam, quare iudex sententiauerit: quia non omnia, quæ mouent iudicem sunt exprimenda, & in fauorem auctoritatis iudiciariæ præsumitur omnia præcessisse iuridicè.

Glos. Exceptio de re iudicata impedit contestationem litis, *cap. vlt. vt lite non contest.* Item dictum testis nudè prolatum valet, si non fuit interrogatus de causa; si vero fuit interrogatus de causa, debet dicere causam. *cap. cum causam de testibus.* An iudex debeat ponere causam in sententia. Vide.

Cap. XVII. Cum super.

AB eadem sententia, vna non solum reus victus, sed quicunque aggrauati possunt appellare, & si reus nihil docet pro se: & alius

iuste

iuste appellauit, eadem sententia confirmatur contra reum, & annullatur, vel suspenditur pro alio: quia secundum vtrumque ius, res inter aliquos acta regulariter non nocet alijs.

Glos. Et si iste alius non appellat, tamen semper remanet ei ius saluum. Item intra annum debet quis prosequi appellationem. Item vltima voluntas defuncti destituta solemnitate iuris tenet, quo ad filios, non quo ad extraneos.

Cap. XVIII. Cum Bertoldus.

QVando quis citatur ad sententiam, & non comparet ex iusta quidem, sed iudici ignota causa, si eo absente feratur sententia, tenet; sed si ille probat legitimam causam absentiæ, retractatur sententia; si vero non plene probat legitimam causam, non retractatur sententia, nisi prius doceat de iniquitate sententiæ, quæ iniquitas constabit ex tenore sententiæ, & ex actis.

Glos. Licet minus sufficienter probetur causa absentiæ, tamen debet de causa iterum cognosci. Item quando iudex est circumuentus, debet iterum de causa cognosci. Item non dicitur causa remissa sufficienter instructa, nisi allegationes vtriusque partis remittantur. Item ex sola præsentatione præsentatus acquirit ius, si patronus non mutat voluntatem, licet Episcopus eum non admittat, & potest agere vt sua præsentatio confirmetur, ille de quo in text. sicut electus potest agere, vt sua electio confirmetur. *cap. post quam, cap. publicato, de elect.* Item perceptio pensionis, nec possessionem probat, nec dominium. Item in obligatione generali non veniunt, quæ specialiter non obligarentur, sed ius patronatus transit cum vniuersitate, nisi specialiter excipiatur.

975 *Cap. XIX.* In causis.

VT Papa iudicat in causis, ita alij tenentur in similibus causis similiter iudicare: ideo Papa debet iudicare subtiliter, & secundum rigorem iuris, nisi ex necessitate, vel vtilitate dispenset.

Glos. Senrentia Papæ facit ius quo ad omnes, & vt ipse iudicat alij iudicare debent, & in similibus idem iudicium est adhibendum. Item in dispensationibus est attendenda causa necessitatis vel vtilitatis. Item dispensationes non sunt trahendæ ad ius commune.

976 *Cap. XX.* Inter.

SEntentia primo lata confirmatur, quando secunda non est legitima.

Glos. Exceptiones dilatoriæ debent proponi ante litis ingressum, & inter

& inter eas iudicis recusatio debet praecedere, *cap. quando ex ordinat. de probat.* quia si prius excipit personam aduersarij, & feratur sententia, videtur approbare iudicem, nec potest contra eum excipere, licet aliqui hoc negent. Item ipso facto renunciat quis iuri suo. Item secundae litterae, vt reuocent primas, debent facere mentionem de processu iudicij, & de priuilegio Papae. Item praetextu nouorum priuilegiorum lites innouari non debent. Item sententia contra res prius iudicatas tenet. Item per factum superioris non praeiudicatur inferiori.

977 *Cap. XXI.* Suborta.

QVando ostenso priuilegio, Papa fert sententiam contra priuilegium, illa sententia valet; si vero non fuerit ostensum iudici, & iudex proferat sententiam, & non appelletur, vel supplicetur, sententia deinde praetextu priuilegij non est retractanda.

Glos. Incorporalia non possidentur, sed quasi possidentur. Item licet causa in qua agitur de libertate, sit praeiudicialis, tamen quaestio possessionis ei praeiudicat, vt in tex. & sic quis ponitur in possessione, licet deinde reijciatur à proprietate, & consequenter à plena possessione. Item confessio procuratoris praeiudicat domino. Item contra priuilegium admittitur probatio vel defensio.

978 *Cap. XXII* Cum T. & A.

QVando testes, qui iurant erant conspiratores, & propter eorum dicta, & non aliorum, sententia fertur; si appelletur, sententia est retractanda: si vero non propter eorum dicta, sed aliorum fuit lata sententia, non est retractanda; conspiratores enim possunt iurare de alijs rebus.

Glos. In inquisitione potest procedi lite non contestata, si pars contumaciter se absentet. Item qui malo zelo mouentur, id est conspiratores, ad testificandum, non admittuntur contra eum, contra quem conspirarunt. Item non sufficit probare, quod sint conspiratores, & falsi, sed quod iudex sequutus eorum dicta, vel falsorum instrumentorum, sententiam tulerit, & quod solum per illos.

979 *Cap. XXIII.* Cum te.

LIcet condemnatus pro iniustitia illata sit infamis, tamen secus si sit minima.

Glos. Pro modico non datur actio, iniuriarum, vel actio de dolo, vel restitutio, sed bene datur actio furti pro modico.

Cap.

980 *Cap. XXIV.* Ad probandum.

QVando est iusta causa, sententia est infirmanda: vt si vnus iudicium erat excommunicatus publicè, tunc de nouo causa principalis est videnda.

Glos. Propter vnum iudicem excommunicatum publice, cassatur sententia omnium iudicum, quia non poterant illi communicare: & sic vtile per inutile vitiatur. Item acta istius excommunicati, facta ante excommunicationem tenent, ideo remanet actio, & cognoscitur ex integro. Item statur litteris ordinarij.

981 *Cap. XXV.* Quamuis.

LIcet regulariter alijs non noceat res inter alios iudicata, tamen nocet ei, qui cum sibi primum actio, & defensio competeret, sustinuit sequentem agere: nocet etiam ei qui passus est eum, à quo habuit causam, experiri.

Glos. Hæc regula fallit in multis casibus, vt cum causæ sunt connexæ in causa libertatis, filiationis, in re indiuisibili, in re communi, cum pupillo, cum fisco. Item in casibus tex. vt si debitor patitur creditorem experiri de proprietate pignoris, sic de marito, emptore, & similibus.

982 *Cap. XXVI.* Duobus. *Greg. ix.*

SI duo ordinarij pronunciant sententias diuersas, tenet sententia quæ est pro reo, non pro actore, nisi in causa fauorabili pro actore, vt in matrimonio, libertate, dote, vel testamento: si iudices non sunt ordinarij, sed delegati, sententia pendebit arbitrio delegantis: si ex compromisso, neutra habet vigorem.

Glos. Hic tex. habet vigorem quando iudices in æquali numero discordant, alioquin est standum maiori parti, nisi de Episcopo agatur criminaliter. Nota: iura magis prona sunt ad liberandum quam ad condemnandum.

IN SEXTO LIBER II.

DE SENTENTIA, ET RE iudicata. Tit. XIV.

983 *Cap.* Cum æterni.

IVdex ecclesiasticus siue ordinarius, siue delegatus, si contra conscientiam, & iustitiam, per sordes vel per gratiam quicquam

facit in iudicio in grauamen partis, est suspensus ab executione officij per annum, & condemnabitur ad æstimationem litis parti læsæ: & si durante suspensione, se ingerit diuinis, fit irregularis, à qua nisi per Papam liberari non potest: & hæc vltra alias pœnas iuris.

Glos. Sex requiruntur, vt iudex incurrat pœnas huius canonis. Primo vt iudicet contra conscientiam: secundo non sufficit contra conscientiam, sed contra iustitiam: tertio in grauamen partis: quarto hoc faciat in iudicio: quinto quod sciat se male iudicare; nam si credebat bene iudicare, non incidit in has pœnas, licet teneatur ad æstimationem litis: sexto quod sit motus ad male iudicandum vel per gratiam vel per sordes, idest pecunia, gratia, precibus, fauore, odio, addito etiam quod grauet partem in faciendo, secus in negligendo, quia hæc constitutio est pœnalis, ideo omnia eius verba ponderanda. Nota: cum dicitur, iudex debet iudicare secundum conscientiam, intelligitur conscientia formata ex actis causæ, & non priuata. Item Episcopus non incurrit hanc pœnam suspensionis, nisi de eo fiat expressa mentio. *cap. quia periculosum de sentent. excommunicationis*. Item hanc pœnam incurrit iudex non arbiter, nec auditor mere executor, quia est stricti iuris. Item non suspenditur à beneficio, licet ab officio. Item per annum ex tunc inchoatum: quid si est bisestilis? abstineat vna die plus. Item de alijs pœnis iuris, vide.

984 *Cap.* Ad Apostolicæ.

PApa ex certis causis potest deponere Imperatorem, & Reges, vt hic deponit Federicum Imperatorem, & Regem Siciliæ. Sicilia est Patrimonium S. Petri, & fuit data in feudum Federico.

985 *Cap.* Abbate sane.

QVi in iudicio petit aliquam rem sibi deberi, exprimat certam causam: si illam causam non probat, succumbit, licet alias producat, & probet: si vero non expressit causam, si illam causam non probat, non succumbit, sed sufficit probare vnam iustam causam.

Glos. Loquitur de causa remota.

986 *Cap.* Cum ab vno.

QVando sunt plures arbitri, vel iudices, si vnus alijs præsentibus, & mandantibus recitat sententiam scriptam, vtendo numero plurali, Nos, sententia valet, ac si ab omnibus esset recitata. In electione vero secus fit, quia siue procedatur per compromissum,

sum, siue per scrutinium, electio est pronuncianda per verba numeri singularis. *Ego nomine meo & capituli eligo talem.*

987 *Cap.* Et si.

SI sententia definitiua non ponatur in scriptis, & ab ipsomet iudice, & non ab alio, & sedendo, non stando, vel deambulando proferatur, est nulla, nec est necesse ab ea appellare; sed potest Episcopus per alium sententiam recitare, quia propter prærogatiuam dignitatis est honorandus ad instar illustrium personarum.

Glos. Interlocutoria non est necesse vt sit in scriptis, quando profertur. Item sat est vt iudex dicat condemno, vel absoluo, vt faciunt in Italia iudices, & Cardinales, & Auditores curiæ. Item sententia sine scriptis valet quando causæ sunt breues, idest duorum ducatorum, vel vilium personarum, vel inspiciatur consuetudo loci, vel fori, vel cum Episcopus de causa ciuili iudicat inter suos clericos, vel cum Præses deposito officio conuenitur, vt reddat rationem de officio suo, vel cum Papa per se pronunciat, vel lata in causa matrimoniali sine scripto, si iudex procedit ex officio, & non in figura iudicij, altera parte contumaciter absente. Item quando debeat sedendo iudicare, & quid significet sedere, vide ibi.

CLEMENTIN. LIB. II.

DE SENTEN. ET RE IVDICATA.

988 *Cap.* Vt calumnijs.

QVi in quauis causa, vt in beneficiali, reportauit contra se tres sententias, in petitorio, vel possessorio, non admittitur ad agendum de nullitate ipsarum, vel alicuius, donec fuerint executioni mandatæ. Item si reportauit contra se tres sententias definitiuas, & proponat se appellasse ab interlocutoria, & grauamine ante prolationem, sententiam, & appellationem adhuc pendere hoc prætextu; non impediatur executio talium sententiarum & tex. loquitur de causis adhuc pendentibus.

989 *Cap.* Pastoralis.

QVando quis citat aliquem non existentem in territorio citantis, & ille non comparet, si fertur sententia contra non comparentem, tanquam contumacem, sententia est nulla: & sic

declarat Clem. sententiam Henrici Imperatoris contra Rubertum Regem Siciliæ, esse nullam, vbi multa dicit. Vide.

Glos. Citatus ad locum non tutum, non tenetur comparere.

DECRETALIVM LIBER II.

DE APPELLATIONIBVS recusationibus, & relationibus. Tit. XXVIII.

990 *Cap. I.* Dilecti filij. *Alex. iij.*


SI post factam appellationem ex causa probabili, & verisimili iudex confert beneficium, collatio est nulla, & quidquid facit est irritum: & qui differt per sex menses conferre ecclesias malitiosè, perdit ius suum quod transfertur ad superiorem, v.g. ad Legatum Papæ, qui est à latere.

991 *Cap. II.* Inter cætera.

APpellatio generalis, idest facta super omni causa, quæ contra appellantem posset aliquo tempore moueri, non valet.

Glos. Non valet appellatio specialis, nisi causa probabilis exprimatur: qua exposita si non admittatur, tenet appellatio. *cap. vt debitus infr. eod.* Item à futuro grauamine non est appellandum, nisi à comminato, vel illato, vel apparuerint alia indicia futuri grauaminis. *cap. consuluit. cap. cum cessante infr. eodem.*

992 *Cap. III.* Ad nostram.

Trid. sess. 13. de Ref. REgulares, vel alij non possunt appellare à correctione legitima, idest secundum regulas: quia appellatio non debet fauere delinquenti, nisi in correctione excedatur modus, idest non fit facta secundum regulas. *cap. de priore eod. tit. infra.*

993 *Cap. IV.* Personas.

SI appellans in termino competenti præfixo, vel à iudice, vel à se ipso ad adeundum iudicem appellationis, non prosequetur causam, iudex à quo compellat talem appellantem stare suo iudicio super

super causa, remota appellatione. Quod si talis sibi ipsi terminum prolixum præfigat, iudex à quo moderat dictum terminum, idest competentem assignat, quo elapso iurisdictionem reassumit.

994 *Cap. V.* Cum sit.

APpellanti ius commune concedit ad prosequendam appellationem vnum annum, aut ex necessaria, & euidenti causa duos: sed hos terminos iudex à quo potest abbreuiare secundum distan tiam locorum, & qualitatem negocij, & personarum. Quod si in hoc termino non est prosequutus causam, si post sententiam appellauit, sententia tenet, & ipse cecidit à causa sua, nec amplius audietur super eodem negocio appellans: si vero appellauit à grauamine, & ante ingressum litis hic appellans, postea audietur super illo negocio quia canones permittunt appellare extra iudicium: non enim dicunt appellationes, sed prouocationes ad causam. Si verò appellauit ante sententiam post litem contestatam, cogetur stare iudicio iudicis ad quem, idest appellationis, vel iudicis à quo. Item in *§. præfixa* imputatus de crimine, vt raptor, vel violentus detentor rei alienæ, si appellat apud ecclesiasticas personas, auditur nisi fuerit manifestus raptor, vel fornicator, tunc non auditur, sicut Apostolus excommunicauit illum absentem, & inrequisitum.

Glos. Aliquas inducias iuris, ex causa, potest iudex abbreuiare, aliàs non possunt mutari: de quibus *cap. præterea de dilat.* vt sunt decem dies ad appellandum. Item iudex à quo potest minuere tempus à iure statutum, non vt causam finiat, sed vt compareat coram iudice appellationis, vt iudex intra annum, vel duos causam terminet.

995 *Cap. VI.* Ad hæc.

QVando quis in vna causa appellauit ab aliquo iudice quamuis suo ordinario, si postea accusatur, vel conuenitur de alia causa coram eodem potest eum tanquam suspectum iurare: sed si nō appellet, vel vitet debet stare suo iudicio illius.

Glos. Episcopus recusatus tanquam suspectus committet causam alijs. *cap. cum speciali infra eodem.*

996 *Cap. VII.* Si duobus.

QVando duo litigant, v. g. coram Episcopo, & in eadem causa vnus appellat ad Papam, alter ad Archiepiscopum, & iste veniens statuto die ad Archiepiscopum dicit se appellasse ad eum, tacens socium appellasse ad Papam, Archiepiscopus citat aduersa-

rium ſub excommunicatione, ille contemnit parere, excommunicatio tenet: ſecus ſi Archiepiſcopus ſciebat illum ad Papam appellaſſe. Item in §. *denique*, qui ante, vel poſt iudicium appellat à iudice temporali ad Papam, appellatio non tenet de iure, de cõſuetudine verò ſic, vel ſi ſint ſubditi Papæ etiam in tẽporali iuriſdictione.

997 *Cap. VIII.* Ex ratione.

QVi appellauit, & intra biennium non eſt proſequutus cauſam ob impotentiam, non ſibi præiudicat, quia poſſet in integrum reſtitui.

Gloſ. Quæ etiam ſit hæc impotentia, vide ibi plene.

998 *Cap. IX.* Meminimus.

DElegatus, cui committitur aliqua cauſa remota appellatione, ſi poſt citationem iuit ad Sedem Apoſtolicam, poteſt in cauſa procedere ſecundum formam iuris: ſed ſi iuit ante citationem, non poteſt procedere.

Gloſ. Niſi iuerit fraude, vel dolo. Nota quod per citationem perpetuatur iuriſdictio. Item quod quis facto ipſo dicitur appellare.

999 *Cap. X.* Super eo.

SI appellatur in aliquo articulo, ſine quo cauſa principalis expediri non poteſt, ſupraſedendum eſt etiam in cauſa principali. Item in §. *ſi autem*, ob appellationem de ſuggeſtione falſi non eſt ſententia differenda.

Gloſ. Suggeſtione. Lite conteſtata non eſt admittenda exceptio de falſi ſuggeſtione, eo quia ab initio erat proponenda, cum ſit exceptio dilatoria tantum: & ſic non poteſt differri ſententia in caſu, in quo ipſa exceptio erat à principio proponenda. *cap. inter monaſterium ſupra de re iudic.*

1000 *Cap. XI.* De appellationibus. *Alex.iij.*

PRo minoribus, ſeu leuioribus cauſis eſt licitum appellare, ſicut in maioribus.

Gloſ. Minimis. Minima cauſa poteſt dici duorum aureorum, pro qua non datur actio de dolo; vel illa, quæ non ſufficit ad ſumptus iudiciales.

1001 *Cap. XII.* Super eo.

SEcundum ius canonicum, tum ante, tum poſt litis conteſtationem, tum dum fertur ſententia, tum poſt latam ſententiam licet

licet appellare: at secundum leges ciuiles non licet appellare, nisi in certis casibus ante sententiam. Item in causis ecclesiasticis appellatio,& recusatio sunt pares,quando tollitur remediũ (idest si sit causa probabilis non expressa) & recusatio denegatur. Item quando lis committitur iudici intra certum terminum terminanda,tunc incipit terminus currere, quando iudices litteras recipiunt. Nota non currere tempus,nisi ab eo instanti,quo iudex procedere potest.

Glos. Recepisse. Dies receptionis non numerantur, nec dies exceptionis, quando quis debet probare exceptionem excommunicationis intra octo dies.

1002 *Cap. XIII.* Peruenit.

QVando clerici conqueruntur se læsos, vel vulneratos, & rei appellant ad Sedem Apostolicam,si excessus non est publicus, & notorius, rei sunt compellendi censuris, vt infra tempus conueniens prosequantur appellationem: si verò est publicus,& notorius, sunt denunciandi excommunicati non obstante appellatione, & vitandi donec satisfaciant offensis, & cum litteris ordinarij debent se presentare Papæ. Nota quod in notorio crimine non admittitur appellatio, sed iudex debet procedere.

Glos. Prætermittas. Iudex in hoc potest compellere testes,qui a Clerici sunt res ecclesiæ.

Glos. Passis. Quando iniuria est manifesta,reus debet satisfacere antequam absoluatur. *cap. ex par. de verb. signif.*

1003 *Cap. XIV.* Consuluit.

SI percussio Clerici,vel adulterium est notorium,appellatio non impedit; si non est notorium, intra certum tempus vel prosequatur appellationem,vel ea remota stet iudicio iudicis.Item quod est dubium, non est pro notorio habendum.

1004 *Cap. XV.* Suggestum est.

QVando agens scit, quod reus oppressus appellauit ad Papam, & reportauit litteras fauorabiles, & ipse post litteras Papæ appellat ex fraude, vel malitia, tunc iudex non debet eius appellationem admittere, sed causam terminare: vide *cap. meminimus.*

Glos. Appellationis. Hodie appellatio facta in absentia etiam coram iudice à quo scienter,non tenet. *cap. debitus honor,& cap. cum specialiter infra eodem.*

Glos. Deprehensus. Aduersarius,qui hoc obijcit,probabit illum malitiose appellasse, quia fraudem qui allegat, causam probet.

X 4 Cap.

1005 *Cap. XVI.* Ad præſentiam.

EXcommunicatus, qui appellauit legitimè pendente cauſa excommunicationis, licet de iure non ſit excommunicatus, tamen de facto & ad cautelam eſt abſoluendus: & ſi in tali excommunicatione miniſtrauit in diuinis,non eſt inquietandus, ſed omnia reducuntur in ſtatu, in quo erant tempore factæ appellationis.

Gloſ. Abſolui. Abſoluitur excommunicatus appellans ad cautelam, licet vere non ſit excommunicatus.

Gloſ. Appellantem. Sententia excommunicationis lata poſt legitimam appellationem eſt nulla;& ſi talis celebrat,non punitur.

1006 *Cap. XVII.* Cum teneamur.

QVando quis appellat ad ſuperiorem, vt ad Papam, ſi durante eius appellatione illius poſſeſſio turbatur ab aliquo, iudex à quo fuit appellatum, non tacto eo, in quo fuit appellatum, poteſt reformare poſſeſſionem, ordine iudiciario, ſi fiat ad eum querela.

Gloſ. Prætermitto. Qui appellauit à iudice ſuo ordinario in aliqua cauſa, poteſt ad eumdem redire pro alijs cauſis, & non dicitur renuntiaſſe ſuæ appellationi. *cap. propoſuit. cap. ad hæc in eo.* ſecus ſi eſt iudex delegatus, quia poſt appellationem nulla remanet iuriſdictio in eo: vnde ſi ad eumdem rediret, diceretur renunciaſſe appellationi. *c. gratum de offic. deleg.* & *cap. cum veniſſet de teſtib.*

1007 *Cap. XVIII.* Conſuluit.

GEneralis appellatio, ideſt ab omni grauamine, quod ſibi poſſet contingere, non valet: ſed generalis reſtricta ad certam cauſam, vt ſi appellet ab iſto iudice in vna cauſa ab omni grauamine, quod ſibi poſſit inferri, valet.

Gloſ. Hic tit. non valet, quia ſemper eſt exponenda cauſa, aliter non valet appellatio. *cap. debitus. cap. cum ſpeciali, eo.*

1008 *Cap. XIX.* Cum parati.

QVi friuole appellat,debet obedire:alioquin dicitur contēnere, & tenetur per ſe, vel per alium probare innocentiam ſuam. An qui eſt in legatione Regis,excuſetur ab obedientia ſui ordinarij? ſunt in hoc iura contra. Reſpondetur,ſi mandatum Regis præueniat mandatum cuiuſlibet prælati, excepto Papa, parendum eſt Regi, ſi ab ipſo teneat regalia: ſecus ſi Papa, vel eius Legatus vocat. Item quilibet vocatus debet venire, & allegare ſuum priuilegium. Item creditur nuncio, vel etiam iudici in præiudicium alterius.

Cap.

1009 *Cap. XX.* Ad hæc.

QVi iurat ſtare iudicio eccleſiaſtico, & poſtea appellat, eſt compellendus ſeruare iuramentum, vel intra quadraginta dies iter arripere ad proſequendam appellationem.

Gloſ. Si mandatum eccleſiæ excedit limites iuramenti, vel licitæ promiſſionis, is qui iurauit poteſt appellare: qui enim grauatus poteſt appellare, & qui ex iuſta cauſa iuramentum dimittit, non dicitur deſerere iuramentum.

1010 *Cap. XXI.* Quæſtioni.

APpellationi, quæ eſt cauſa refugij, non eſt ſtandum, ſed inducenda eadem cenſura. v.g. excommunicatus iurauit ſtare mandatis, ideo abſoluitur; vt ſubterfugiat, appellat: appellatio eſt nulla, & iterum eſt excommunicandus, & mox iterum iurabit.

1011 *Cap. XXII.* Præterea.

QVi appellat, v.g ad Papam, & iterum committit aliquod ſcelus, non obſtante appellatione poteſt puniri ab ordinario de illo ſcelere.

Gloſ. Idem dicendum de antea commiſſis: quia appellatio non extenditur ad ea, que poſtea fiunt, præſertim ſi ſit appellatum ſuper vno articulo, appellatio enim non tuetur aliquem in delictis.

1012 *Cap. XXIII.* Conſtitutis.

QVi non curat appellationem factam, & vlterius procedit appellans, eius appellatio non conſideratur. *cap. bona de elect.*

Gloſ. Fruſtra implorat auxilium legis, qui legem contemnit. Item excommunicatus, vel ſuſpenſus eligi non poteſt. Item electio poſt appellationem eſt nulla. Item nominatio non parit ius nominato, nec impedit ſequentem electionem.

1013 *Cap. XXIV.* Prepoſuit.

QVando quis appellat ab aliquo in vna cauſa, tenetur in alijs cauſis, in quibus non eſt appellatum, reſpondere coram eodem ſuo iudice: poteſt tamen illum recuſare, vt ſuſpectum. Quare non poteſt eum iudex cogere, niſi in crimine graui, & manifeſto, quo ipſo actu meritò ſit damnandus.

Gloſ. Si appellauit à delegato, pendente appellatione, ſi idem datur ei iudex in alia cauſa, poteſt eum recuſare, & recurretur ad arbitros. Item in notorijs non eſt locus appellationi, vel recuſationi.

Cap.

1014 *Cap. XXV.* Qua fronte.

SI quis eſt excommunicatus, vel interdictus, ob contumaciam, vel aliam cauſam, ſi vult ſubeſſe iuſtitiæ in his pro quibus fuit excommunicatus; iudex, qui eum excommunicauit, poterit eum abſoluere, recepta prius cautione, quod parebit æquitati coram Papa, ad quem appellauit, vel coram eius delegato, ſi maluerit aduerſarius, non obſtante, quod pars appellet, ne abſoluatur. Idem dicendum de eo, qui conqueritur ſe irrationabiliter excommunicatum, ideſt abſoluendus eſt modo dicto, licet pars contraria appellet ad Papam, ne illi decedant in excommunicatione.

Gloſ. Electio, confirmatio, & ſimilia ſpiritualia debent fieri in eccleſia, vel capitulis ad hoc deputatis, & non locis ſecularium. Item cautio ſit iuratoria, quod parebit iuri; & ſi agitur de damno tertij, det aliam cautionem.

1015 *Cap. XXVI.* Reprehenſibilis.

PRælati non excommunicent, nec ſuſpendant, niſi præmiſſa canonica admonitione, niſi culpa ſit talis, quæ ipſo facto inducat pœnam ſuſpenſionis, vel excommunicationis. *cap. eos, qui de ſent. excom.* Item ſubditi non præſumant appellare contra diſciplinam eccleſiaſticam. Item appellanti præfigatur terminus competens ad proſequendam appellationem, intra quem ſi proſequi negligit, iudex à quo reaſſumat ſuam iuriſdictionem, & iudicet: & ſi habet complicem, ſeu partem contrariam, quæ venit, & ipſe non venit, recompenſet expenſis. Præcipue hæc ſunt ſeruanda in religioſis, ne preſumant appellare contra diſciplinam regularem, vel Prælatos, quando corriguntur, ſed ſimpliciter correctionem ſuſcipiant.

Gloſ. Canonica admonitio eſt trina: & qui ea omiſſa excommunicat, eſt interdictus ei per menſem ingreſſus eccleſiæ. *cap. ſacro de ſent. excom.* Si tamen ea omiſſa proferat, tenet ſententia, niſi in quatuor caſibus. *cap. per tuas de ſent. excom.* Item qui appellauit, & non comparuit, licet non habeat proprium, in quo puniatur, punietur arbitrio iudicis. Item à correctione non appellatur.

1016. *Cap. XXVII.* Ad hæc.

IVdex à quo compellat appellantes, vt appellationem proſequantur, vel coram ſe iuri pareant. Item ſi vna partium habeat iudicem ſuſpectum, inſiſtat iudex, vt eligant iudicem, qui valeat dirimere quæſtionem.

Gloſ. Iudex ordinarius poteſt recuſari.

Cap.

1017 *Cap. XXVIII.* Peruenit.

SI canonicus admonitus, vt resideat, appellet, assignetur ei terminus, vt prosequatur appellationem, & interim prouideatur de idonea persona, qui pro eo seruiat ecclesiæ, assignata portione fructuum illius beneficij, vnde honeste viuat: & si canonicus non residet, nec appellationem prosequitur, priuabitur præbenda, & dabitur idoneæ personæ. Trid. sess. 24. Ref. 12.

Glos. Hodie non admittitur appellatio, nisi explicetur causa probabilis. *cap. debitus*. Item qui sine iusta causa non vult residere, priuabitur sua ecclesia.

1018 *Cap. XXIX.* Consuluit.

NOn est admittenda appellatio, quæ est contra ius, vel executionem iuris, vt quod hebræi non habeant mancipia christiana. *cap. relatum de clericis non resid.*

Glos. Hebræi non possunt habere seruos christianos. *can. mancipia dist. 54.*

1019 *Cap. XXX.* Ad hæc.

QVando committitur causa alicui appellatione remota, & pars antequam citaretur vel cognouisset commissionem causæ, misit nuncium ad Papam: si citatus deinde appellat, iudex debet deferre appellationi; si vero post misit, iudex exequatur mandatum.

Glos. Hodie talis appellatio non prodest, quia litteræ Sedis Apostolicæ sunt iudici præsentandæ. *c. vt debitus*, & *c. meminimus eod.*

1020 *Cap. XXXI.* De Priore.

QVi non defert legitimæ appellationi, vt Prælatus, qui enormiter castigat, & non defert appellationi subditi castigati, est mittendus Romam cum litteris iudicis, vt puniatur.

Glos. Quando Prælatus excedit modum in correctione, admittitur appellatio subditi à correctione. *cap. vltimo de offic. ord.* aliter non. *cap. ad nostram.*

1021 *Cap. XXXII.* Quia.

IN notorijs delictis, vel contra regularem correctionem appellatio non habet locum: vt si Abbates infamati, & confessi, à capitulo moniti nolunt relinquere prælationem, non possunt appellare.

Glos. In hoc casu Præsidentes capitulo nuncient Episcopo, qui eum remoueat.

Cap.

1022 Cap. XXXIII. Ad aures.

IVdex à quo præfiget tempus appellanti, quo elapso reassumat suam iurisdictionem, & exerceat.

1023 Cap. XXXIV. Ad audientiam.

QVi grauatus à iudice subijcit se protectioni superioris, intelligitur appellasse, licet non fuerit vsus hoc verbo appello: & sententia contra ipsum lata, sine causæ cognitione non tenet.

Glos. Ei, qui simpliciter facit, parcendum est. Item extra iudicium supponere se auctoritati Papæ, est appellare. Item sine cognitione causæ non est procedendum, nisi in notorijs. Item sententia excommunicationis post appellationem lata non tenet.

1024 Cap. XXXV. Accepta.

STante appellatione causa non est remittenda ad iudicem à quo, nisi de consensu partium.

Glos. Idest partis appellantis, etiam contradicente altera, cui soluet expensas.

1025 Cap. XXXVI. Postremo. *Lucius iij.*

DElegatus, cui committitur causa remota appellatione, si ex iusta causa est suspectus, vt si est consanguineus impetrantis, vel si fuerit eius aduocatus in illa causa, potest recusari.

Glos. Recusatur si sit consanguineus vsque ad septimum gradum. Item modica causa repellit iudicem, vt familiaritas. *cap. insinuante de offic. delegat.* si est dominus impetrantis. ibidem cap. causam, quæ & lite non contestata. *cap. accedens.* Quid si est vtrique consanguineus? Resp. causa suspicionis remouetur.

1026 Cap. XXXVII. Ad hæc.

APpellatio post interdictum non suspendit interdictum.

Glos. Sicut nec excommunicationẽ: sed si ponantur sub conditione, & interim appellatur, appellatio tenet: secus si iam fuerunt posita, & suspenduntur ab Episcopo, in illo interim non prodest appellare, secus si in totum suspenderentur, idest tollerentur.

1027 Cap. XXXVIII. Cum in ecclesia.

IVdex appellationis si cognoscit non esse appellatum à grauamine, vel sententia iniusta, remittat appellantem, & causam ad primum iudicem, cui parebit appellatione remota.

Glos.

Glos. Grauamen debet exprimi in appellatione: sed quæ sit iniusta, non est satis dicere, à sententia iniusta.

1028 *Cap. XXXIX.* Directæ. *Clem. iij.*

QVi semel appellauit, & postea renunciat appellationi, potest iterum appellare in eodem articulo, præsertim in causa fauorabili, vt in matrimonio.

Glos. In diuersis articulis potest sæpius appellari.

1029 *Cap. XL.* Præterea. *Cælestin. iij.*

SEntentia lata sub conditione, vt nisi infra dies viginti satisfacias, sis excommunicatus, suspensus, & interdictus: si in illo interim appellat, suspenditur, & post viginti dies non erit excommunicatus interdictusue.

Glos. Quia appellauit, secus si tantum transtulit domicilium.

1030 *Cap. XLI.* Secundo.

SI committatur causa habens multos articulos, & in vno ponitur remota appellatione, intelligitur posita in omnibus articulis. Item quando iudex recusatur vt suspectus, causa suspicionis est proponenda coram accusato: qui assignet aliquos arbitros non valde remotos, coram quibus, intra certum terminum cogatur probare causam suspicionis; quam si non probat, iudex recusatus vtatur sua authoritate; si probat, abstineat.

Glos. Appellatio refertur ad omnia, quæ sunt in commissione. An sit verum, vide. Hodie ipso iure est remota appellatio. *cap. vt debitus eod.* Item loquiur de iudice delegato, quia ordinarius potest committere causam personæ non suspectæ, vel remittere ad superiorem, etiam inuitis partibus.

1031 *Cap. XLII.* An sit.

QVi appellationi ab alio interpositæ non defert, non gaudet beneficio appellandi, & sic punitur in eo, in quo puniuit.

Glos. Non est tamen repellendus ab appellatione in omni causa, & à quolibet, satis est si semel sit punitus.

1032 *Cap. XLIII.* Nouit ille. *Innoc. iij.*

AB executore non est appellandum nisi modum executionis excedat; & si sit suspectus, tamen non licet ab eo recedere per appellationem, quia non suo motu procedit, sed de mandato.

Glos. Intelligitur de mero executore, qui nullã habet cognitionẽ.

Cap.

1033 *Cap. XLIV.* Sæpe contigit.

QVando appellatio eſt recepta à iudice, vel à parte approbata, terminus, qui datur ad proſequendam appellationem, habet vim peremptorij; ideſt ita in abſentem procedatur, ac ſi peremptorie fuiſſet vocatus ad iudicium, & non veniſſet, & non ſolum ſoluat expenſas, vt ait Conc. Lat. Si verò appellatio interpoſita non fuerit malitioſe recepta, vel approbata, cum conſtiterit fuiſſe legitimè appellatum, valet: quamuis ſi fuit appellatum poſt latam ſententiam, & non ſunt proſequuti appellationem in termino præfixo, ſententia valet. Item omne id, quod poteſt allegari ab abſente contra citationem peremptoriam, poteſt etiam allegari contra huiuſmodi appellationem. Item qui præueniens terminum appellationis impetrat litteras tacita veritate, ideſt tacito termino, careat impetratis, & euadit contumax.

Gloſ. Non loquitur de termino dato à lege. Item citatus peremptorie auditur allegans iuſtam cauſam abſentiæ. Item citatio, & appellatio peremptoria in quo conueniant.

1034 *Cap. XLV.* Conſtitutus.

QVi in electione appellat, & ex negligentia non proſequitur appellationem intra terminum, iudex ex officio ſuo poteſt procedere in cognoſcendo de impedimentis electi, quia negligentia partis non præiudicat officio iudicis.

Gloſ. Vide *cap. veniens, de teſtibus*. Item: Ius eligendi poteſt transferri in alium, ita vt multa vota reducantur in vnum. Item delegatus ad cauſam non poteſt ſubdelegare, niſi de conſenſu partium.

1035 *Cap. XLVI.* Conſtitutis.

QVando quis electus ad aliquam dignitatem, & confirmatus, ita vt in iure nihil deſideretur; ſi appellat friuole, ideſt ſine rationabili cauſa, ideſt ad impediendam executionem, appellatio non admittitur, ſed electus mittetur in pacificam poſſeſſionem: & qui appellauit, ſi habet aliquid contra eum, proponat, non per modum appellationis, ſed accuſationis, & denunciationis.

Gloſ. Qui appellat, debet exprimere rationabilem cauſam, tamen coram iudice appellationis: poteſt etiam alias cauſas exprimere, præſertim ſi dixit prius habere alias. Item qui non poteſt excipere, poteſt tamen accuſare, vel denunciare.

Cap.

1036 *Cap. XLVII.* Ex parte.

ETiam si in litteris ponatur remota appellatione, si pars vocatur ad locum non tutum, potest legitimè appellare.

Glos. Locus debet esse talis, vt ad eum possint accedere sine periculo partes, & omnes sui, vt testes, aduocati: idest honestus, sine inimicitia, & non extra prouinciam, nec vltra duas diætas. *cap. statutum eod. in 6.*

1037 *Cap. XLVIII.* Significauit.

QVando quis excipit de procuratore, quod potest solum citare, & non agere, vel quod ipse prius fuit conuentus ab alio iudice per litteras Apostolicas, de quibus secundæ litteræ non meminerunt: si appellat, quicquid fit post appellationem, est vanum.

Glos. Quando quis proponit plures exceptiones, quarum quælibet per se sufficit, satis est si vnam probet.

1038 *Cap. XLIX.* Significantibus.

REus petens sibi declarari rem petitam in libello, si non auditur, licitè appellat. vide *cap. 2. de libelli oblat.*

1039 *Cap. L.* Ex insinuatione.

IVdex, à quo appellatur, licet possit ponere terminum ad prosequendum, non tamen potest ponere terminum ad finiendum, vel reuertendum: quia non potest legem ponere superiori, idest iudici appellationis. Item litteræ impetratæ ante terminum non valent: fraus, & dolus nulli patrocinatur.

Glos. Impedimentum, quod habet iudex, non nocet causæ, nec partibus præiudicat. Item si pars contraria est familiaris, vel commensalis iudicis, iudex potest recusari; secus si aduocatus partis contrariæ sit commensalis iudicis. Item terminus legalis pro appellatione est annus, qui potest præueniri: sed post annum non potest prosequi, quia sententia est rata. Quare hic tex. loquitur de termino statuto a iudice.

1040 *Cap. LI.* Bonæ memoriæ.

QVi extra iudicium ex verisimilibus, & probabilibus causis appellat, v.g. ad Papam, ne in possessione molestetur, si postea spoliatur, est reducendus ad statum, & possessionem, in qua erat tempore appellationis; & dentur ei fructus percepti, saluo tamen iure proprietatis vtrique parti.

Glos.

Glos. Potest appellari ex probabilibus causis etiam extra iudicium, & restituitur possessioni cum omni suo iure, & fructibus.

1041 *Cap. LII.* Dilecti filij.

QVi in aliqua causa arripit iter ad Romanam curiam, intelligitur appellasse: & si interim excommunicatur, excommunicatio non tenet, quia plus est facto ad Sedem Apostolicam prouocare, quam verbo.

Glos. An iter arripere ad Sedem Apostolicam sit appellare, cum in appellatione sit explicanda causa probabilis? An idem si ad Archiepiscopum? Nota: multa dicuntur fieri facto, vt facto quis renunciat iuri suo, mentitur, consentit, probatur incontinens, ratum habet, negat Deum.

1042 *Cap. LIII.* Pastoralis.

IN rescriptis per clausulam, remota appellatione, remouetur non solum frustratoria, sed quælibet, nisi expresse fuerit concessa in iure.

Glos. Hodie valet appellatio si sit causa probabilis, licet non sit expressa in iure. *infra cap. vt debitus.* quid autem operetur clausula, appellatione remota, vide ibi. Item omnia intelliguntur prohibita, quæ non sunt in iure concessa.

1043 *Cap. LIV.* Verum quia. *Innoc. iij.*

QVando ordinarius excommunicat aliquem, & ipse appellat, quæ appellatio, si fuisset facta ante excommunicationem, valuisset: tamen ordinarius potest illum denunciare populo, vt eum vitet, quia hoc non est de nouo excommunicare; & ad tempus priuare illum fructibus beneficij.

Glos. Per appellationem legitimam eximitur, quis à suo iudice ad tempus, quantum ad illam causam; potest tamen illum reddere suspectum pro alijs. Item excommunicatio secum trahit executionem: & sic appellatio non impedit denunciationem, quia hoc non est de nouo excommunicare. An excommunicatio lata post appellationem probabilem valeat, & sit publicanda, præsertim si iudex appellationis declaret appellationem esse nullam? Item excommunicatus est priuandus fructibus, sed si non habet vnde viuat, est ei prouidendum de fructibus. Item si postea excommunicatio declaretur nulla, potest repetere fructus intermedios. Item est excommunicatus vbique. An idem dicendum sit de suspenso ab ordinario suo.

1044 *Cap. LIV.* Sollicitudinem.

QVando quis appellat ad Papam & postea Episcopus illum, vt contumacem excommunicat: si qui appellauit ad Papam, recurrit ad Archiepiscopum, vt declaret excommunicationem post appellationem latam esse nullam, licet protestetur se velle prosequi appellationem ad Papam, dicitur tantum appellationi tacite renunciare. Archiepiscopus enim non potest cognoscere de his, quæ concernunt appellationem ad Papam: & si cognoscit, Episcopus potest appellare. Si verò euidenter, & notoriè constet mandatum Episcopi fuisse indiscretum, cui subditus non tenebatur obedire, tunc Archiepiscopus declaret subditum nō esse excommunicatum, & cognoscat causā, quia ille iam renunciauit appellationi ad Papā factæ.

Glos. Idem iuris est in accessorio, quod in principali: id est, principale spectat ad superiorem, vt ad Papam, ergo & accessorium. Item proponens contra non auditur.

1045 *Cap. LV.* Dilectis.

PEr appellationem legitimam non solum principalia, sed etiam accessoria reseruantur iudici appellationis. Item sententiæ excommunicationis, & interdicti post appellationem latæ, sunt nullæ.

Glos. Excommunicatio non potest suspendi, nec eius effectus, nisi à Papa: interdictum verò potest suspendi ad tempus. Item cum dubitatur an teneat excommunicati appellatio? potius est citandus, licet in textu oppositum appareat.

1046 *Cap. LVI.* Vt nostrum.

POstquam Papa reuocat ad se aliquam causam, processus facti deinde per minorem iudicem non valent, ac si ab eo fuisset legitimè appellatum. de hoc casu vide *infra: t. ecclesiastica beneficia.*

1047 *Cap. LVII.* Oblatæ.

QVando partium vna appellat si pars præuenit terminum prosequendi, & impetrat litteras commissionis à Papa ad alios iudices, hoc tacito, si terminus fuit datus à iudice, vel ab appellante; & secundæ litteræ non faciunt mentionem de primis, non est standum illis. si terminus fuit à iudice, idest per annum, vel iudicio iudicis per duos annos, est standum secundis, nisi nimium procurauerit, vt supplantet appellantem in commissione impetranda. Item si ex dilatione immineat periculum, iudex ad quem suppleat, partes compellendo ad prosequendum.

Glos. Terminus iuris ad prosequendum, idest annus, potest abbreuiari à iudice, & ab appellante; non tamen prorogari.

1048 *Cap. LVIII.* Per tuas.

IVdex appellationis, si fuit appellatum post litem contestatam, & nunc altera pars est contumaciter absens, potest litem terminare, sententiando pro vt de iure, cum liquet de meritis causæ.

Glos. Si possessor est præsens, & actor contumaciter absens, siue fuerit prius lis contestata, siue non; si liquet de causa, potest dari definitiua sententia; si non liquet, absoluat reum ab obseruatione iudicij, & condemnet actorem ad expensas.

1049 *Cap. LIX.* Vt debitus.

QVi coram iudice idoneo ante sententiam appellat ad superiorem, sine rationali causa, non admittitur, sed debet prosequi sententiam, suamque iustitiam coram eodem suo iudice ordinario non obstante, quod dicat, se destinasse nuncium ad superiorem, vel etiam si dicat se impetrasse litteras à superiore, si litteræ non dum sunt assignatæ delegato. Si verò appellat cum rationabili causa, tunc causa est exponenda coram iudice à quo, quæ debet esse talis, quæ si fuerit probata, superior debet cognoscere de appellatione: & si deinde causa non probabitur, iudex superior remittat illum ad inferiorem, & condemnet illum ad expensas alteri parti, saluis tamen constitutionibus de maioribus causis ad Sedem Apostolicã reseruandis.

Glos. Ius huius decret. valet coram quocumque iudice litigetur, etiam coram delegato, & subdelegato, quia dicitur idoneus. Item valet si appelletur post sententiam, quia tunc est standum iuri antiquo. *cap. cordi nobis eod. in 6.* Item nota, quod clausula illa, remota appellatione, hodie re vera nihil operatur, cum adest causa appellandi probabilis. Multi multa dicunt, quos vide: sed ponitur potius ad cautelam, quia plus timeri solet, quod specialiter prohibetur, quam quod generaliter. Item ad quem sit appellandum? Resp. si ab ordinario ad proximum superiorem; potest tamen, omissis medijs appellari ad Papam: si à delegato ab vniuersitate causarum, vt à Vicario Episcopi, non est appellandum ad Episcopum, sed ad superiorem Episcopi, vel immediate ad Papam: si à delegato ad vnam causam tantum, & à Principe, appellabitur ad Principem tantum: si ab alio, ad eum, vel ad Principem: si à subdelegato delegati Principis, si tota causa est ei commissa, appellabit ad solum Principem: Si vero delegatus aliquid iurisdictionis sibi retinuit, tunc si rescriptum est, remota appellatione, non poterit appellare ad Prin-

ad Principem, vel ad Papam, sed solum ad delegatum: si non est remota appellatione, potest etiam ad Principem, vel ad Papam appellare, & in hoc valeret clausula contra aliam.

Glos. Si à subdelegato delegati à non Principe potest appellari ad delegatum, vel eo ommisso ad Principem: & hæc sunt intelligenda secundum Canones, non secundum leges. Item per secundum rescriptum, in quo non fit mentio de primo, non tollitur iurisdictio extraordinaria, sed ordinaria, si res est integra; si non est integra, sed cœpta per solam citationem, iurisdictio ordinaria non tollitur, nisi fiat mentio de hoc. Item citatio facit rem non integram, & non sola præsentatio, & sic post solam præsentationem ordinarius, vel alius iudex potest præuenire. Item iudex sententiabit, an causa sit probabilis: si dubitat, deferat appellationi. Item iudex appellationis quæ debeat iudicare, vide.

1050 *Cap. LX.* Cum cessante.

SI iudex committendo, vel interloquendo profert, & sequitur, & pars grauatur, & appellat: si dictus iudex reuocat illud grauamen, potest in causa principali vlterius progredi, nisi aliunde sit suspectus.

Glos. Reficiat sumptus partis, si quos fecit. Item interlocutoria transit in rem iudicatam parti intra decem dies, sed non iudici, quin illam reuocet.

1051 *Cap. LXI.* Cum speciali.

QVi allegat iudicē suspectum, assignet causas suspicionis coram eodem, deinde ipse cum aduersario si habet; & si non habet, cum iudice communiter eligant arbitros; & si non possunt conuenire, quisque eligat suum, qui iudicet de suspicione; & si non conueniunt, vocent tertium, & stetur dicto duorum. & si causa suspicionis non probetur legitima, iudex vtatur sua iurisdictione: & si probatur, de consensu recusantis committat causam personæ idoneæ, vel remittat ad superiorem. vide *cap. legitima eod. in 6.* Item quando excessus est manifestus euidentia rei, vel eius confessione, vel alio legitimo modo, non admittitur appellatio. quando est dubius, exponat coram eodem iudice causam appellationis, & si est probabilis detur terminus competens pro loco, tempore, & negocio: & si non curat prosequi, Iudex procedat ex officio etiam non comparente aduersario. si prosequitur appellationem & causam probat, iudex superior procedat; si non probat, remittat ad inferiorem. tem hæc constitutio, & illa, Sacro. de sententia excommunicationis,

non loquuntur de regularibus contra speciales obseruantias.

Glos. Ista constitutio intelligitur de iudice ordinario, quando procedit ex officio suo contra aliquem ad famam, & clamorem, non aliter; idest non de delegato, quia non potest alteri committere negocium.

1052 *Cap. LXII.* Cum causam. *Honor. iij.*

QVando procurator corrigit errorem aduocati sui dicentis falsum contra partem, lis non dicitur contestata, & iudex non potest recipere testes. Item nec potest iudex approbare testes receptos à subdelegatis subdelegatorum: si aliquid horum facit, licitè appellatur; & quicquid post appellationem fecerit, est irritum.

Glos. Confessio aduocati præiudicat parti, nisi eodem die reuocetur; quod si non eodem die, sed ante litis contestationem, videtur sic. Item delegatus ab alio quam à Principe, si est ad vniuersitatem causarum, potest etiam subdelegare. Item an in appellatione sit causa dicenda.

1053 *Cap. LXIII.* Dilecto.

APpellans debet docere, non solum quod opposuit exceptionem legitimam, & appellauit; sed quia legitima exceptio opposita non fuit admissa, ideo appellauit.

Glos. De hoc *infra. cap. interposita, eod. in 6.*

1054 *Cap. LXIV.* Nicolao militi.

SI appellans præfigit terminum, & non mittit deinde sufficientem procuratorem ad prosequendam appellationem, sed ad aliud, vt ad impetrandum, vel contradicendum; tunc tamquam contumax condemnabitur ad expensas partis personaliter prosequẽtis.

Glos. Si non fuit præfixus terminus, nec appellatio fuit approbata ab aduersario, sufficit mittere ad contradicendum. *cap. interposita, eod. in 6.*

1055 *Cap. LXV.* Sua nobis.

A Definitiua sententia licet possit semel, & bis appellari, non tamen potest tertiò appellari, si fuit confirmata.

1056 *Cap. LXVI.* Dilecti.

NOn licet appellare ad superiorem iudicem, omisso medio, quando opponitur hæc exceptio.

Glos. Gradatim est appellandum nullo medio omisso, & debet

opponi

opponi exceptio hæc coram superiore, & hoc de iure, nisi aliud sit ex consuetudine. & loquitur de ordinarijs, non de subdelegatis. Item ad Papam quilibet potest immediatè appellare. Item ab officialibus Episcopi appellandum est ad Archiepiscopum, ab Archidiacono ad Episcopum, non ad Archiepiscopum, nisi consuetudo sit contraria. Ex consuetudine etiam non valet appellatio ab officiali Episcopi ad Episcopum.

1057 *Cap. LXVIII.* Ex parte. *Greg. ix.*

QVando aliqua definit esse tutrix ob secundas nuptias, non potest conueniri nomine pupilli in vita; & si conuenitur, licitè appellat.

1058 *Cap. LXIX.* Intimasti.

QVando iudex est dubius, & vult consulere superiorem, debet dare copiam consultationis partibus, aliter ei non creditur.

1059 *Cap. LXX.* Significante.

PEndente dilatione, & lite non contestata officium iudicis quiescit, & nihil potest facere, nisi de consensu partium: & si quid facit, est reuocandum ad pristinum. Item si procurator missus ad prosequendam appellationem excedit fines mandati, & interim annus transit, appellans post annum auditur.

Glos. Iudex data dilatione nihil facere potest ante terminum altera parte inuita.

1060 *Cap. LXXI.* Interposita.

QVi appellat ex causa probabili non sufficit si coram iudice appellationis probet se appellasse ex causa probabili, sed debet etiam probare illam causam esse veram: sed si coram iudice à quo se obtulit probare veritatem causæ, & non fuit admissus, non tenetur coram iudice appellationis illam probare, sed satis est probare se appellasse, *cap. ex causa probabili, cap. ex parte de testibus*. Item si appellatio non recipitur à iudice, nec ab aduersario approbatur, est licitum appellanti per procuratorem ad impetrandum & contradicendum constitutum, litteras impetrare, licet pars contraria sit parata recipere iudicium à Sede Apostolica. Item post appellationem dum non est alij cognitio delegata, potest appellans denuo reuocare causam ad iudicem à quo, etiam contradicente parte, dummodo ei soluat expensas factas pro dicta appellatione. Item quando quis appellat à grauamine, & coram iudice appella-

tionis est paratus probare grauamen, & pas aduersa contumaciter se absentat, potest iudex in hoc procedere, etiam lite non contestata.

Glos. Appellans sit cautus circa duo: primo offerat se causam probaturum, quia deinde non oportebit probare causam esse veram: secundo, cum recipitur appellatio à iudice, vel à parte, prosequatur per procuratorem ad totam causam, ne soluat expensas. Item in negocijs ecclesiasticis non est seruandus rigor iuris, sed potius æquitas; vt est procedendum lite non contestata, cum principaliter agatur de iniquitate iuris.

1061 *Cap. LXXII.* Inquisitioni.

Clausula, appellatione remota, si ponatur in medio litterarum continentium plura negotia, se minime contigentia, respicit solum superiora; si repetatur in fine, respicit omnia.

Glos. Determinationes respiciunt tantum præcedentia, & non consequentia, quando sunt diuersa negotia.

1062 *Cap. LXXIII.* Vna sententia.

Quando est idem negocium, & eadem causa defensionis multorum, qui communi iure iuuantur; si vnus appellat, & vincit, victoria prodest omnibus, secus non.

1063 *Cap. LXXIV.* Si iustus.

Qui iusto metu impeditur, ne appellet, & si intra decem dies coram iudice à quo, quem si habere non potest, coram bonis viris protestatur se non audere appellare, & exprimat causas appellationis; intelligitur iam appellasse.

Glos. Quomodo causa sit exprimenda, & an sit necesse, vide.

IN SEXTO LIBER II.

DE APPELLATIONIBVS. Tit. XV.

1064 *Cap. I.* Cordi nobis.

Qui appellat ad Papam in iudicio, vel extra super interlocutoria, vel grauamine, debet causam appellationis assignare in rescriptis, & petat apostolos, quos iudex à quo tenetur exhibere, in quibus exprimat causã appellationis, & cur causam

ſam non admiſerit, & ſi detulerit ei ob reuerentiam ſuperioris. Item ad proſequendum præſcribat terminum conuenientem, habita ratione perſonæ, loci, & negocij. Item ſi appellatus vult, & petat, debet Romam ire, vel per ſe vel per idoneos procuratores, cum omnibus ſcripturis & monimentis cauſæ non ſolum ad proſequendum appellationem, ſed etiam cauſam principalem, ſi ita iudicauerit Papa: immo poteſt tractari cauſa principalis, ommiſſo articulo appellationis, de conſenſu tamen partium. & ſi appellans præmiſſa non obſeruet, reputabitur non appellans, & redibit ad priorem iudicem, & condemnabitur ad expenſas legitimas. Si appellatus præfata contemnat, procedatur in eum, tanquam contumacem, tum in expenſis, tum in cauſa, prout de iure. Iuſtum eſt enim, vt in eum iura inſurgant, qui ius, & iudicem, & partem eludit. Item per hæc non mutantur ea, quæ ſtatuta ſunt in antiquo iure in appellatione à definitiuis ſententijs.

Gloſ. In appellante ab interlocutoria, vel grauamine extraiudiciali, quatuor requiruntur: primo appellet in reſcriptis: ſecundo exprimat cauſam appellationis: tertio quæ cauſa ſit rationabilis, licet quæ ſi eſſet vera inferret appellantem eſſe grauatum: quarto det apoſtolos appellanti petenti, poteſt tamen accipere tempus ad deliberandum, quos apoſtolos ſit daturus. Vide *Panor. cap. cum ceſſante eod.* Item licet appellans habeat à iure pro termino ad proſequendum annum, & ex cauſa biennium: *cap. Romana eod.* poteſt tamen iudex abbreuiare terminum ad proſequendum, non tamen ad finiendum. Item Archiepiſcopus cognoſcens de cauſa appellationis non poteſt retinere cauſam principalem, nec cognoſcere, etiam de conſenſu partium, niſi finito articulo appellationis dicat bene appellatum, male iudicatum; ſecus de Papa. An idem ſit de interlocutoria habente vim definitiuæ, vide *deciſ. Rot. in nouis* 13. Item Apoſtoli ſunt litteræ teſtimoniales. An in appellationibus ab alios, quam ad Papam habeat locum hæc conſtitutio.

1065 *Cap. II.* Legitima.

IVdex allegatus ſuſpectus aſſignet arbitris iam electis competentem terminum, intra quem terminent negocium ſuſpicionis: alioquin iudex ex tunc procedat in negocio principali. vide *cap. ſuſpitionis de offic. deleg.*

Gloſ. Hic textus loquitur de arbitris iuris, non de compromiſſarijs: & ſi eligantur tres, ſufficiunt duo, ſi conueniant, *cap. fin. de arbit. in* 6. Item arbitri non debent eſſe laici, non ſuſpecti, quia

possent etiam recusari non multum remoti, & sint in locis competentibus, vbi possit haberi copia peritorum. Item text. loquitur quando suspicio est contra ordinarium, vel delegatum à Papa, secus si est officialis Episcopi, vel plures. *cap. si contra de offic. deleg. in 6.* Item quæ sint causæ recusationis, vide Host. de caus.

1066 *Cap. III.* Romana.

AB officiali Episcopi non est appellandum ad Episcopum, quia sunt idem tribunal, sed ad Archiepiscopum.

Glos. Consuetudo contraria non valet. Item à subdito Episcopi, vt ab Archidiacono, & archipresbitero, est appellandum ad Episcopum, & non ad Archiepiscopum, nisi sit consuetudo contraria. Item iudex appellationis ante sententiam diffinitiuam non debet citare partes, vel citationem alijs committere, nisi prius cognoscat fuisse expressam causam probabilem. Item si pars appellata proponat coram iudice appellationis negocium non esse per appellationem deuolutum ad ipsum, quia non appellauit intra decem dies, vel aliquod necessarium omiserit; tunc iudex appellationis non potest inhibere iudici ordinario, vt non procedat in causa, nisi prius ei constet negocium esse deuolutum per legitimam appellationem.

Glos. Non debet ei constare de veritate appellationis. Item si obijciatur non fuisse appellatum ex causa legitima ante sententiam, prius incipiat cognoscere de causa, an sit rationabilis, & vera; postea inhibeat. Item si dicatur fuisse appellatum post sententiam in casibus iure prohibitis, si incipit cognoscere vtrum sit recipienda, vel non appellatio, potest inhibere iudici, ne sententia mandetur executioni. Item si feratur sententia de aliqua re, & tu appellas, & tertius te molestet de eadem re, iudex appellationis non se intromittat in hac molestia, quia non est sui iuris, nisi aliquo modo impediretur appellatio. Item iudex appellationis præter appellationem non potest appellantem eximere à iurisdictione ordinarij in alijs causis. Item ab Episcopis est appellandum ad Archiepiscopos in causis in quibus habent temporalem iurisdictionem; idest ad iudicem ecclesiasticum, non ad laicum, nisi esset in feudum. Item iudex appellationis non reuocet sententiam excommunicationis, suspensionis, & interdicti esse nullam, latam à iudice à quo, nisi vocatis partibus, & cognito prius de appellatione. Item iudex appellationis statim ac cognoscit fuisse male appellatum, remittat causam ad eundem iudicem à quo.

Glos. Licet regulariter non possit appellari omisso medio, ad altiorem, tamen si Archipresbiter est sub subdiacono, potest appellari ab

ri ab Archipresbitero ad Episcopum, omisso subdiacono, quia concurrit cum inferioribus prælatis.

1067 *Cap. IV.* Vt super.

IVdex à quo, si requisitus non tradit apostolos iusta. cap. cordi, & procedit, eius processus est nullus, nisi fuerit antea appellationi renunciatum.

Glos. In hoc cap. supponitur cap. non solum de eod. infra.

1068 *Cap. V.* Cum appellationibus.

CVm quis appellat ante sententiam, sed iniustè, & iudex ordinarius eam non admittit, tamen iudex appellationis cognoscens iniquè appellatum, eodem die remittit appellationem ad eumdem iudicem, & eum condemnat in expensis, si verò prior iudex detulit appellationi, quia à se consequenter abdicauit causam; iudex appellationis non tenetur remittere causam ad priorem: sed potest, si vult, cognoscere de tota causa, vel potest remittere, si vult. si verò sit appellatum post sententiam, seruentur iura antiqua, vt dictum est.

1069 *Cap. VI.* Ab eo qui. *Bonifac. viij.*

APpellans, si intra triginta dies non petit instanter apostolos à iudice, intelligitur renunciare appellationi, etiam si vadat, vel mittat ad eam prosequendam. Item illud, quod dicitur in *cap. vt super in eo.* quod iudex requisitus, si non tradit apostolos, & procedit in causa, processus est nullus; intelligitur si non est requisitus cum debita instantia, ideſt iteratis vicibus, & loco, & tempore congruo, & expresse deneget malitiosè, vel negligenter, illos dare, permittat intra tempus.

Glos. Si appellatum est intra decem dies, tunc triginta dies currunt à die sententiæ; si post decem dies, non.

1070 *Cap. VII.* Non solum.

IVdex ad quem reuocabit omnia attentata ante appellationem, & post definitiuam sententiam, exceptis casibus, in quibus iura prohibent appellare post sententiam. Item reuocabit etiam omnia attentata post sententiam diffinitiuam, & ante appellationem in decennio, ac si fuissent innouata post appellationem. Item illa, quæ sunt innouata post appellationem, siue ante definitiuam sententiam, non reuocabit nisi prius constiterit causam appellationis esse veram. excipitur quando iudici appellationis constat negocium

esse

esse sibi deuolutum per appellationem ex causa probabili, qui inhibuit canonicè, ne procedat: tunc enim sunt hæc ante omnia in statum pristinum reducenda.

Glos. Quid si fuisset attentatum non à iudice, sed à parte, vel à tertio? Item quando appellatur ab interlocutoria, quid aget. Item qui sunt casus, in quibus iura prohibent appellare. Vide.

1071 *Cap. VIII.* Concertationi.

QVi putat se grauatum in actibus extraiudicialibus, vt in electione, postulatione, prouisione; si vult, potest appellare intra decem dies, post quos licet non possit appellare, potest tamen vti alijs remedijs iuris, vt debitè contradicendo, dummodo interim non consenserit electioni.

Glos. Ab actibus extraiudicialibus potius est prouocatio, quam appellatio. *cap. cum sit Roman. eod.* Item hic tit. valet in appellatione pro grauamine iam illato, non de inferendo, quod timetur. Item decem dies ad appellandum mihi currunt à die, qua scio me grauatum, & non ab actu illo.

1072 *Cap. IX.* Appellatio.

APpellatio in scriptis porrecta, licet à iudice non fuerit lecta, valet.

1073 *Cap. X.* Si à iudice.

QVando quis appellat pro grauamine illato, si iudex à quo præfigit terminum ad docendum se fuisse grauatum, appellans non tenetur adire, & veritatem grauaminis probare. si verò datur terminus appellanti ad audiendam causam grauaminis, & appellans non comparet, & iudex à quo in termino cum effectu, & re ipsa reuocat grauamen; tunc potest iudex à quo libere in causa procedere, ac si non fuisset interposita appellatio.

Glos. Iudex non potest reuocare sententiam definitiuam, sed bene potest interlocutoriam. v.g. grauantem. *cap. cum cessante de eod.* An appellans, si coram iudice à quo probat veritatem appellationis, dicatur renunciare appellationi.

1074 *Cap. XI.* A collatione.

QVando quis vult appellare à collatione facta à capitulo, & Episcopo, si Episcopus interuenit vt Prælatus, non potest appellare ad Episcopum; si vt Canonicus, potest appellare ad eumdem Episcopum.

Glos.

Glos. Episcopus, quando est vt prælatus in capitulo, non habet vocem, sed solum potestatem concludendi secundum partem capituli. Item quomodo cognoscetur Episcopum esse in capitulo vt canonicum, lege *d. cap. postulantis de concess. praben.* Et si Episcopus non habet primum locum, censetur vt canonicus, vel si est statutum, &c. & si non probatur contrarium, præsumitur ibi esse vt Prælatus, & tunc appelletur ad Archiepiscopum, vel Papam.

1075 *Cap. XII.* Licet.

QVando fertur sententia interlocutoria, per quam reijcitur exceptio præiudicans negotio principali, vel reddens iudicium nullum, & reus non appellauit ab interlocutoria; si deinde appellat à definitiua, quæ postea vltra decem dies promulgatur, tunc iudex appellationis potest etiam emendare grauamen illatum per illam interlocutoriũ; secus si interlocutoria non parit præiudiciũ negocio principali, oportet enim tũc ab ea etiam appellasse.

CLEMENTIN. LIB. II.

DE APPELLATIONIBVS.

Tit. XII.

1076 *Cap. I.* Si à iudicibus.

QVando sunt plures iudices in vna causa, si appelletur coram maiori parte eorum, valet appellatio, ac si ab omnibus simul præsentialiter fuisset appellatum; & potest petere apostolos ab ipsis separatim: sed est facienda legitima intimatio appellato ingnoranti, appellationis, dilationis, & termini præfixi.

Glos. Per hunc titulum potest quis à singulis iudicibus separatim appellare, & in singulis appellatio debet esse communis omnium: sed si tantum esset vnus à quo, potest tantum ab eo appellare. Idem etiam de petitione apostolorum. Item quando appellatio talis est, quæ ipso facto deuoluit causam, non requiritur intimatio nescienti. Item quando appellatur ab interlocutoria, vel definitiua, debet vt in text. intimare appellationem ante: si verò ab electione, postulatione, vel prouisione, sufficit tantum intimare appellationem. Item sufficit, si intimetur eius procuratori in causa constituto. Item si nullum iudicium potest habere, appellet coram honestis personis. Item sciens non debet certificari, sed præsumitur ignorantia.

Cap.

1077 *Cap. II.* Quamuis.

LIcet rigor iuris velit, vt apostoli petantur sæpius, instanter, congruo loco, & tempore, tamen sufficit, si vnico contextu sæpius, & instanter petantur. Item si iudex à quo assignet certum terminum ad accipiendos apostolos, & appellans in illo termino non petat illos, intelligitur renunciasse suæ appellationi. Idem dicendum, quando iudex assignat in certum terminum, vt iuris, & ille non petit, dicitur renunciare. Item si iudex non dederit apostolos appellanti petenti intra præfixum tempus, vel si dixit se daturum intra præfixum iuris terminum, & postea non curat dare petenti, congruo loco, & tempore, sæpius, & instanter, vnico contextu: tunc appellans potest prosequi suam appellationem, ac si fuissent expresse illi negati apostoli.

Glos. Tempus iuris ad petendos apostolos sunt triginta dies à lata sententia.

1078 *Cap. III.* Sicut appellatione.

APpellans tenetur infra annum prosequi, & definire suam appellationem iudicialem, vel extraiudicialem, incipiendo à die appellationis, vel grauaminis, si appellauit à grauamine: quod si non fecerit, nec aliquod iustum impedimentum impediuit, appellatio censetur deserta.

Glos. Dies appellationis non computantur in termino anni, quia dictio, à, coniuncta numero dierum excludit diem primum. Quando tempus assignatum pro termino incipit currere, vide.

1079 *Cap. IV.* Quamdiu.

QVando post appellationem prosequutio appellationis de expresso consensu partium differtur, tempus, siue ab homine, siue à iure præfixum non currit, dum manet dilatio: nisi iudex videns periculum imminere ex dilatione præciperet procedi in illa, idest tempus currere, v.g. dum fit compromissum.

1080 *Cap. V.* Appellanti.

QVi appellat ab interlocutoria, vel à grauamine, non potest prosequi alias causas, sed illas tantum, quæ nominatim sunt expressæ in appellatione. Item processus primi iudicis non potest iustificari vel impugnari ex nouis, aut de nouo probandis, sed tantum ex illis, quæ coram ipso fuerunt exhibita, vel acta.

Glos. Quando quis appellat à definitiua, potest ex causis non expressis

expressis verificare appellationem, quia in appellatione à definitiua non exprimitur causa, sed satis est dicere, Appello à vestra definitiua sententia iniqua iniusta.

1081 *Cap. VI.* Si appellatione.

QVando appellatio per negligentiam appellantis est deserta, vt si non petijt apostolos, vel non comparuit in termino assignato, vel non introduxit suam appellationem intra terminum assignatum, & postea prosequitur appellationem desertam; hoc non obstante sententia lata transit in rem iudicatam, ac si non fuisset appellatum.

1082 *Cap. VII.* Cum à repulsione.

QVi appellat à replusatione exceptionis peremptoriæ bis, & succumbit prima, & secunda vice, non potest tertio appellare à definitiua sententia. Excipitur, si prima, & secunda vice fuit repulsus, quia excipiebat inepte proponendo, nunc vero rite proponit, & sic audiendus.

DECRETALIVM LIBER II.

DE CLERICIS PEREGRINANT. Tit. XXIX.

1083 *Cap.* Conquerente. *Cælestin.iij.*



Vi accedunt ad Sedem Apostolicam, ipsi cum rebus suis sunt securi sub protectione Apostolica: & si quid eorum durante itinere ablatum fuerit, est illis restituendum, quia contra peregrinantem ad Sedem Apostolicam nil est innouandum.

DECRETALIVM LIBER II.

DE CONFIRMATIONE vtili, vel inutili. Tit. XXX.

1084 *Cap. I.* Si quis. *Alex.iij.*



VANDO res est litigiosa, idest mota est lis de re, in actu, & aliquis hoc tacito impetrat confirmationem à Papa; confirmatio non tenet, quia subreptitia, & iudex potest procedere in cognitione causæ. Sed si quando petijt confirmationem, pacificè rem possidebat, deinde oritur quæstio, tunc iudex non potest decernere, aut definire quæstionem, sine mandato Sedis Apostolicæ.

Glos. Lite pendente non valet confirmatio, vel priuilegium obtentum super re litigiosa, hoc tacito. Res dicitur litigiosa; quando est quæstio de dominio rei, non de possessione. Item res litigiosa non potest transferri ad aliam personam. Item confirmatio non dat ius nouum: sed quod habebas, ideo remanet litigiosa, vt prius. Item confirmatio ad hoc, vt lis orta non cognoscatur à iudice, debet fieri à Papa.

1085 *Cap. II.* De confirmationibus.

IVdex non potest iudicare contra confirmationem Papæ, nisi de speciali eius mandato, aut certum sit, quod per falsi suggestionem fuerit elicita.

Glos. Vt in præcedenti capitulo.

1086 *Cap. III.* Bonæ memoriæ. *Cælestin.iij.*

QVando quis appellat à sententia, & impetrat litteras à Papa; appellatus vero præueniens impetrat à Papa confirmationem sententiæ, non facta mentione de appellatione: tunc non valent illæ litteræ, sed secundæ primi appellantis. Si autem in primis dicatur, nullo præiudicio facto iustitiæ, & veritati, tunc valebunt litteræ, sed suspendetur earum rigor, donec fuerit declaratum de iniquitate sententiæ.

Glos. Si quis non facit mentionem de appellatione partis aduersæ, litteræ non valent. Item per clausulam generalem, v.g. nullis litteris

litteris, &c. nihil reuocatur. ficut legatio in generali de fundo, nullo fundo demonftrato non valet: fed debet fieri mentio expreffa de primis litteris.

1087 *Cap. IV.* Cum dilecta. *Innoc. iij.*

IVs ciuile difponit, vt quando timetur de teftibus, ne veritas fortuitis cafibus fubtrahatur, funt recipiendi teftes valetudinarij, & alij de quibus probabiliter timetur. Eadem ratione priuilegia ecclefiaftica vetuftate confumpta funt renouanda: fed ex renouatione non acquiritur nouum ius ecclefiæ; fed illud, fi quod habebat.

Glof. Mulier poteft effe procuratrix. Item contra Romanam ecclefiam non currit præfcriptio, nifi 100. annorum. Item eo ipfo, quod ecclefia eft in diœcefi alicuius, præfumitur illi fubeffe.

1088 *Cap. V.* Ad noftram.

COnfirmatio, quam impetrauit Religiofus à Papa fuper temporali adminiftratione pro perfona particulari, fi tacuit fe effe religiofum, eft irrita, & nulla, quia non confueuit ecclefia confirmare regularibus perfonis aliqua perfonaliter.

Glof. Confirmatio beneficij, vel adminiftrationis perfonaliter religiofi tacentis non valet; realiter valet in fauorem religionis: primæ enim tacita veritate fuerunt fubrepticiæ.

1089 *Cap. VI.* Porrecta.

IDem quod in præcedenti. & addit, quod talis religiofus eft puniendus, vt au&or falfitatis.

1090 *Cap. VII.* Examinata.

SEntentia vel arbitrium latum contra formam iuris, licet fit confirmatum à Papa, non valet.

Glof. Nec tenet fi eft latum contra formam mandati, nec fi eft confirmatum in forma communi.

1091 *Cap. VIII.* Venerabilis. *Honor. iij.*

QVando Papa confirmat ex certa fcientia, licet verbum, confirmamus, præcedat tenorem compofitionis infertum; & licet apponatur claufula (ficut fine prauitate prouide facta eft) tamen valet confirmatio, & compofitio, quia ly ficut non ponitur conditionaliter, fed caufatiuè.

Glof. Compofitio amicabilis poteft fieri inter laicos, & eccle-

fiam


ſiam ſuper decimis, ſi interueniat auctoritas Papæ, ſecus non. Item quando Papa ex certa ſcientia confirmat compoſitionem, vel tranſactionem, illa tenet, etiam ſi alias non teneret.

1092 *Cap. IX.* Sua nobis

QVando per Legatum Papæ confertur eccleſia, vel beneficium, & confirmatur deinde à Papa, per eiuſmodi collationes, & confirmationes non læduntur iura diœceſani: ſed debet illi obedire prouiſus in iuribus ordinarijs.

Gloſ. Legatus non poteſt ſubijcere vnam eccleſiam alteri in præiudicium Diœceſani Epiſcopi: nec Papa confirmans intendit præiudicare. Et ſi Papa accipiat aliquem in ſuam protectionem, ille non eximitur à iuriſdictione ſui ordinarij. *cap. ex parte de Priuil.*

FINIS LIBRI SECVNDI.



DE-

DECRETALIVM
LIBER TERTIVS.
DE VIT. ET HONEST. CLER.
Tit. I.

1093 *Cap. I.* Vt Laici.



VANDO sacra celebrantur, seu diuina officia, Clerici in Choro per cancellos diuiso debent stare separati; itaut Laici non præsumant stare, vel sedere secus altare inter Clericos: sed eis ad orandum tantum, vel communicandum liceat in locum, qui dicitur Sancta Sanctorum, intrare. Concil. Mogunt.

Glos. Laicus, vel mulier etiam sacrata non fert incensum circa altare, ***can. sacratas dist. 23.***

1094 *Cap. II.* Clerici.

CLerici arma portantes. Item vsurarij excommunicatur. Not. quod qui possunt excommunicari, mortaliter supponuntur peccasse. Concil. dicta.

Glos. Clerici non debent portare arma sine iusta causa, vt si, v.g. per loca periculosa eis sit transeundum, quo casu ad terrorem latronum tantum ea ferre possunt. Quod si absque iusta causa ferant, & moniti non desistant, perdunt priuilegium can. si quis suadente. Item vsurarij, quamuis Laici, sunt excommunicandi; quod si sint Clerici, sunt suspendendi ab officio, & beneficio, & spoliandi sunt dignitatibus. ***cap. inter dilectas de exces. prælat.*** & etiam deponi possunt, si de hoc conuincantur. ***can. quoniam multi dist. 47.***

1095 *Cap. III.* Vt quisque.

PResbyter habens Parochiam debet habere Clericum, qui secum cantet epistolam, & lectionem legat, qui possit scholas tenere, & admonere patres, vt mittant filios ad discendam Doctrinam Christianam in ecclesia, quos ipse cum omni castitate erudiat. Item si non est Subdiaconus, Diaconus dicat Epistolam, & Sacerdos Concil. platisc.

Euangelium more Diaconi. Nota, solum presbyterum non debere diuina officia celebrare.

Glos. Non debet ecclesia dedicari, nisi dos pro duobus clericis ad minus sufficiat. *can. placuit*, 1.*q*.2.

1096 *Cap. IV.* Si quis. *Gregor.ix.*

CLericus, qui comam relaxat, anathema sit. Notandum, quod comam nutriens in contemptum Ecclesiæ, est excommunicandus, & non est excommunicatus ipso iure.

Glos. Qui semel sumpsit habitum, non debet illum dimittere, nisi ex iusta causa. *inf. eod. cap. clerici*.

1097 *Cap. V.* Clericus.

CLericus, neque comam nutriat, neque barbam.

Glos. Non debet clericus, nec barbam, nec comam nutrire, nisi ex iusta causa, idest ex timore.

1098 *Cap. VI.* Clericus.

SI clericus, qui non est in sacris, nec est professus religionis, accipiat vxorem, illam non dimittat, sed coronam ferat. vide de hoc *cap. Ioannes, de cler. coniug.*

1099 *Cap. VII.* Clericis.

CLerici, qui comam nutriunt, & barbam, etiam inuiti à suis Archidiaconis sunt tondendi.

1100 *Cap. VIII.* Monasteria. *Alex.iij.*

SI clericus præsumit frequentare monasteria monialium sine causa rationabili, arceatur ab Episcopo: & si non desistit, suspendatur ab officio ecclesiastico; Laicus verò excommunicatur.

Glos. Ad excusandum aliquem, qui facit contra canonem, non sufficit causa rationabilis, sed debet esse manifesta. *cap. clericus dist.*91. Item frequentare dicitur, qui per duas vices facit. *cap. ita nos* 25. *quæst.* 2.

1101 *Cap. IX.* Quoniam. *Greg..vij.*

EPiscopus, si facultates ecclesiæ sufficiunt, potest statuere certum numerum clericorum, qui viuant in communi; & potest compellere contradictores ad hanc obseruantiam per suspensionem officij, & beneficij, vel grauiori pœna, non obstante appellatione. Item si quis horum viuentium in communi sit excommunicatus ob percus-

percussionem socij, potest Episcopus eum absoluere, & pœnitētiam illi imponere, dummodo atrocitas facti grauiorem pœnam non expetat.

Glos. Hoc cap. intelligitur de regularibus, hos enim potest eorum superior absoluere ab excommunicatione.

1102 *Cap. X.* Cum ab omni. Trid. sess. 25. Ref. c. 10.

IVdices, vel delegati ecclesiastici non accipiant decimam, vel quotam litis, etiam si esset consuetudo, vel si laici id accipiant nomine assessorum: quia gratis est iudicandum, & venales sententiæ à iure etiam ciuili reprobantur.

Glos. Iudices delegati, cum extra domicilium proficiscuntur, possunt accipere expensas. Item possunt accipere sumptus ex sententia, & xenia, idest exculenta, & poculenta in parua quantitate, nisi clientes sint pauperes; ab his enim nec sumptus recipi debent. Item ordinarius non accipit expensas, quia habet salarium. tamen fallit, quando consecrat ecclesiam, vel visitat prouinciam suam: & si ordinarius dat delegatum, ipse ordinarius ei faciat expensas. Item assessor potest recipere mercedem. Item sententia venalis non valet, & absque appellatione reijciatur.

1103 *Cap. XI.* Deus, qui.

QVi mittuntur prædicare nouiter conuersis, si sunt professi diuersæ religionis, & habitus, ne populi scandalizentur, debent accipere communem, & honestum habitum, vt sint conformes.

Glos. Not. quod ob scandalum receditur à iure, & ab habitu regulari, sed ad tempus, & tantum ex causa. Item in professione religionis semper intelligitur excepta authoritas Papæ, quantum ad solemnitates, non ad substantiam ordinis, vt in iuramento: quare prædicti religiosi debent se confirmare in habitu exteriori, sed interius debent ferre vestes congruentes suæ religioni.

1104 *Cap. XII.* Cum decore. Trid. 24. Ref. 12.

LVdi theatrales non fiant in ecclesia, nec per clericos sacros: nec obstat consuetudo, quia est corruptela inquinans honestatem ecclesiæ.

Glos. Est prohibitum causa ludibrij vti habitu religioso. Item non prohibetur representare mysteria festiuitatum, vt Pastores, Herodem, Magos, &c. quia sunt ad compunctionem potius, quam ad lasciuiam, vel voluptatem, pro vt in Paschate repræsentatur sepulchrum Domini, ad excitandam deuotionem.

1105 *Cap. XIII.* Vt Clericorum.

Trid. ses 25. Ref. 14. CLerici præsertim in sacris viuant caste, abstinendo se à libidinis vitio, præsertim illo, propter quod venit ira Dei; & peccantes puniantur canonicè pro qualitate delicti.& si ob hoc peccatum suspensus præsumpserit celebrare diuina,spolietur ecclesiasticis beneficijs,ac perpetuo deponatur:& Prælati,qui præsumpserint tales peccantes sustinere,maximè intuitu pecuniæ,vel alterius commodi temporalis,puniantur pari pœna; & clerici qui habent coniugem si peccant, grauius puniantur, quia possunt vti legitimo matrimonio.

1106 *Cap. XIV.* A crapula.

CLerici à crapula, & ebrietate abstineant, nec incitetur quisquam ad bibendum, nec teneatur obligationem exequi de sumendo potus æquales: & qui est culpabilis in prædictis, & à superiore monitus non satisfaciat, ab officio,& beneficio suspenditur.

1107 *Cap. XV.* Clerici.

CLerici non exerceant officia, vel commercia secularia, maximè inhonesta. Item mimis, ioculatoribus,histrionibus non intendant (idest non sint). Item tabernas vitent, nisi ob necessitatem itineris. Non ludant ad aleas, & taxillos, nec talibus ludis intersint. Item habeant coronam, & tonsuram congruentem. Item diligenter se exerceant in officijs ecclesiasticis, & alijs bonis studijs. Item deferant clausa indumenta de super, quæ non sint nimis longa, vel breuia. Item non vtantur pannis rubeis, vel viridibus, nec manicis, aut sotularibus consuticijs, frænis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam superfluitatem gerentibus. Item cappas manicatas non gerant in ecclesia sua ad officium diuinum, etiam, qui sunt in sacerdotio, vel dignitate: nec alibi, nisi ob timorem, liceat habitum transformare. non ferant fibulas, nec corrigias cum auro, vel argento, nec anulos, nisi sint in dignitate. Pontifices in publico, & in ecclesia ferant indumenta linea, nisi sint monachi, qui debent ferre habitum monachalem. Pallijs diffibulatis non vtantur in publico, sed vel post collum, vel ante pectus hinc inde connexis.

Glos. Qui deficit ab officio suo,exercendo officia secularia,degradatur: *can. clericus dist.* 91. Item clericus lusor alearum, vel spectator punitur. Item quòd perditor in ludo alearum potest repeti. Item ecclesiastici in vestibus conforment se consuetudini loci. Item potest clericus ex causa iusta deponere habitum (vt ob

metum

metum, v.g.) nec erit apostata. Item ex anulo præsumitur matrimonium. Item monachus factus Episcopus non penitus liberatur à regula monachali.

1108 *Cap. XVI.* Ex litteris. *Honorius iij.*

Clerici exercentes secularia negotia, si ter moniti non resipiscant, non gaudent priuilegio clericali, sed subiacent statutis, & consuetudini patriæ, & hoc in facultatibus tantum, nam in illis ipso facto renunciant priuilegio clericali. Not. quod clericus vsque ad tertia monitionem gaudet priuilegio clericali, vltra non.

Glos. Clericus non potest solis verbis suo renunciare priuilegio: cap. si diligenti de foro competenti. Item clericus bene viuens gaudet priuilegio clericali, non solum in persona, & rebus ecclesiasticis, verum etiam in rebus proprijs. *can. ecclesiarum seruos* 12. *quæst.* 2. Item clericus vxoratus etiam tonsuratus non gaudet priuilegio. Item priuilegium ad tempus ob delictum suspendi potest. *can. curatos* 15. *q.* 6.

IN SEXTO LIBER III.

DE VIT. ET HONEST. CLER. Tit. I.

1109 *Cap. I.* Clerici. *Bonifac. viij.*

Clerici qui se faciunt ioculatores, goliardos, seu buffones, si per annum hoc exerceant, sunt ipso iure omni priuilegio clericali priuati: si minus anno ter admonentur ab ordinario, & non desistunt, priuantur per sententiã omni priuilegio clericali. Clericus habet multa priuilegia, de quibus in *c. si quis suadente.*

Glos. Clericus largè est dignitas, & qui detrahit dignitati, amittit priuilegium dignitati concessum, non personæ.

Glos. Ioculatores sunt, qui in publico faciunt spectaculum sui corporis. Vnde non prohibentur facere in occulto aliquid ioci, ob infirmitatem, vel ex alia honesta causa.

Glos. In hoc casu per annum perdunt clerici priuilegium est ius clericale ipso facto, etiam non præuia: admonitione: & hoc nouum. Item actus damnatus vocatur ars, sic etiam vsura vocatur ars. Item breue tempus hic intelligitur intra annum, post verò dicitur longum, vel vetus. *Cap.* 1. 35. *q.* 8. vbi de hoc.

CLEMENTIN. LIB. III.

DE VIT. ET HONEST. CLER.

Tit. I.

1110 *Cap. I.* Diœcesanis.

ORdinarij moneant clericos exercentes publicè offitia carnificum, seu macellariorum, vel tabernariorum, vt infra certum terminum ab illis præfigendum desistant, & quod nullo vnquam tempore illa reassumant. & si ter personaliter moniti non desistunt, vel deinde reassumunt, tunc clerici coniugati omni careant priuilegio clericali, non coniugati careant in rebus priuilegio; & si tanquam laici incedant, careant etiam in personis, eo ipso, quamdiù in præmissis perstiterint. Item ordinarij contra alios clericos, qui faciunt negotia secularia, vel officia non conuenientia clericatui, publicè, ita seruent canones, quod illos compescant, ita vt ipsi non reprehendantur de negligentia damnabili. Not. quod contra facientes huic dispositioni peccant mortaliter. Item sufficit monitio in verbo, sed est facienda à suo Prælato, non ab ordinario alterius loci, nisi delinquant in sua diœcesi.

Glos. Clericus exceptus subiacet ordinario loci in hoc. Item monitio fit ter, & non semel peremptoriè. Item licet sit necessaria monitio, non tamen est necessaria sententia priuationis, quia eo ipso. Item clericus abstinens à prædictis recuperat priuilegia.

1111 *Cap. II.* Quoniam.

CLericus beneficiatus, qui sine causa rationabili vtitur veste virgata, est suspensus ipso iure per sex menses à perceptione fructuum beneficiorum: si non est beneficiatus, sed Diaconus, vel Subdiaconus, est inhabilis statim ad habenda beneficia ecclesiastica. Idem statuit de clericis, qui talem vestem ferunt, & publicè tonsuram clericalem. Item qui habent dignitatem, personatum, beneficium curatum, vel si sint sacerdotales & religiosi, publicè ferant talem vestem, vel infulam, seu pileum lineum publicè portent in capite, sunt suspensi à fructibus per annum; sacerdotes autem, & religiosi sunt inhabiles ad beneficia per annum. Item omnes ecclesiastici seculares, qui vtuntur tabardo foderato vsque ad oram ita breui, quod vestis inferior notabiliter, videatur dent tabardum pauperibus infra mensem, siue sint religiosi habentes administrationem, siue clerici seculares. Religiosi verò non habentes administrationem

nem, infra idem tempus teneantur illud consignare suis superioribus in vsus pios conuertendum. Item clerici, præsertim beneficiati, non vtantur publicè caligis scacatis rubeis, aut viribus.

Glos. Istæ pœnæ habent locum solum in vestibus hic expressis. Item clericus suspensus, si accipit fructus, non fit irregularis. Item fructus sunt distribuendi interessentibus socijs, si sunt distributiones quotidianæ; si verò sint alij redditus, accrescunt ecclesiæ. Item clericus vtens veste, sine tamen tonsura, non incurrit hanc pœnam. Item monachus licet ferat habitum suum, tamen, si eum cooperit habitu clericali, dicitur apostata. Vide *cap. 2. de cler. vel mon. in 6.* Item per beneficium intelligitur etiam pensio, quam quis habet in titulum. Item monachus, qui de licentia sui superioris est in studio, vel peregrinatur, potest facere gratuitam eleemosinam moderatam. ita Host. in sum. de pœn. & remis. §. quibus, & qualiter per cap. præterea de off. deleg.

EXTRAV. COMMVN.

LIBER TERTIVS.

DE VIT. ET HONEST. CLER.

Tit. I.

1112 *Cap. I.* Docta sanctorum. *Ioann. xxij.*

IN officijs diuinis, vt horis canonicis & missis solemnibus, non præsumant cantare musicas lasciuas, sub pœna suspensionis ab officio per octo dies: possunt tamen canere vltra cantum ecclesiasticum aliquas consonantias, quæ melodiam faciant.

DECRETALIVM LIB. III.

DE COHABIT. CLER. ET MVL.

Tit. I.

1113 *Cap. I.* Inhibendum.

NVllus sacerdos retineat fœminas, de quibus potest esse suspicio, sed eas solum, quas iura permittunt, vt mater, amita, soror: & has, si ijs indigeat, habeat in domo longè à conuersatione sua. Item fœminæ non præsumant accedere ad altare, Conf. Mog. Trid. ses. 24 Ref. 8.

altare, nec presbytero ministrare, nec intra cancellos stare, vel sedere.

Glos. Loquitur hic textus de suspectis, vt de iuuenibus: Secus quando nulla est suspicio mali. Item clerici possunt cohabitare cum mulieribus in linea transuersali vsque ad secundum gradum, in recta vero descendenti, seu ascendenti vsque ad quartum gradum, *can. cum omnibus* 81. *dist.*

1114 *Cap. II.* Si quisquam.

PResbyter, diaconus, subdiaconus, si ter monitus inueniatur loqui, vel conuersari cum fœmina suspecta de crimine fornicationis cum eo, est excommunicandus, & fœmina canonicè est punienda.

Glos. Nomine sacerdotis intelliguntur inferiores ordinati, sicut nomine clerici intelliguntur superiores. Item fœmina ob crimen fit fori ecclesiastici.

1115 *Cap. III.* Clericos. *Alex. iij.*

ORdinarij non debent cogere clericos in sacris constitutos & publicè concubinarios, vt eas abiurent, ne redeuntes sint periuri; sed cogant per suspensionem, & interdictum: & si deinde reincidunt, excommunicent aliquos illorum.

Not. quod quando præsumptio est, ne quis sit seruaturus iuramentum, non est cogendus ad iurandum: quia nemini parandus est laqueus.

1116 *Cap. IV.* Sicut.

CLerici in sacris, si moniti contemnunt relinquere concubinas, suspendantur à beneficijs, donec plenè satisfecerint: & si suspensi præsumpserint concubinas retinere, remoueantur à beneficijs perpetuo.

Glos. Alij clerici in minoribus ordinibus constitutis sunt compellendi, vt dimittant mulieres concubinas; sed non cum tanto rigore, vt nimirum priuentur beneficijs. *cap. si autem inf. eod.* Item quando notoriè constat, clericum esse concubinarium, vel per sententiam est condemnatus, est ipso iure suspensus: secus, suspendendus tantum est.

1117. *Cap. V.* Super eo.

LItteræ obtentæ à Papa per presbyterum concubinarium suspensum ab officio, vt absoluatur, si non continent seriem facti, non ei prosunt. Not. quod clericus concubinarius occultus, si appellat, auditur.

Glos.

Glos. Appellationis litteræ, vt valeant, debent continere feriem facti, ideſt explicare omnes cauſas, cur fuerit excommunicatus, vel ſuſpenſus. cap. cum pro cauſa de ſent. excom. alias eſſent impetratæ tacita veritate, & ſic non valerent. *c. dilectus ſupra de reſcript.*

1118 *Cap. VI.* Si autem.

CLerici concubinarij in maioribus, vel minoribus, ſi ſecundo, vel tertio moniti, eas non dimittunt, poteſt Epiſcopus vltra officij interdictionem eos ſpoliare eccleſijs, vel earum portionibus, appellatione poſtpoſita.

Glos. Quod dicitur eſſe eccleſijs priuandos, videtur intelligi vt ſupra in cap. ſicut: quod primo ſuſpendantur, deinde poſt tertiã admonitionem priuentur beneficijs. ſed vere de iure ſtatim priuari poſſunt. vnde quod in d. *cap. ſicut*, dicitur ſuſpendendos eſſe primo loco, intelligitur ex gratia.

1119 *Cap. VII.* Veſtra. *Lucius iij.*

NOtorium crimen eſt, de quo presbyter canonice condemnatur; occultum, quod ab eccleſia tolleratur. A concubinarijs publicis, ideſt ab eccleſia condemnatis (quod eſt publicum iuris) vel ſi habent operis euidentiam (quod eſt facti) populus non debet diuina myſteria audire, nec alia ſuſpicere ſacramenta: non quia ſacramenta ſint inualida, ſed ad talis ſacerdotij arcendam licentiam. Ab occultis, & toleratis eſt licitum recipere ſacramenta.

Glos. Fama manifeſtum, & notorium differunt. Fama eſt ſtatus illæſæ dignitatis vita, & moribus comprobatus, & in nullo diminutus: quæ aliquando procedit ex ſcientia, aliquando ex ſuſpicione, aliquando ex certo auctore, quandoque ex incerto, *can. ſanctum eſt diſt.* 4. Manifeſtum dicitur quod procedit ex ſcientia, & certo auctore, & quod poteſt probari. *l. hæredes ff. qui teſtam. fac. poſ.* quandoque tamen occultum etiam dicitur id, quod poteſt probari. *l. eos. §. ſi quis autem* C. *de appell.* Notorium facti eſt, quod nulla poteſt tergiuerſatione celari. *cap. tua inf. eod.* & in hoc nullus appellans auditur. *c. cum ſit Romana ſupra de appell.* in quo notorio creditur ſimplici officiali, nec requiritur ſcientia omnium, ſed plurium. Notorium vero iuris, id eſt quando eſt confeſſus, vel condemnatus, & ſi negetur hoc notorium, quandoque eſt probandum. Notorium præſumptum eſt, vt paternitas, filiatio, conſanguinitas. Item occultum dicitur, quod eccleſia non vendicat; & licet plures ſciant, tamen reputatur occultum, quandiu ab eccleſia tolleratur.

1120 *Cap. VIII.* Tua nos.

SI concubinatus clerici ita est publicus, vt appelletur, notorius (idest vt nulla possit tergiuersatione celari) non requiritur testis, nec accusator ad hoc, vt puniatur. Si est publicus, non ex euidentia, sed ex fama, non sufficiunt testimonia sola ad condemnandum, quia non testimonijs, sed testibus est iudicandum (idest testibus iuratis). Quod si habetur talis suspicio de clericis, vt scandalum generetur in populo, tunc est indicenda canonica purgatio, quam si noluerint, vel non valuerint præstare, sunt puniendi secundum canones. Nota, quod in notorijs facti non requiritur probatio. Item, quod deficiens in purgatione punitur, quia tunc fama præsumptiua accipitur pro veritate. Item nolle se purgare, & deficere in causa, accipitur pro eodem.

Glos. Non est iudicandum per dicta testium, nisi iurent. Item per solam suspicionem, siue famam, nisi scandalum oriatur, non est indicenda purgatio.

1121 *Cap. IX.* A nobis.

Trid. ses. 25 Ref. c. 14.

FÆminæ non sunt permittendæ habitare cum clericis, nisi ita sint consanguineæ, vt nulla suspicio sit criminis.

Glos. Naturale fœdus excludit præsumptionem mali. *cap. cum in iuuent. de præsumpt.*

1122 *Cap. X.* Quæsitum. *Gregor ix.*

CLericus fornicarius, licet pro peccato mortali quoad se ipsum sit suspensus, tamen non est suspensus quoad alios, & non est uitandus in diuinis officijs, nisi peccatum sit notorium per sententiam, vel confessionem, vel euidentiam rei.

Glos. Aliquis dicitur suspensus quoad se tantum, quando est in peccato mortali. can. testamentum dist. 6. quoad se verò, & quoad alios dicitur suspensus, vt in cap. vestra eod. & de simon. cap tanta. quandoque tandem quis dicitur suspensus quoad alios, & non quoad se, vt quando locus est interdictus pro delicto ciuium, vel Principis secularis. Item clericus in crimine fornicationis existens vel simoniæ tantum, est euitandus, quamuis occulto, quia est suspectus ipso iure: in alijs non item, quantumcumque notorium sit ipsum crimen. *can. præterea §. verum 32. dist.*

DE-

DECRETALVM LIBER III.

DE CLER. CONIVGAT. Tit. III.

1123 Cap. I. Si quis. *Alex. iij.*



SI clericus in minoribus contrahat matrimonium, cogatur per censuras ecclesiasticas dimittere beneficia, & retinere vxorem; si erat in sacris, cogatur per suspensionem, & excommunicationem dimittere vxorem, & agere pœnitétiam de commisso.

Glos. Beneficia clerici vxorati vacant ipso iure, sed coguntur dimittere quoad solum factum, & possessionem, quia facto contrario renunciarunt suo iuri. Item beneficium non potest conferri coniugato, nisi cum eo dispensetur. Ansit priuatus ipso iure, vel priuandus? dic secundum.

1124 Cap. II. Sanè.

CLericus coniugatus non est capax beneficij, nisi voueat perpetuam castitatem, & coniux fuerit vna, & virgo, nec possunt admitti ad sacros ordines, vel administrationes ecclesiasticas.

Glos. Quando vouent castitatem, debent habitare separatim, etiam si sint senes, & absque suspicione copulæ. si verò sint iuuenes, non possunt promoueri, nisi transeant ad religionem. *cap. cum sis preditus*, & *cap. Apostolicam*, & *cap. coniugatus de conuers. coniugat.* Item an qui prius corrupit virginem, quam postea desponsauit, possit ordinari in sacris. Dic quod sic, quia iste verè in plures non diuisit carnem suam. argumento can. Valentino 34. dist.

1125 Cap. III. Quod à te.

CLerici in minoribus sunt spoliandi beneficijs, si contrahant: & si quid de proprijs bonis ecclesiæ titulari contulerunt, eis restituitur.

Glos. An quando clericus attulit aliquid suæ ecclesiæ, & monachus monasterio, si recedit, sit ei restituendum, vel alij monasterio in quod transit dandum? Respondetur varie. Primo si sponte sua recedit, nihil est dandum: si auctoritate iudicij, dandum est. Secundo omnis donatio facta ecclesiæ tempore ingressus, vel monasterio, habet hanc tacitam conditionem, vt duret illo perseuerante: secus si dona-

si donauit ecclesiæ non transiens ad illam; tunc non reuocatur, quia perfecta est donatio, nisi fuisset expressa aliqua conditio in donatione. Tertio, & verior: non sunt restituenda de stricto iure, sed tantum de benignitate, vt loquitur hic textus. Si res tempore ingressus fuerunt expressè datæ, nunquam restituuntur; si tacitè, sunt dandæ, quia sequuntur personam, tanquam accessorium, principale. Aduerte in addit. quod clericus in sacris faciens matrimonium, suspectus est de hæresi. not. *supra cap. primo eodem*.

1126 Cap. IV. Sanè. *Innoc. iij.*

EPiscopi possunt dispensare cum sacerdote, qui de facto contraxit matrimonium, post actam pœnitentiam, & vitam laudabilem: si sunt continentes, vt exerceant ordines in officio suo, ex indulgentia; secus ex rigore, & ante pœnitentiam. Nota, quod Episcopus potest dispensare, si sacerdos contraxit cum virgine; secus, si non cum virgine, vel fuit bigamus; idest, dum erat sæcularis, habuit aliam vxorem.

1127 Cap. V. Diuersis.

EPiscopus debet priuare beneficijs, quæ tempore contractus matrimonij clericus habebat: si verò post contractum Episcopus scienter contulit beneficia ecclesiastica tali clerico, illis non Episcopus, sed superior eius priuet.

Glos. Non Episcopus, sed superior priuat: quia nemo contra factum suum potest venire; secus si ignoranter contulit. An Episcopus possit collata beneficia reuocare, vt bona ecclesiæ alienata? Resp. bona alienata ecclesiæ potest repetere, collata beneficia, non. causas vide ibi. Item à quo conferantur illa beneficia, quibus spoliatus est is, cui post matrimonium ab Episcopo fuerunt collata? Resp. quòd in illis, in quibus deuoluitur potestas à capitulo ad Episcopum, & è contra, conferuntur à capitulo; in alijs verò ab Archiepiscopo.

1128 Cap. VI. Cum olim.

FIlius sacerdotis græci, ex legitimo tamen matrimonio natus, potest ordinari ritu latino, licet pater sit in ritu græco; nisi consuetudo regionis repugnet, tunc enim esset inhabilis.

Glos. Latini in sacris tenentur ad continentiam non solum ex consuetudine ecclesiastica, sed ex voto, quod faciunt tacite. *can. quoniam, can. aliter, & can. Nicæna dist. 31.*

1129 *Cap. VII.* Ioannes.

CLericus in minoribus coniugatus non poteſt gaudere priuilegio clericali, & ſic non tenetur ferre tonſuram, dummodo non percipiat beneficium, ratione cuius debeat ferre tonſuram, eò quia redundaret in vituperium miniſterij.

Gloſ. Clericus vxoratus non amittit omne priuilegium clericale, videlicet *can. ſi quis ſuadente* 17. *quæſt.* 4. poteſt tamen vexari aliqua exactione in perſona vel rebus. Item multa ſunt priuilegia; & vno amiſſo alia non amittit. Item clericus non tonſuratus debet ter moneri, ad hoc vt priuilegium ammittat. Item non poteſt renunciare ſuo priuilegio. *cap. contingit de for. compet.* Item clericus coniugatus non poteſt habere beneficium, niſi Papa diſpenſet. Hoſt. intelligit textum de clerico coniugato non beneficiato, ſed habente ſtipendium ab eccleſia, non tamen in titulum; nam ſi conſuetudo eſt, debet ferre coronam.

1130 *Cap. VIII.* Cum decore.

CLerici vxorati non admittuntur ad dignitates eccleſiaſticas; & quas habent, dimittere debent.

Gloſ. Nec ſimplicia beneficia clericus coniugatus poteſt habere. *cap. primo. cap. ſane eodem.*

1131 *Cap. IX.* Ex parte. *Honor. iij.*

CLerici coniugati amittunt priuilegium clericale, & poſſunt vexari à laicis.

Gloſ. Clericus coniugatus etiã tonſuratus non gaudet priuilegio clericali. *cap. Ioannes ſupra eodem.* Item clerici non coniugati, qui ſe immiſcent negotijs ſecularibus, ſi ter moniti non deſiſtant, perdunt priuilegium. *cap. vlt. de vit. & honeſt. cleric.*

1132 *Cap. X.* Vt conſultationi.

CLericus, ſi in minori ætate fuit tonſuratus, ſi deinde fiat miles, non eſt cogendus ferre habitum, & tonſuram.

Gloſ. Clericus tonſuratus tantum non eſt cogendus ferre habitum, & tonſuram; quia poteſt renunciare priuilegio.

IN

IN SEXTO LIB. III.

DE CLERICIS CONIVGATIS. Tit. II.

1133 *Cap. I.* Clerici. *Bonifac. viij.*

Clericus coniugatus cum vna, & hac virgine, ferens tonsuram, & vestes clericales, gaudet duobus priuilegijs. Primo *cap. 1. si quis suadente*. Secundo, quod pro delictis non potest trahi ad tribunal laicale, nec criminaliter, nec ciuiliter, nec à seculari potest condemnari in persona, nec in pecunijs. cætera priuilegia non habet; immo si non defert coronam & vestes, amittit etiam ista duo. Not. quod clericus coniugatus, vt gaudeat priuilegio, debet ferre non solum vestem superiorem, sed etiam inferiores, si sint patentes: quia si fert inferiorem laicalem, habetur vt laicus. Item clericus coniugatus, licet gaudeat his duobus priuilegijs, non tamen potest esse Vicarius, quia in alijs est vt laicus. Item bigamus nullo gaudet priuilegio.

Glos. Mulier debet esse desponsata in virginitate, ad hoc vt clericus coniugatus gaudeat priuilegio clericali, & non sufficit si ab eodem fuit prius corrupta, licet alij aliter dicant. Item clericus contrahendo renunciat rescripto de obtinendo vacaturam; quia contrahendo renunciat per ipsum factum, & animum deposuit: quo casu ius etiam in re perditur, ergo multo magis ius ad rem. *cap. vlt. de conces. præbend.*

DECRETALIVM LIB. III.

DE CLER. NON RESID. IN ECCL. vel præben. Tit. IV.

1134 *Cap. I.* Non liceat.

Trid. sess. 6. Ref c. 1. & 2. sess 23. Ref. cap. 9.

Nulli Episcopo sine licentia Papæ licet transire ex suo Episcopatu ad alium acceptando; quia cùm nemo soleat transire ad minorem, præsumitur ambire maiorem.

Glos.

Glos. Episcopus transiens, vt supra, perdit vtrumque Episcopatum: sic nec alij inferiores absque licentia Episcopi. *cap. admonet supra de renunciat.* Item dubia in peiorem partem sunt interpretanda. *cap. 2. de elect.* Item facilius dispensatur cum eo Episcopo, qui transit ad maiorem Episcopatum, quàm cum eo qui transit ad parem, vel minorem. *cap. licet, de transact.*

1135 *Cap. II.* Ex gestis.

CArdinalis per quinquennium nō residebat, & canonicè admonitus non se correxit, sed adhuc in alienus morabatur, fuit canonice depositus à suo tit. parrochiali. Nota hoc idem de quolibet Prælato, qui suam ecclesiam deserit.

1136 *Cap. III.* Quia.

VNus non potest habere plures dignitates ecclesiasticas, vel plures ecclesias parochiales: & quando de ecclesio, vel ministerio ecclesiastico est prouidendum, eligatur persona, quæ possit residere in loco, & exercere curam per se ipsum; & si secus fiat, accipiens amittit beneficium: & qui dedit, priuatur potestate conferēdi. Trid. ses. 6. Ref. 2.

Glos. Qui habet ecclesiam in aliquo causa potest seruire per Vicarium, vt cum parochialis ecclesia esse annexa dignitati, vel præbendæ. Item quædam possunt fieri per alios, quædam non. Vide ibi. Item qui indigno contulit ecclesiam, priuatur ea vice facultate conferendi. *cap. cum in cunctis de elect.*

1137 *Cap. IV.* Relatum est. *Alex. iij.*

SI præsentatus ad ecclesias, vel ad beneficia possit residere, & nolit, non est admittendus, & admissus est remouendus non obstante appellatione, nisi absit de licentia superioris ob studium, vel ob honestas causas.

Glos. Nota hunc textum intelligi, si præsentatus promittit residere, quia verba cum effectu sunt recipienda. Item loqui de curato non de beneficiato simplici, vt in *cap. peruenit de appellat.*

1138 *Cap. V.* Fraternitati.

CLericus alterius diœcesis non est recipiendus sine litteris commendatitijs sui Episcopi, vel de mandato Papæ.

Glos. Commendatitiæ litteræ vel dimissoriæ dicuntur, quibus dimittitur, & absoluitur à potestate sui Episcopi, in quibus sit fides de vita, & ordinibus. Item clericus sine licentia Episcopi sui non debet dimittere suam ecclesiam. *cap. admonet de renunciat.* Item dimisso-

dimissoriæ dicuntur etiam litteræ, quæ dantur appellantibus, vulgo Apostoli. Aduerte in addit. quod si litteræ dimissoriæ sint amissæ, possunt probari per testes.

1139 *Cap. VI.* Conquerente.

QVi non residet in beneficio, etiam modicæ æstimationis, illo priuatur. Nota, quod qui habet sufficiens benefitium, & agat de alio, non est audiendus. Item qui non seruit ecclesiæ, non potest accipere aliquid de beneficio in illa ecclesia.

Glos. Nomine victus intelligitur vestitus, *l. verbo victus, ff. de verb. signif.* Item in sufficientia beneficij consideratur plura, vt nobilitas, scientia dignitas, itaut sufficiat sibi, & suis, & hospitalitatem seruare queat, & pro soluendis iuribus Episcopalibus. *cap. multa. cap. de monac. tit. sequenti.* Item clericus debet residere in sua ecclesia, alias potest priuari, præcipuè si est in dignitate: nec absens potest aliquid accipere, nisi sit in contrarium consuetudo. Sed aduerte, quod hodie seruatur *Trid. sess. 6. de reformat. c. 2. & sess. 23. eod. cap. 1.* Item de iure communi nemo potest habere plura beneficia, quorum vnum sufficit. *cap. cum teneamur tit. seq. cap. cum adeo de rescript.*

1140 *Cap. VII.* De cætero.

CAnonicus, qui est in seruitio Episcopi, potest accipere fructus beneficij, ac si esset præsens, sed non distributiones.

Glos. Qui est in seruitio Episcopi, dicitur seruire ecclesiæ; & sic reputatur pro præsenti quoad perceptionem beneficij, & multò magis si inseruit Papæ. *cap. cum dilectus.*

1141 *Cap. VIII.* Ex parte. *Cælestin. iij.*

QVi abest ab ecclesia, & per longum tempus, vt per decennium est citandus, vt veniat: & si vocatus non vult venire, eligatur alius pro illa dignitate.

Glos. Pro minori tempore, clericus, vel prælatus potest priuari, sed semper est citandus: nam non citatus, non conuictus, vel confessus, vel per contumaciam absens non est priuandus. *cap. inter quatuor de maior. & obed.* etiã si sit vagabũdus. Sed si alibi permisit in titulari recipiendo secundũ beneficium, potest priuari primo; imò ipso iure vacat primnm. *c. litteras, & c. cum nostris de concess. praben.* Item decanus debet residere, alioquin priuabitur. Quod autem sit officium decani, colligitur ex consuetudine. Item iusta causa excusat absentiam ad certum tempus, si in termino præfixo non venit.

Cap.

1142 *Cap. IX.* Qualiter. *Innoc. iij.*

ARchiepiscopus, qui temere non residet, & vocatus non venit, priuatur, & eligatur alius transacto certo termino. Trid. ses. 6. Ref. 1 & ses. 23. Ref. 1.

Glos. Habet ecclesiam pro derelicta, qui monitus non venit, vel facit aliquid incompatibile; vt si contrahat matrimonium. *cap. 1. supra de cler. coniugat.*

1143 *Cap. X.* Inter.

CLerici habentes ecclesias, vel præbendas si sine iusta, & necessaria causa, præsertim sine consensu ordinarij sunt absentes, & citati, intra certum tempus præfixum non veniunt, possunt priuari beneficijs.

Glos. Clerici, etiam si habeant iustam causam, tamen debent petere licentiam ab ordinario. Item beneficiatus ob absentiam priuatus probans impedimentum suæ absentiæ, est restituendus. *cap. vlt. inf. eod.*

1144 *Cap. XI.* Ex tuæ.

CLericus non residens, si fraudulenter se absentat, vt non citetur, poterit ter publicis edictis citari in sua ecclesia: & si non obedit, & inter sex menses non redit, debet priuari ecclesia secundum ius canonicum.

§. Contra eos. Contra talem clericum absentem procedatur per suspensionem, & excommunicationem, vt obediatur. Quod si non obediat, Cardinalis Legatus eum amoueat ab administratione spiritualium, etiam si sit Episcopus, prouidendo ecclesias de personis idoneis: non tamen in eum ferat sententiam degradationis; vel, si expediat, misericorditer possit agi cum illo. Trid. ses. 5 Ref. 1.

Aduerte ex Hostien. quod si intra Prouinciam facit sui copiam, non potest procedi ex edicto, quod non peruenisset ad eum, nec potest procedi contra latitantem ex edicto non solemniter proposito.

Glos. An in casu isto mora purgetur. Item spoliari potest, id est suspendi ab administratione temporalium per istum textum. Item iste textus loquitur de Prælatis tantum. *cap. quoniam frequenter vt lit. non contest.* Item Legatus, licet ex mandato generali possit contra alios, tamen non potest contra Episcopos, nisi ex speciali mandato. *d. c. quoniam frequenter, vt lit. non contest.* vel agatur de crimine. Item arguitur ex isto textu, quod qui deposuit, non potest restituere depositum.

1145 Cap. XII. Tuæ fraternitatis.

QVi causa studij de licentia superioris est absens, & percipit fructus sui beneficij, si se transfert ad villas vel castella, in quibus vel non est, vel minus competens est exercitium studiorum, non potest percipere fructus: quia fraus nulli debet patrocinari. Nota quod indulgentia debet intelligi secundũ mentem cõcedentis.

Glos. Nomine studij intelligitur bonum studium; & est idem esse minus competens, ac nullum studium.

1146 Cap. XIII. Ex parte. *Honor.iij.*

QVi iurat residere in sua ecclesia, postea sine fraude se absentat ad defendenda, vel prosequenda iura suæ ecclesiæ, non dicitur periurus, sed debet censeri residens. Nota quod qui pro vtilitate suæ ecclesiæ est absens, dicitur præsens, & non periurus.

Glos. Si esset in seruitium Episcopi vel Papæ, nec dicitur periurus. Item iuramentum aliquando extenditur ad ea, de quibus non fuit dictum, vel cogitatum. Item quòd potest esse absens pro facto proprio: quia in iuramento excipitur factum proprium, quia in generali sermone semper persona loquentis excipitur.

1147 Cap. XIV. Cum dilectus.

FAmiliares Papæ in absentia percipiũt fructus suæ præbẽdæ, quia pro præsentibus habentur, non obstante cõstitutione cõtraria.

Glos. Non debet habere talis familiaris Papæ absens victualia, seu distributiones. *cap. de cætero supra eod.*

1148 Cap. XV. Ad audientiam.

CAnonici, qui sunt in seruitio Episcopi, possunt accipere fructus præbendæ, non obstante constitutione & iuramento; quia qui sunt pro seruitio Episcopi, vel ecclesiæ, dicuntur esse præsentes. Nota, quod infirmus intelligitur quasi seruire, & sic integrè percipit præbendam.

Glos. Absentes nihil possunt percipere, nisi sit de consuetudine approbatum. *de constitut. cap. cum omnes.* Item Episcopus potest habere tantum duos canonicos pro suo seruitio; & si plures, priuantur beneficio suo. Item, licet isti duo percipiant fructus præbendæ, non tamen distributiones.

Cap.

1149 *Cap. XVI.* Cum ad hoc. *Greg. ix.*

SI absentes priuilegiati à Papa, vel Episcopo, sint tanti, vt ecclesia destituatur ministris, Episcopus reuocet canonicos, & beneficiatos, priuilegiis non obstantibus: & si non venerint, de ipsorum præbendis faciet ecclesiæ inseruire; & si quid superest de redditibus, conuertat in vtilitatem ecclesiæ. Nota, quod ordinarius non potest tales absentes priuare ex priuilegio, & gratia Papæ, licet de iure possit; si autem diu durant in contumacia, potest illos ex toto priuare.

Glos. Indulgentia concessa subditis spirat post mortem concedentis, si sit in præiudicium ecclesiæ.

1150 *Cap. XVII.* Clericos.

QVi habent beneficia requirentia residentiam, ab Episcopo possunt priuari, si absque ipsius licentia transeunt morandi causa in aliam diœcesim, & moniti non redierint, neque ostendant rationabilem excusationem.

Glos. Clericus, etiam cum iusta causa non potest se absentare sine licentia Prælati. *cap. relatum eod.* Item si clericus absens habet ecclesiam pro derelicta, vt si matrimonium contraxit, vel factus est miles, vel ioculator, vel accepit aliam curam; vbi hoc constat, Episcopus statim conferat ecclesiam. Si verò non habet pro derelicta, tunc Episcopus moneat, & faciat, vt hic, & in *cap. ex tua* supra dicitur. Item rationabilis excusatio, v.g. esset infirmitas, capitalis inimicitia, vel alia iusta causa, ob quam venire non potest: & tunc si procederetur, non ei præiudicat: sic intemperies aëris, vel timor mortis, vel fractio pontis.

IN SEXTO LIBER III.

DE CLER. NON RESID. IN ECCLES. vel præben. Tit. III.

1151 *Cap. I.* Consuetudinem. *Bonifac. viij.*

DIstributiones, quæ manualia beneficia, seù victualia vocantur, non dentur, nisi canonicis beneficiatis, & clericis, qui diuinis officijs in ipsis ecclesijs intersint secundum distributionem rationabilem factam, vel faciendam pro horis ca-

 nonicis.

nonicis. Qui verò absens aliquid distributionum accipit, totum restituat, nisi infirmitas, vel iusta, & rationabilis corporis necessitas, vel euidens ecclesiæ vtilitas excuset. Item idem seruandum est pro distributionibus, & anniuersarijs defunctorum.

Glos. Ex consuetudine corpus præbendæ potest dari absentibus, non tamen dantur distributiones. Item si Papa dispensat, quod absens accipiat prouentus suos, tanquam præsens, non accipit distributiones; quia ex dispensatione habetur pro præsente, non pro interessente diuinis officijs. Sed si in dispositione diceret, *ac si præsens esset, & interesset diuinis officijs*, tunc acciperet etiam distributiones. Nota in addit. quis dicatur in seruitio Papæ. Item propter infirmitatem, quæ excusat à celebratione diuinorum, dispensatur, vt qui non intersit accipiat distributionem. Item propter vtilitatem etiam idem reputatur præsens, & idem recipit distributiones. *cap. exposuisti, supra de præben.* Not. in addit. quod famulus ægrotans habebit salarium. Item qui vadit ad horas principaliter propter denarium, est simoniacus mentalis, vt ibi dicitur in fine.

DECRETALIVM LIB. III.

DE PRÆBEN. ET DIGNIT. Tit. V.

1152 *Cap. I.* Vt nullus.

Côc. Picta



BONA ecclesiastica non acquiruntur iure cõsanguinitatis. Nota, quod hæreditaria successio non habet locum in spiritualibus.

Glos. Ecclesiastica bona, vel quæ intuitu ecclesiæ sunt quæsita, siuè mobilia, siuè immobilia sint, nullo modo transeunt ad consanguineos, nec ex testamento nec ab intestato: secus in bonis intuitu personæ acquisitis, vel de hæreditate alicuius ad clericos prouenientibus, transeunt enim ad consanguineos ex testamento, & hoc non stante ab intestato. *cap. 1. de testam. & inf. de instit. cap. ad decorem.*

Trid. sess. 21. cap. 2. 1153 *Cap. II.* Non liceat.

NOn licet Episcopo ordinare clericos, nisi vel habeant titulum, vel ipse Episcopus illi det vnde viuant.

Glos.

Glos. Licet textus loquatur de omnibus ordinibus, tamen ecclesia Romana non consueuit cogere Episcopos dare ordinatis sine titulo, vnde viuant, nisi in sacris eos ordinauerit:

1154 *Cap. III.* Ratio. *Greg.*

BOna ecclesiastica cum sint data pro communi vtilitate, nemo debet applicare vsibus proprijs.

Glos. Appropriare tunc bona ecclesiastica dicitur sibi clericus, cùm ita sua putat, vt possit ea alienare; hoc verò non contradicit diuisioni præbendarum.

1155 *Cap. IV.* Episcopus. *Alex.iij.*

SI Episcopus aliquem ordinat in diaconatu, vel Presbyteratu, si non habet ex sua, vel paterna hæreditate vnde viuat, subministret illi necessaria, donec assignet aliquem titulum in ecclesia vnde viuat. Trid. ses. 21. c. non licet.

Glos. Dispositio textus de subdiacono etiam intelligitur. Item etiam intelligi debet *cap. cum secundum inf. eod.* Necessaria considerantur secundum facultates ecclesiæ, & dignitatem clerici. Item ad titulum patrimonij potest quis ordinari; & talis in persona, & rebus censetur gaudere priuilegio clericali. *cap. ecclesiarum seruos, 12. quæst. 2.*

1156 *Cap. V.* Quia.

NEmo debet habere plures ecclesias, quia hoc certum periculum animarum continet; sed per eas clericis indigentibus subueniendum est aptis ad inseruiendum ecclesiæ.

Glos. Nemo potest habere plures ecclesias sine periculo animæ, sed cum dispensatione potest. *cap. dudum 2. de elect.* & talis vocabitur ad capitulum, & electiones vtriusque ecclesiæ, si commode fieri potest; nisi in contrarium faciat consuetudo ecclesiæ approbata: quia quando dispensatur in ecclesia, dispensatur etiam in accessorijs. *cap. in Genesi de elect.* & qui in duobus Episcopatibus habet duas ecclesias, vtrobique intelligitur habere domicilium. *cap. dilectus fil. de rescript.*

1157 *Cap. VI.* Cum teneamur.

QVando Papa mandat, vt prouideatur alicui de beneficio, tunc si ille habet beneficium sufficiens, & vel in litteris non fiat mentio, vel non potest ei prouideri sine scandalo, non est exequendum tale mandatum.

Glos. Si impetrans habet aliud beneficium, potest quis excipere de beneficio contra eum. *cap. cum adeo, & c. si proponetur supra de rescript.* dummodo excipiens non habeat plura beneficia, *cap. cum eccles. de except.* Item si beneficium non est sufficiens, non videtur necessaria mentio in litteris de primo, tutius tamen est, si fiat. Quod si dicat se non habere beneficium, & habet tenue, litteræ non valent. *cap. si proponente de rescript.* Item mandatum superioris non est necesse impleri, vbi potest reddi ratio non adimplendi. Nota rem: quod id dicitur posse fieri, quod commode, & iure, & sine scandalo fieri tantum potest.

1158 *Cap. VII.* Referente.

HAbens duas ecclesias, alteram, quam vult retinet; alteram verò det ordinarius idoneo non habenti aliam ecclesiam.

Glos. Non potest hodiè habens duas ecclesias alteram eligere, quia ipso iure vacat prima: quod si vtramque contenderit retinere, spoliabitur vtraque. *cap. multa inf. eodem*. Item habens vnum beneficium, non reputatur idoneus ad aliud. *inf. eod. cap. super*.

1159 *Cap. VIII.* Maioribus.

BEneficiorum, etiam minorum præbendæ non sunt diuidendæ, nec est facienda permutatio dignitatum.

Glos. Duo ad vnam præbendam eligendi non sunt ita, vt vnus habeat medietatem, alter vero alteram. *cap. dilecto eo*. Sed ex iusta causa vna si vacet, potest diuidi in duas præbendas, & sic erunt duo iura, si facultates sufficiant. *cap. vacante inf eodem*. Item permutatio dignitatum non potest fieri, nisi ex dispensatione.

1160 *Cap. IX.* Relatum.

REceptus in canonicatu, & habens potestatem in officijs, vt canonicus, si ei promissa est præbenda, debet Episcopus illi prouidere de præbenda, quæ vacat, vel primo est vacatura: quia non est congruum eum præbenda carere.

1161 *Cap. X.* Auaritiæ.

REgulares in ecclesijs suis non possunt diuidere Parochias, nec minuere redditus, vel portiones, quas consuetum erat dare parochis, vel clericis secularibus, qui inseruiunt eorum ecclesijs, nisi adsit consensus Episcopi illorum.

Glos. Si adest causa cum consensu Episcopi, & clericorum, possunt diuidi parochiæ, & minui redditus. quod si clerici nollent consen-

consentire, tunc si iusta causa adsit, recurrendum est ad superiorem.

1162 *Cap. XI.* Significatum.

POtest ab Episcopo, & capitulo imponi onus super beneficio vacante, licitum tamen, & honestum; vt, v.g. quando beneficiatus non est infirmus, quotidiè celebret missam de sancta Maria, salua honestate sua, & debita deuotione; nec possit dimittere ecclesiam sine consensu Episcopi, & capituli, siue causa voluptatis, siue se ad aliam ecclesiam transferendo. Item quia sumus in spiritualibus, hæc non conditio, sed determinatio oneris. Vel dic, quod conditio licita, & honesta potest apponi pro cultu diuino: quod si esset illicita, haberetur pro non adiecta; & nisi obstaret simonia, collatio teneret. Item sacerdos si non habet beneficium, ratione cuius tenetur celebrare, potest accipere stipendium pro missa, idest pro labore suo. Item ad imponendum onus vacanti beneficio sufficit consensus Prælati: nam capitulum fuit appositum præter ius. *cap. admonet de renunciat.* Item talis beneficiatus non potest committere alteri sui anniuersarium; idest officium. Item beneficiatus talis causa religionis potest se transferre ad aliam ecclesiam, petita tamen, licet non obtenta licentia; non autem causa voluptatis eandem dimittere potest.

1163 *Cap. XII.* De Monachis.

QVando Monachi præsentāt Vicarios suos pro ecclesijs sibi subiectis, Episcopus nullum admittet, nisi coram illo redditus sufficientes assignentur, tum ad congruam sustentationem, tum ad iura Episcopalia soluenda, tum ad hospitalitatem tenendam. Nota, Trid. sess. 14. Ref. 12.
quod hos redditus assignatos Monachi nō possunt minuere sine consensu Episcopi; & sic potest intelligi *cap. auaritia, supra eod.*

Glos. Nota quot modis regulares possunt habere ecclesias, & quando, vel quomodo possunt augere census, &c.

1164 *Cap. XIII.* Ad hæc.

NEmo potest habere plures dignitates, vel personatus, nec in diuersis ecclesijs, nec in eadem, per *cap. multa inf. eod.* & *cap. quia nonnulli de cler. non resid.* nisi ex dispensatione Sedis Apostolicæ.

1165 *Cap. XIV.* Præterea.

HAbens plures dignitates, vna retenta, alias dimittat.

Glos. Canonicus regularis potest fieri Archidiaconus.

can. 1.58. *distinct.* Item monachus non potest esse in duobus monasterijs,nec abbas fieri *cap.*1. Item nota,quod recipiens secundam dignitatem non habet hodie optionem retinendi, quam mauult, sed prima ipso iure vacat; & si contendit vtramque tenere, priuatur vtraque. *c. de multa inf. eod.* Item potest esse in duobus collegijs.

1166 *Cap. XV.* Cum non ignores.

SI beneficiatus electus ad aliam ecclesiam contendit habere vtramque, prima sit contentus, quia non est conueniens, vt vnus habeat locum in duabus ecclesijs: & non est admittendus electus cum scandalo eligentium, idest quando nolunt in alia ecclesia residere. Not. quod in vna ecclesia vnus dicitur esse rector. Item qui consentiunt in vnum,possunt in eundem dissentire propter scandalum, idest quia vult vtramque ecclesiam habere.

Glos. Si electus ad secundam ecclesiam velit primam dimittere, qui consenserunt non possunt amplius dissentire. *cap. cum inter canonicos, de elect.*

1167 *Cap. XVI.* Cum secundum. *Innoc.iij.*

QVando quis ordinatur subdiaconus sine tit. & nemine præsentante, Episcopus ordinans, vel eius successor debet subministrare ei necessaria vitæ, donec eundem prouideat de beneficio competenti: & si Episcopus non facit, cogetur censuris ecclesiasticis, quia clerici debent viuere de patrimonio Iesu Christi, cuius obsequio deputantur. Vnde dicuntur clerici à cleros,quod est sors, vel hæreditas. Et licet Papa Innocẽtius voluerit ordinationes illorũ sine titulo esse irritas,idest quoad executionẽ; tamen iste Papa vult, quod post examen,si idonei reperiuntur,prouideantur de beneficijs.

Glos. Dispositio textus intelligitur, nisi habeant patrimonium, ad cuius tit. fuerint promoti. Item successor grauatur ob delictum defuncti contra *can. quorundam dist.* 23. ne clericus cum dedecore mendicet. Item si non Episcopus, sed alij examinarunt, examinatores tenentur. Ideo dicit, *nullo præsentante*. Item in hac prouisione est attendenda dignitas, & facultates ecclesiæ. Item si ordinans putauit idoneos ad ordines, debet etiam reputare idoneos ad beneficia; & si scribatur à Papa vt ordinatum prouideat, non potest obijcere aliquid,nisi in litteris hoc contineatur. *cap. accepimus de ætat. & qual.* Sed successor potest iterum examinare. & sic semel approbatus potest iterum probari,& reprobari,vt medicus; quamuis esset præsumendum pro ordinato, nisi contrarium constaret; sed quæritur de noua causa emergenti. Item si Episcopus fraudulenter

lenter prouidet de beneficio litigioso, tenetur de nouo prouidere; si sine fraude, & minuitur, non tenetur nisi communi lege.

1168 Cap. XVII. Inter cætera.

QVi scienter confert beneficium, quod non potest conferre ignoranti, tenetur primã præbendam vacaturam eidem conferre, ne videatur fraudulenter primam contulisse. Quod si illi non confert, sed alteri, irritum est quicquid fecerit.

Glos. Si Episcopus concessit mihi beneficium quod concedere non poterat, & sciebat, & ego nesciebam, tenetur ad mihi aliud beneficium simile dandum. *7. quæst. 1. cap. præsertim.*

1169 Cap. XVIII. Cum iam dudum.

NOn potest eligi ad beneficium qui habet plures dignitates sine dispensatione. Item si electus ante confirmationem præsumat ministrare, cassatur eius electio; & si post cassatam electionem adhuc ministrat, fit ineligibilis. Item multa per patientiam tolerantur, quæ si deducantur in iudicium, non debet tolerari.

Glos. Scienter eligens habentem plures dignitates, & præbendas, non potest eundem repellere, sed iudex repellit. Item per solam patientiam non fit dispensatio.

1170 Cap. XIX. Dilectus. *Innoc. iij.*

QVando quis recipitur in canonicum cum stallo in choro, debet ei præbenda assignari, cum primum se facultas obtulerit, & interim debet participare de distributionibus quotidianis. Not. quod potest recipi quis in canonicum sine præbenda, dummodo aliquid ei assignetur, tanquam canonico; & pactum, quod nihil accipiat, non valet.

Glos. Tales eligendi non debent esse multi, ne diu expectent, sed duo vel tres. Item not. quod aliud est dicere; *cum facultas se obtulerit*; & aliud, *cum beneficium vacauerit*. cap. accedens de concess. præben. Item sola perceptio præbendæ non facit canonicum, sicut nec sola perceptio salarij facit decurionem. *l. sola, ff. de decur.*

1171 Cap. XX. Iure.

QVando duo eliguntur ad vnam præbendam, electio non tenet, quia nec præbenda potest diuidi, nec vnus expectare.

Glos. Licet vna remanente præbenda non possint duo eligi, tamen ex vna possunt fieri duæ, si redditus suppetant; & vna præbenda ex causa necessaria potest minui.

Cap.

1172 Cap. XXI. Nisi essent.

IVdex factus arbiter inter duos litigantes prouisos, potest vni dare beneficium, alteri vero prouisionẽ singulis annis ex eodem beneficio; dum tamen non procedat hoc ex pacto partium, ad quam prouisionem præstandam tenebitur tantum prouisus, non item eius successor. Nota aliqua esse tolerãda pro bono pacis, quæ alias reprobarentur. Item pactũ partium circa spiritualia præsumitur illicitum.

Glos. In beneficialibus prouidendis, sicut in matrimonio contrahendo, non potest interuenire arbitrium, sed ius canonicum. Item ex qualitate personæ præsumitur licitum quod alias est illicitum, argumento *cap. Lugdunen. 9. quæst. 2.*

1173 Cap. XXII. Pro illorum.

QVando canonici obtinuerunt à Papa super certo numero canonicorum, quem ipsi deinde non seruant; si Papa vult aliquem admitti supra numerum cum stallo, loco, & distributione, non possũt vti exceptione numeri, imò tenet excõmunicatio cõtra ipsos.

Glos. Quando Papa scribit Archiepiscopo dicens, quod prouideat alicui in aliqua suarum ecclesiarum, intelligitur etiam de ecclesijs suffraganeorum: secus si dicat, *tua Prouincia*. Item per inuestituram non accipitur possessio. Item qui facit contra suum priuilegium, vel indulgentiam propria authoritate, perdit priuilegium: similiter si authoritate Cardinalis Legati, secus si authoritate Papæ. *cap. constit. de rescript. cap. venientes de iureiur.* & *cap. significasti de elect.* Item ea, quæ faciunt excommunicati in eorum præiudicium, benè valent, (& sic possunt recipere aliquem in canonicum, nec talis receptus erit excommunicatus) *c. cum inter de except.*

1174 Cap. XXIII. Tuis.

Trid. ses. 21. Ref. 2. NOn beneficiatus si habet sufficiens patrimonium, potest ad ordines sacros promoueri, si non obstat aliud canonicum impedimentum.

Glos. An ex tali patrimonio cum sit tit. ordinis, teneatur soluere decimas? Resp. si prius soluebat decimas prædiales, tenetur. Item non potest transire ad alias ecclesias sine licentia Episcopi, nec potest tale patrimonium vendere.

1175 Cap. XXIV. Accedens.

CLericus absens per alium, vel alius magis pro ipso potest inuestiri de beneficio ecclesiastico. *cap. si tibi absenti eod. in 6.*

Glos.

Glos. An acquiratur possessio per inuestituram, vide ibi.

1176 *Cap. XXV.* Dilecto.

QVando numerus præbendarum est certus, vacante vna non possunt duo ad illam eligi, neque per Legatum Papæ: quia ius spirituale non potest diuidi. Et si electi accipiunt dimidiatos fructus, tenentur restituere, & electio est nulla. Et si agatur cum vno, & condemnetur, condemnatio ista non nocet alteri electo, & alter etiam condemnari debet. Nota, quod sola perceptio beneficij spiritualis, & sola tolerantia Prælati non facit canonicum, sed sola canonica electio.

Glos. Duo fratres ex eodem patre, & matre nati contraxerunt cum duabus sororibus ex eadem patre, & matre: fuit lata sententia contra vnum virum, & vxorem, an ista sententia præiudicet alteri fratri, & sorori? non.

1177 *Cap. XXVI.* Vacante.

EPiscopus potest diuidere ex causa rationabili vnam præbendam in duas, dum tamen quælibet portio sit sufficiens ad honestam sustentationem: secus, tenetur reintegrare præbendam diuisam; & si sint duo possessores, reintegret de primo vacaturis. Trid. sess. 21. Ref. 5. & sess. 24. Ref. 13.

1178 *Cap. XXVII.* Dilectus.

SI Papa mandat capitulo vt conferat alicui præbendam, quæ vacat, & canonici alteri conferunt illam, collatio tenet; sed tenentur acceptare præsentatum Papæ in canonicum, & prouidere de redditibus, donec aliam præbendam assequatur.

Glos. Consideratur hic tempus receptionis litterarum, & non datæ, quia pertinebat ad capitulum statim conferre præbendam vacantem; & sic collatio interim facta tenet, & non procedit contra eos. Si post receptionem litterarum conferrent, proceditur, sed collatio tenet, nisi in mandato dicatur, *si secus feceritis, illud decernimus irritum.* cap. inter cætera, & cap. dilecto eod. Sed si capitulum non posset conferre, consideratur tempus datæ. *cap eam te*, & *cap. constitutus de rescript.* secus si postea, quia talis electio quoad electum fuit canonica, quoad canonicos non.

1179 *Cap. XXVIII.* De multa.

HAbens personatum, vel beneficium curatum, si aliud simile accipiat, ipso iure priuatus est primo: & si contenderit retinere illud, spolietur etiam altero. Item is, ad quem spectat conferre, Trid. sess. 7. Ref. c. 2. & 3. sess. 24. Ref. 17.

ferre, conferat primum beneficium cui conuenit; & si differt conferre vltra sex menses, collatio deuoluitur ad alios, & de suis prouentibus cogetur soluere ecclesiæ tantum, quantum constat fuisse receptum à tempore vacationis beneficij. Item in eadem ecclesia nemo præsumat habere plures dignitates, vel personatus, etiam si sint sine cura. Item cum sublimibus, & litteratis personis, quæ sunt honorandæ maioribus beneficijs, Papa potest dispensare, quando ratio postulat.

Gos. Contendere dicitur, qui post litem contestatam in iudicio vult retinere beneficia. Item in Episcopatu non vacant beneficia priora, nisi post consecrationem. *cap. cum inuentis de elect.* Item primum beneficium non perditur per solam receptionem, sed per receptionem corporalem. Item qui habet plures personatus sine dispensatione, est intelligibilis. *cap. dudum de elect.* Item tantundem de suis prouentibus soluat, si habet; sin minus, puniatur in persona arbitrio iudicis, vel soluat de fructibus perceptis.

1180 *Cap. XXIX.* Graues.

QVi post primam, & secundam monitionem factam à Concilio Prouinciali, adhuc culpabiliter confert beneficia indignis, suspendatur per ipsum Concilium à beneficijs conferendis; & ab eodem Concilio instituatur persona idonea, quæ interim conferat beneficia. Idem seruetur circa capitula, quæ delinquunt: sed circa metropolitanum delinquentem Concilium denunciet superiori, & relinquat eius arbitrio. Item hæc suspensio est reseruata Papæ, vel proprijs Patriarchis.

Glos. Quando Episcopus propter negligentiam non confert beneficium intra tempus statutum, potestas transfertur ad capitulum. *cap. nulla, de conceß. præben.* Quando vero propter culpam Episcopus eligit indignum intra tempus, nō transfertur ad capitulum, sicut nec sede vacante. Item quando conditor canonis non reseruat sibi absolutionem, cæteris indulgere videtur. *cap. nuper, de sent. excom.*

1181 *Cap. XXX.* Extirpandæ.

Trid. sess. 25 Ref. 9. PResbyteris parochialium est danda portio sufficiens, vt viuant, non obstante quacunque consuetudine Episcopi, vel patroni, vel alterius. Item qui habet parochialem ecclesiam non per Vicarium, sed per se ipsum illi inseruiat. Excipitur tamen, quando est annexa dignitati, vel præbendæ, ob quam ipse debet seruire in maiori ecclesia; tunc habeat Vicarium idoneum & perpetuum, canonicè institutum in parochiali, cui assignet congruam portionem

fructuum:

fructuum : alioquin est priuatus illa, quæ alio idoneo conferatur; & Vicarius seruiat in suo ordine. Item nullus præsumat conferre alteri pensionem de prouentibus ecclesiæ quasi pro beneficio.

Glos. Portio sit sufficiens sibi, & suis. *cap. exposuisti eod.* & vt possit hospites recipere. *cap. de Monachis*. Et pro qualitate personarum; nam minus sufficit pauperi, quam diuiti. *cap. de multa eod. in §. qui verò*. Nota, quod qui non vult ordinari, debet priuari beneficio. Itē perpetuus Vicarius dicitur, qui authoritate Episcopi est institutus. *cap. ad hæc de offic. Vic.* Item beneficiatus si non residet in ecclesia, priuatur præbenda ipso iure sine vlla admonitione.

1182 *Cap. XXXI.* In Lateranense.

Regulares pro ecclesijs, quæ ad ipsos pleno iure non pertinent, præsentent viros idoneos instituendos Episcopis. Idonei autem sunt, quos vel conuersatio aptos reddit, vel probabile testimonium prælatorum commendat, qui Episcopis de cura plebis respondeant, regularibus verò de rebus temporalibus reddant rationem; nec eos amouere audeant inconsultis Episcopis. Trid. sess. 25. Ref. c. 9

1183 *Cap. XXXII.* Licet. *Honor. iij.*

Absentibus pro studio theologiæ ex priuilegio datur fructus præbendæ, non item distributiones, quæ solis præsentibus dantur.

Glos. Quando in aliqua ecclesia non sunt præbendæ, sed tantum distributiones, tunc absentes pro Theologia habebunt fructus, habita ratione victus quotidiani; alias indulgentia parum valeret.

1184 *Cap. XXXIII.* Exposuisti.

Si euidens necessitas, vel vtilitas exigat, (vt si canonici nequeant sustentari de suis præbendis) Episcopus potest illis augere, vniendo perpetuas capellas, reseruata congrua portione pro presbyteris capellanis. Trid. sess. 21. Ref. 5. sess. 24 Ref. 13. & 15.

Glos. Duo frequenter inducunt dispensationem, necessitas, & vtilitas. *cap. talis 1. quæst. 7.*

1185 *Cap. XXXIV.* Dilectus.

Impetrans beneficium, & non faciens mentionem quòd confertur ex donatione laici, adhuc impetratio est bona, & litteræ executioni mandandæ sunt.

Glos. Licet patronus laicus non posset de iure à Papa compelli donare. *cap. cum dilectus, de iure patr.* tamen cum per donationem collatio postea pertinet ad ecclesiasticam personā, potest cogi; quia

quia statim res sortitur naturam aliorum beneficiorum. Item si Papa mandat alicui dare præbendam, & canonici alteri conferant, collatio tenet. *cap. inter cætera, & cap. dilectus, eod.* Item Papa non admittit friuolas exceptiones.

1186 Cap. XXXV. Super. *Gregor. ix.*

PVeri, & beneficiati non sunt idonei ad beneficia retento primo; quia tantum idonei sunt reputandi, qui possunt, & volunt seruire ecclesiæ.

Glos. Puer vocatur infra septimum respectu minorum ordinum, respectu vero ecclesiæ in 14. (sicut respectu curæ inf. 25. annum. Vide Conc. Trid.) Item cum beneficium detur propter seruitutem, beneficiatus non est idoneus primo retento ad secundum beneficium; quia vtrique seruire non potest: & sic qui non facit mentionem de primo suo beneficio, litteræ obtentæ non ualent.

1187 Cap. XXXVI. Cum causam.

AD hoc vt integretur vna præbenda, non debet alia rescindi.

Glos. Præbenda debet integra conferri; sed si diuidatur, talis diuisio tolerari potest, donec integretur de aliqua vacante. *cap. vacante, & cap. tuæ fraternitati eod.*

1188 Cap. XXXVII. Venerabilis.

VIr etiam si non sit nobilis, nec eminentis scientiæ, debet admitti ad præbendam, non obstante in contrarium consuetudine ecclesiæ: quia non nobilitas generis, sed virtutum, & vitæ honestas faciunt gratum, & idoneum seruitorem Dei, & viri eminentis scientiæ vix reperiuntur; & Deus eligit ignobiles, & pauperes, quia non est acceptatio personarum apud Deum.

Glos. Non officit alicui ad obtinendum beneficium, quod fuerit in seruitute; nam licet seruus non sit idoneus, tamen si fiat liber, est idoneus. *cap. 1. supra de seru. non ordin.*

1189 Cap. XXXVIII. Cum olim.

QVando Papa scribit, vt prouideat vel prouidere faciat Petro in aliqua ecclesia, intelligitur tantum de beneficio simplici, non de dignitate, vel rectoria. Nota, quod intentio mandantis est attendenda, & seruanda.

Glos. Cum Papa scribit sub hoc forma, *vt prouideat tali in aliqua ecclesia ciuitatis,* non intelligitur Diœcesis, nisi addatur. Item nisi executor intimet illi, ad quem alias spectabat prouidere, &

decer-

decernat, irritum erit quicquid tentauerit; si ille, ad quem spectat, conferat, collatio tenet non obstante mandato.

IN SEXTO LIB. III.

DE PRÆBEN. ET DIGNIT. Tit. IV.

1190 *Cap. I.* Suscepti.

EXtenditur capitulum de monachis eodem tit in decretali ad omnes religiosos, & exemptos: quod videlicet ordinarij non admittant præsentatum à religiosis, etiam exemptis, nisi prius illi assignetur vnde possit sustentari, Episcopalia iura soluere, & alia onera portare, non obstante consuetudine contrariâ. Ratio est, ne ecclesiæ minus idoneis personis conferantur. Nota, quod si religiosi, quamuis exempti nolint assignare competentes sumptus, potest illos Episcopus cogere, & in hoc casu sunt subditi; reliqua, vt *in cap. de monachis eod.*

1191 *Cap. II.* Licet.

OMnium beneficiorum quæ vacant in curia, collatio pertinet ad summum Pontificem; & si secus fiat, factum est irritum. Nota, quod Papa debet conferre infra mensem; quo elapso conferat Episcopus ad quem spectat per se, vel per Vicarium generalem. Et si elapso mense adhuc vacat, potest Papa conferre, si Episcopus non contulit, quia post mensem est locus præuentioni; & hic mensis currit à die vacationis, non computato die vacationis, quia fit in fauorem ecclesiæ. Not. 2. Papam habere plenam dispositionem in toto orbe terrarum, ne diu maneat sine prælato.

Glos. Iste textus non loquitur de Episcopatu, quia est culmen 1192
dignitatum, & speciali nota sunt digni. *cap. quamuis, & cap. periculosum de sent. excom.* Item quæ dicũtur vacare in curia, infra vide in *in cap. præsenti inf. eod.* Item quid si duo litigant, & moritur vnus. *cap. si duobus vt lit. pend.* Item licet iste textus loquatur de collatione, tamen intelligitur etiam de præsentatione spectante ad clericos, non ad laicos: quia præsentatio patroni clerici habet vim electionis, ex Innoc. *in c. cum autem secundum, de iurepatr.* & comprehenduntur etiam illa, quæ possunt laici conferre ex priuilegio Papali.

Cap.

1193 *Cap. III.* Statuti. *Gregor. x.*

MOderatur capitulum superioris sic: quod videlicet Episcopi per se, vel si in remotis degunt, per suos Vicarios generales existentes in diœcesibus, possunt post mensem conferre dignitates, & beneficia vacantia in curia, si non fuerint prius per Papam collata, numerando mensem à die vacationis; dummodo Vicarijs hoc sit legitime commissum.

Cõs. lugd.

Glos. Idem est dicere in curia, ac apud Sedem Apostolicam. Item in dicta collatione per ordinarium facienda requiritur Primo quod mensis sit elapsus; secundo quod per se ipsum conferat, si sit præsens; tertio, si non est præsens, per Vicarium generalem, non specialem; quarto, quod habeat speciale mandatum conferendi beneficia; quinto conferat in sua Diœcesi.

1194 *Cap. IV.* Quamuis.

QVando Papa scribit alicui Prælato, vt prouideat Petro vsque ad certam summam, v.g. centum aureorum, Prælatus non potest prouidere de hac summa in pensione super beneficio, nisi in litteris fiat expressa mentio de pensione; sed debet prouidere in beneficio, quia beneficialis est latissimè interpretanda. Litteræ tamen super obtinendis beneficijs, debent strictè interpretari, quia sunt ambitiosæ, & odiosæ; & Papa mandans quod quis prouideatur de beneficio in aliqua ecclesia ciuitatis vel Diœcesis, non intelligitur in ecclesia cathedrali; licet aliàs sub nomine ecclesiarum ciuitatis intelligatur cathedralis. Cùm verò mandat aliquem prouideri in aliqua ecclesiarum Prouinciæ, tunc intelligitur etiam cathedralis, & metropolitana.

Glos. Cùm Papa scribit, quod aliquis prouideatur vsque ad talem summam, potest prouideri de minori, non de maiori; quando scribitur, vt prouideatur de præbenda tanti valoris, secundum aliquos potest de maiori, secundum alios de expressa tantum. Nota, quòd pensio non est titulus, nec requirit residentiam, sed potest concedi laico.

1195 *Cap. V.* Cum de beneficio.

QVando Papa mandat aliquem prouideri de beneficio consueto assignari clericis secularibus, si legitime, & pacificè clerici seculares possederunt beneficiũ regulare, ita vt compleuerint legitimam præscriptionem, idest quadraginta annorum, potest de illo prouideri. Item si scribatur, aliquem clericum secularem prouideri de prio-

prioratu solito gubernari per regulares, legitima præscriptione, 40. annorum videlicet, interueniente. Nota quod requiritur præscriptio, & non sat est consuetudo.

Glos. Quando per diuersos, & variè beneficium fuit gubernatum, attenditur status vltimus.

1196 *Cap. VI.* Super eo.

HAbens personatum, potest habere simul & præbendam, cui sit annexa Ecclesia parochialis, cum cura animarum sine dispensatione.

Glos. In tali parochiali annexa potest per se seruire, vel per Vicarium perpetuum.

1197 *Cap. VII.* Eum qui.

IN beneficijs assequendis consideratur data, & non præsentatio, vel receptio, & is præferetur alijs, qui prius habuit datam. Not. quod ex collatione Canonicatus acquiritur ius, etiam sine receptione in Canonicum.

Glos. Præfertur talis Canonicus, nisi in casu *cap. si Clericus, eod. & cap. tibi, quod. de rescript. in 6.* Item talis præfertur omnibus, etiam si ab ignorantibus collata sit præbenda vacans, *cap. si postquam, eod. in 6.*

1198 *Cap. VIII.* Si pro clericis.

SI Pontifex scribit alicui Ordinario, quod prouideat alicui de beneficio etiam curato, & talis prouidendus non habet ordinem requisitum, potest Episcopus illi prouidere de beneficio etiam curato; sed prouisus tenetur primis temporibus à iure statutis accipere ordines, quos beneficium requirit, quamuis in litteris non fuerit facta mentio, qui ordinem non habet. Trid. sess. 22. Ref. c. 4

Glos. In promouendo ad Parochialem quatuor requiruntur, scientia, ætas, mores, & ordo. Si primum, secundum, vel tertium desit, & in literis non sit mentio, litteræ sunt subreptitiæ, & non assumitur, *cap. eam te, de ætat. & qual.* Item Ordines sacri conferuntur in quatuor temporibus, in medio, ac fine Quadragesimæ: minores possunt conferri diebus festiuis. *c. 1. 2. & 3. de temporib. ordinat.* Item si quartum ex prædictis desit, id est ordo in promouendo ad parochiam, & monitus non faciat se promouere, poterit beneficio priuari, *c. cum in cunctis, §. inferiora, de elect.* Imo est ipso iure priuatus, nisi infra annū sit effectus Sacerdos. *cap. licet can. de elect. in 6.* secus si est Ecclesia collegiata, *c. statutum, de elect. in 6.* & nisi

habuerit iustum impedimentũ,vel nisi fuerit dispensatum, *cap. commissa.c.cum ex eo,de elect.* Nota,tempus est vnus annus.

1199 *Cap. IX.* Si cum.

QVando Legatus mãdat,quod Petrus prouideatur de beneficio, vt de Canonicatu primo vacaturo,& deinde Papa dicit,quod secundum literas sui Legati illum recipiant,recipitur tunc Apostolica auctoritate non Legati,& est præferendus in præbenda alijs receptis auctoritate Legati, vel alia auctoritate.

Glos. Hoc est verum, si ille prius non fuit receptus auctoritate Legati. Item Legatus vacaturam non confert. *c.dilectus filius, eod. in antiq.* sed benè reseruat suæ collationi; & quando vacat super ea, conferens dat executores *c.3.& 4.de offic.deleg.in 6.c.si Apost.eod.*

1200 *Cap. X.* Mandato.

QVando Papa mandat tibi Episcopo, vt prouideas de beneficio pertinente ad tuam,vel alterius iurisdictionem,intelligitur de primo vacaturo; si verò plura simul vacent,est spectandũ in litteris quæ collatio primo nominetur,& illius beneficium est dandum.

Glos. Primũ beneficiũ tenetur acceptare; si sine fraude vacarit;si cũ fraude,non.*c.2.de renun.in 6.* Item non tenetur acceptare, si sit appositũ in litteris,quod duxerit acceptandũ; quod verũ est de pertinente ad collationem; secus si solum ad præsentationem,vel institutionem,nam non potest. *c.cum in cunctis,de conceß.præb.*

1201 *Cap. XI.* Si clericus.

QVando Papa mandat,vt prouideant Petro de præbenda primo vacatura,& postea eundem recipiant in Canonicum,si Petrus est negligens in petenda prima præbenda,gratia expirat,& non potest secundã petere,quia nõ est Canonicus;è contra verò,si Papa cõfert Petro ius canoniæ,& factus est Canonicus auctoritate Apostolica,& mandat Canonicis,vt conferant præbendam primo vacaturã, & Petrus fuit negligens in illa petenda; potest adhuc aliam petere: quia gratia non est extincta,& præfertur alijs:(non tamen auctoritate Pontificia expectantibus) alias facta collatio alijs in præiudicium Petri eo ipso non valet.

Glos. Non est negligens, qui non habet potestatẽ experiendi. *c. vlt.de elect.in antiq.* & iudex iudicabit de negligentia arbitrio boni viri. *c.cupientes,de elect.* Item si fuit negligens,& præbenda non est collata,potest illã petere. *c.si tibi absenti,inf.eod.* Item præbenda nõ debetur ei,qui rescriptũ habuit; si aliter,expectet auctoritate Apostoli-

stolica, qui prius de primo item vacaturo beneficio reportauit. Itē si post negligentiam huius quis impetrat à Papa, negligens non præfertur huic, licet alijs sic.

1202 *Cap. XII.* Hi qui.

RReceptus in Canonicatu auctoritate Apostolica, est præferēdus in præbenda alijs receptis, etiam auctoritate Legati. Quod si Legatus habeat speciale mandatum, tunc dicitur receptus auctoritate Apostolica, & præfertur. Not. quod gestum à Legato simpliciter non dicitur gestum auctoritate Apostolica.

Glos. Quando vnus habet ius à Papa, alter ab inferiori, non valet regula, quod prior in tempore est potior in iure, si agatur de iure ad rem; secus de iure in rem: est enim dispar ratio, nam priuilegia non tam considerantur ex tempore, quam ex causa, vt creditor dotalis præfertur alijs creditoribus anterioribus.

1203 *Cap. XIII.* Si postquam.

QVando Papa confert Canonicatū alicui, & mandat prouideri de præbenda primo vacatura, & nulli alij de iure debita; si Canonici ignorantes mandatū, conferunt præbendā primo vacantē alteri ignoranti etiam mandatum; collatio non tenet: quia Canonicus auctoritate Apostolica factus habet ius ad primam præbendam, quam iuste potest petere, & non potest alteri conferri, licet ignoranti mandatum.

Glos. Idem dic, si tunc temporis vacabat præbenda, quæ deinde fuit collata alteri. *cap. si beneficia, inf. eod.* Item, alius prouisus à Capitulo, si dimisit beneficium, quod habebat propter hoc, potest illud iterum recuperare.

1204 *Cap. XIV.* Dudum venerabilis.

QVando Papa cōcedit suo Legato facultatē acceptādi resignationes beneficiorū, & illa cōferēdi, si Papa deinde facit aliquē Canonicū Ecclesiæ legationis, & mandat executoribus deputatis vt prouideatur hic de præbenda primo vacatura, si vacat per resignationē; & interim Legatus illā confert alicui, collatio non tenet, quia stat pro Canonico creato à Papa, licet in mandatis nullam fecerit mentionē de potestate concessa Legato; quia sufficit decretum irritans quidquid attentatur contra decretum Papæ, cum agitur de lucro electi ab Episcopo, & non de præiudicio Episcopi.

Glos. Legatus nō Cardinalis, siue missus, siue natus, non habet potestatē acceptandi resignationes, & cōferendi beneficia, nisi ex speciali

ciali mandato: Legatus verò Cardinalis habet ex sola generali legatione. Itē decretū irritans positum in reseruatione ligat etiā ignorantes; & quando agitur de præiudicio gratiæ concessæ alteri, non est necesse quod gratia notificetur alteri.

1205 *Cap. XV.* Quia sæpe.

SI Papa mandat prouideri primo de præbenda, deinde mandat prouideri secundo de præbenda, & dignitate in eadē Ecclesia; si præbenda quæ vacat, est annexa dignitati, præfertur secundus, cui danda est; secus, si est sola præbenda.

Glos. Vide *c. quia sæpe, de elect. in 6.* & *c. quoniam, vt lit. non contest.* Item sunt sex casus, in quibus secundus præfertur primo; quos vide *in c. si clericus eod.* & *c. penult. eod.* & *c. in Ecclesia*, & *c. ei cui eod.* & *c. vnic. de resignat.*

1206 *Cap. XVI.* Cum illis.

Trid. sess. 7. Ref. 3.

QVando Papa mandat aliquē prouideri de personatu, dignitate, vel alijs beneficijs quibuscumque, non intelligitur de curatis, nisi mentionem faciat de habentibus curā animarum; neque intelligitur de beneficijs, ad quæ per electionem solent assumi, nisi fiat expressa mentio. Item, cùm collatio, præsentatio, institutio maximè differant; si Papa mandat prouideri de beneficio spectante ad collationem alicuius, non extenditur mandatum ad beneficium spectans ad præsentationem vel institutionem; nec è contra, quia debet de natura sua restringi. Item si mandat prouideri de beneficio spectante ad collationem, vel præsentationem aliquorum, non extenditur ad beneficium spectans ad collationem, vel præsentationem alterius illorum, nisi addatur communiter, vel diuisim, & è contra. Si mandatur prouideri de beneficio spectante ad collationem vnius, non extenditur ad spectans ad collationem plurium.

Glos. In gratijs Apostolicis, vt in expectatiuis beneficiorum, & dignitatum, non intelligitur curata, licet ponantur verba generalia. Item sub nomine prouisionis, & dispositionis non intelligitur electio, nisi addatur electiua. Item præsentatio, collatio, & institutio in materia stricta, & odiosa differunt, nisi aliunde constaret de mente superioris: quia tunc non videtur curandum de verbis. Præsentatio est electio personæ, & per hanc non acquiritur ius, nisi quod Patronus non potest variare. Institutio est confirmatio. Collatio est, quando pleno iure diœcesanus prouidet: tamen in iure communiter confunduntur.

Cap.

1207 *Cap. XVII.* Si tibi.

SI Episcopus conferat beneficium mihi absenti, licet non acquiram ius in beneficio, nisi ratum habeam, tamen Episcopus non potest alteri conferre, nisi mihi notificet collationem, & det terminum consentiendi: & si non consentio, potest elapso termino alteri conferre; & si non contulit, possum præstare consensum, licet terminus sit elapsus, & non poterit tunc alteri conferre.

Glos. Absens, & consentiens per solum tit. acquirit dominium, & ius: secus in rebus prophanis. Item ante acceptionem non acquiritur mihi beneficium, etiam per consanguineos. Item in iure non est tempus præfixum ad acceptandum beneficium collatum, sed est arbitrarium. *cap. quam sit de elect. in 6.* secus in acceptanda electione, quia est mensis. Item interim Episcopus non potest alteri conferre sub conditione, si primus non acceptat. Item quod hic dicitur de absenti, fortius dicitur de præsenti.

1208 *Cap. XVIII.* Eum qui.

HAbens beneficium curatum, si vi aliud curatum occupat, vel scienter se iniuste introducit in eo, ipso iure est priuatus primo. Item qui non verentur occupare vi, & propria auctoritate dignitates, personatus, & alia quæcumque beneficia ecclesiastica, amittunt ius, quod habebant ad illa beneficia, vel eis competebant.

Glos. Vide *cap. de multa eod.* & *extrauag. Ioann. 22. execrabilis.* Item hoc cap. non habet locum, quando quis credit habere ius in beneficio, & tamen non habet. *cap. si beneficia eod. in 6.* Item nemo à se ipso potest accipere possessionem. Item intrusus, & violentus differunt.

1209 *Cap. XIX.* Is cui.

QVando Papa dat facultatem alicui executori conferendi beneficium personæ idoneæ, non potest conferre habenti aliud etiam simplex, sed sufficiens: quia dum illud retinet, non est idonea persona. Sed si in litteris ponatur, vt prouideat de beneficio etiam habenti aliud; tunc si illud est vnicum, & non habet curam animarum, debet prouidere; si in litteris dicatur, vt prouideat de beneficio habenti plura, non extenditur nisi ad duo sine cura: secus prouisio facta non valet.

Glos. Habens sufficiens beneficium non est persona idonea pro beneficio, nisi illud dimittat. Et hæc sufficientia quomodo intelligatur, lege Io. Andr. Archidiac. Item pluralitas restringitur ad duo.

Item qui contra hunc titulum habet plura beneficia, non potest sine cognitione à possessione repelli.

1210 Cap. XX. Si beneficia.

SI ordinarius confert beneficium reseruatum per aliquod decretum Sedi Apostolicæ, & qui accipit, ignorat talem reseruationem vel collationem factam à Papa alicui; & accepto secundo, renunciat primo, quod forte habebat incompatibile: si postquam sciuit fuisse reseruatum, vel collatum à Papa, statim dimittit secundum, recuperat primum sine noua collatione. Idem faciunt alij qui hac occasione renunciarunt; sed si difficultatem adhibent in dimittendis secundis, non possunt reuerti ad prima.

Glos. Valet iste casus, etiamsi Episcopus scienter cõtulerit secundum quia sufficit ignorantia accipientis: idem si legatus cõtulerat. Item debet esse certus, ita vt animus non queat in contrarium inclinari aliqua ratione. Item collatio facta à Papa ligat manus Episcopo etiam ignoranti.

1211 Cap. XXI. Non potest.

Trid. sess. 7 Ref. 2. QVi impetrat dispensationem super pluralitate beneficiorum: si tacet aliquod beneficium, licet modicum, dispensatio non valet. Item si dispensatur vt possit retinere duo beneficia curata, Greg. 10. si canonice conferantur eidem, intelligitur de duobus primis, quæ contingit habere post dictũ indultum; id est, si postquã semel habuit duo curata, si vnum dimittit, non potest habere secundum. Item quando prouidetur vt quis possit habere aliquod beneficium, nõ obstante quod aliud obtineat, non est dispensatum vt duo beneficia habeat, sed solum quod gratia facta valeat, & nõ iudicatur subreptitia.

Glos. In gratijs beneficialibus taciturnitas alicuius qualitatis vitiat litteras. *cap. dudum, cap. si motu proprio.* Item dispensationes sunt odiosæ, & restringendæ. *cap. 2. de filijs presb. in 6.* Item quis potest dispensare in pluralitate. *d. 70. can. sanctorum. cap. gratia de rescript.* Item quando quis dicitur habere canonice beneficium, vide *Franc. Spec. hic.* Item si in litteris ponitur hæc clausula, *dummodo in beneficio, in quo non residet, faciat canonice deseruire*; si non facit seruire, dispensatio tenet: nam ly *dũmodo* non habet vim conditionis, sed monitionis, vel comminationis; potest tamen iuste priuari propter negligentiam. *cap. relatum de cleric. non resid.* Item si habet duo beneficia curata ex indulto, & accipit tertium, omnia vacant.

Cap.

1212 *Cap. XXII.* Si Apoſtolicæ.

QVando Papa confirmat mandatum Legati ſuper prouiſione facienda in aliquo canonicatu vacaturo, cenſetur illud mandatum eſſe Papæ: & ſi Papa mandaret alios prouidendos in eadem eccleſia, primus eſſet præferendus.

Gloſ. Legatus in ſuis actibus geſtis virtute legationis non debet dicere, ***auctoritate apoſtolica,*** ſed ***auctoritate legationis.*** Quid ſi capitulũ proprio motu elegiſſet aliquẽ, & impetraret confirmationem à Papa auctoritate Apoſtolica, an ſit præferẽdus? Item gratia conceſſa à Legato finita legatione ſpirat. ***cap. præſenti, de offic. deleg. in 6.*** Sed ſi fuit confirmata à Papa, ſit perpetua; & tunc impetrans debet facere mentionem de prioribus beneficijs: quia ſi in diſpenſatione vbi ſolum ius acquiſitum confirmatur, tenetur facere mentionem, ergo multo magis vbi acquiritur, & augetur nouum ius. ***cap. non poteſt. cap. quamuis eodem in 6.*** nam qui confirmat, donat.

1213 *Cap. XXIII.* Si motu.

QVando Papa habenti beneficium confert aliud motu proprio, nulla facta mentione de primo, gratia valet: & cognoſcitur contuliſſe motu proprio, tunc quando hoc exprimitur in litteris. Quando vero Papa confert ad petitionem alicuius, ſi non fiat mentio beneficij obtenti, licet ſit modicum, gratia eſt ſubreptitia, & nulla.

Gloſ. Habenti vnum, vel plura beneficia, ſi datur beneficium motu proprio, non diſpenſatur ad plura, ſed datur optio. ***cap. non poteſt, eod. in 6.*** & ***cap. gratia, de reſcript. in 6.*** Item gratia facta motu proprio, licet per ſurreptionem, non poteſt reijci; poteſt tamen per viam iuris communis obijciendo alios defectus, vt natalium, ætatis, irregularitatis, bigamiæ: quia motus proprius in his non diſpenſat. ***cap. eam te, de ſtat. & qualit.*** nec excuſatur, ſi ex ſimplicitate tacuit tale beneficium. ***cap. dudum, eod.*** quia litteræ ſunt gratioſæ, & non ad lites. ***cap. poſtulaſti, de reſcript.*** Item ſi in litteris non exprimitur motu proprio, licet aliunde conſtet, ſunt tamen habendæ ſurreptitiæ, & è conuerſo ſi exprimatur.

1214 *Cap. XXIV.* Si pluribus.

SI vacant ſimul multa beneficia nulli de iure debita, & Papa confert vni beneficium in genere: ſi contulit motu proprio, intelligitur de pinguiori; ſi ſunt æqualia, beneficiatus intra decem dies eligat, quod vult; ſi non motu proprio, ſed ad petitionem, intelligitur quod eſt minoris valoris: & ſi ſunt æqualia, is ad quem de

iure spectabat conferre, intra decem dies eligat; & si non eligit, electio deuoluitur ad alium.

Glos. Idem ius si scriberet de primo vacaturo, & plura simul vacarent. Item decem dies currunt à die notitiæ, vt in appellatione. Item si gratia fuit motu proprio, non potest conferri minus pingue: si ad petitionem, non potest conferri magis pingue.

1215 *Cap. XXV.* Cum in ecclesia.

QVando Papa habenti beneficium confert aliud motu proprio, quando ex consuetudine Episcopus habet præbendam canonicalem in capitulo; si quis prouideatur de præbenda primo vacatura, & interim moriatur Episcopus, non intelligitur prouidendus de illa præbenda: quia Papa non intendit priuare successorem Episcopum, nec augere numerum canonicorum, nec intendit derogare consuetudini.

Glos. Papa derogat consuetudini, per quam præbenda ad collationem alterius pertinebat; & non derogat per suum mandatum consuetudini, per quam præbenda debetur alteri. Item potest esse in Capitulo; primò vt Canonicus, & habet vocem; secundò, vt Prælatus, & non habet vocem, *cap. à collat. de appellat. in 6.* Item Conc. Trid. *sess. 24 de ref. c. 19.* tollit mandata de prouidendo.

1216 *Cap. XXVI.* Si tibi.

QVando habens beneficium curatum acquirit aliud curatum, dum alius accipit fructus secundi ex causa, v.g. Episcopus accipit ex concessione Papæ ad tempus, non tenetur relinquere primum; nec obstat *cap. multa eod.* & *cap. expectabilis, Ioan. XXII. Extrauag.*

Glos. In priuilegijs nomine beneficiorum intelliguntur etiam curata. *cap. pen. de verb. signif.* Item qui accipit fructus, tenetur ad onera. Item qui habet beneficium, & fructus non percipit, non videtur plene adeptus, & translatus, tenetur tamen ordinari infra annum.

1217 *Cap. XXVII.* Cui de non.

MAndata Papæ non debent extendi ad alios casus, quàm ad expressos: ideo cùm mandatur alicui prouideri de præbenda non sacerdotali, non potest prouideri de sacerdotali etiam volenti. Ita si mandatur de integra præbenda, non potest prouideri de dimidia etiam volenti. Item si de præbenda certi valoris, non potest de minori etiam volenti.

Glos.

Glos. Si in prouisione dicatur simpliciter, *prouideatur de præbenda*, non potest dari dimidia; sed quæ mãdabatur, censebatur integra.

1218 *Cap. XXVIII.* Licet Episcopus.

POstquam aliquis Curatus accepit aliud beneficium simile, & est in pacifica possessione, vel per ipsum stat, tunc Episcopus potest primum beneficium alteri conferre, sed non potest dare corporalem possessionem non vocato primo curato: quia adhuc posset illi competere ius retinendi.

Glos. Hic tit. limitat *cap. de multa, eod.* 1. Licet conferat primũ, non dabit possessionem nisi cognita causa, cur primus non reliquit, & *cap. commissa, de elect. in 6.* Item in omni casu, in quo quis est priuatus ipso iure, debet causa cognita priuari possessione; & sic vsufructuarius finito vsufructu non potest eijci à quasi possessione.

1219 *Cap. XXIX.* Ei cui.

QVando simpliciter mandatur, vt quis prouideatur, non potest prouideri de præbenda sacerdotali, si non est in ætate ad suscipiendos ordines, sed expectet aliam.

Glos. Valet quando mandatur simpliciter: secus quando in literis ponitur, *non obstantibus quibuscumque, quæ effectum nostrarum litterarum impedire, vel differre queant:* quia tunc accipiet præbendam, & expectabit ætatem. Item in hoc casu spectatur tempus vacantiæ, & non datæ: sed in beneficio curato spectatur datæ, non vacantia. *cap. in eo tempore, de rescript. in 6.* Quod si erat Sacerdos, & non in ætate; non dandum, quia suspendendus.

1220 *Cap. XXX.* Si pauper.

SI mandatur Episcopo prouidere Sacerdoti pauperi non habenti beneficium; & interim obtineat vnum, Episcopus non tenetur prouidere.

Glos. Secus in causa speciali, vbi non dicitur pauper: & quod obtinuit beneficium non est incompatibile cum illo, de quo dicitur prouideri. Item cessante causa mandati cessat mandatum.

1221. *Cap. XXXI.* Si à sede.

QVando Papa, vel eius Legatus confert beneficium vni, & Ordinarius alteri eodem die, ita vt non possit constare de prioritate collationis, tunc erit potior conditio possidentis: & si neuter possidet, præfertur electus à Papa, vel Legato propter ampliorem prærogatiuam.

Glos.

Glos. Idem si Papa conferret vni, Legatus alteri. Item collatio Legati non dicitur Sedis Apostolicæ. Item solus Legatus Cardinalis à latere potest conferre beneficia, non alij Legati, nisi de speciali mandato.

1222 *Cap. XXXII.* Cum singula.

Trid. sess. 7. Ref. 2. sess. 24. Refor. 17.

RElligiosus sine auctoritate Sedis Apostolicæ non præsumat habere duos Prioratus, vel Ecclesias habentes curam animarũ, etiam si cura debeat exerceri per presbyteros à se præsentatos, & ab Episcopo institutos, nisi vnum beneficium ab alio dependeat, vel ad inuicem sit connexa. Et si habens vnum, alterum recipit, primum statim dimittat, quo ipso iure est priuatus: quod si non fecerit, repellatur ab vtroque, & efficiatur ineligibilis. Item Prioratus, Ecclesia, administratio, vel officia vnius Monasterij consueta gubernari per monachos eiusdem Monasterij non committantur Monachis alterius Monasterij, & commissa reuocentur: qui secus fecerint, & commissa non reuocauerint, ea vice sunt priuati potestate ordinandi. Et si loca non sint exempta, ordinet Episcopus; si exempta, Papa. Recipientes, & eligentes sunt ineligibiles ipso iure.

Glos. Singula beneficia debent committi singulis personis: quia vna persona non debet habere duo beneficia. Item valet etiam in Prioratibus. *cap. multa.*

1223 *Cap. XXXIII.* Cum in ecclesijs.

QVando in Ecclesia sunt accipiendi Canonici, vel conferenda beneficia, præsentes Canonici, si commodè fieri poterit, debent vocare absentes, nisi consuetudo sit in contrarium. Et vbi non est talis consuetudo, si absentes non vocati instant, omnia attentata sunt reuocanda.

Glos. Si non instant, valent: quia vocatio absentium non est de substantia electionis. *cap. Ecclesia, 2. de elect.* Item sunt vocandi absentes etiam extra Prouinciam, si commodè fieri potest. Item per præsentes intelliguntur qui sunt in loco, & sunt vocandi. Item excipitur, cùm quis est recipiendus ad præceptum Superioris. Item in alienatione, & alijs contractibus non sunt vocandi absentes. 109. 2.5. *cap. hoc ius.* Item hoc declarat *cap. cum olim, de re iudic.*

1224 *Cap. XXXIV.* Præsenti.

BEneficium vacans in Curia per solum Papam est conferendum; sed nunc extenditur ad curiales, vel nuncios, qui ineundo, vel redeundo moriuntur in locis vicinis ipsi Curiæ, idest intra duas

diæ-

diætas legales, ideſt, 20. leuc. Idem ſi ſede vacante curialis, peregrinationis, infirmitatis, recreationis, ſeu alia cauſa in loco vicino moriatur, dummodo ibi domicilium, vel domus propria non exiſtat. Item ſi quis habet domum, vbi degit Curia, & ibi moriatur, beneficia non conferentur per ſolum Papam: quia non dicuntur vacare in Curia. Item ſi Curia recedit ab vno loco, & aliquis Curialis officialis ibi remanet, vel dum ſequitur Curiam, moriatur, licet in loco diſtanti, collatio ſpectat ad Papam, quia dicuntur vacare in Curia.

Gloſ. Si Papa non confert intra menſem dicta beneficia, poſſunt ordinarij collatores conferre. Item ſola domus poſſeſſio, & domicilium æquiparantur in iſto caſu, etiam ſi domus ſit ſibi, & alijs communis: & qui ſuum iurat non eſſe, iurat nec ſibi commune eſſe: & qui legat ſeruos, legat eos qui in toto vel in parte ſui ſunt. Item ſi in 20. milliaribus modicum ſupereſſet, adhuc non includeretur in loco. Item oriundus dicitur habere domum originis, licet habeat conductitiam, vel non propriam. idem, ſi non oriundus habet continuum domicilium.

1225 *Cap. XXXV.* Si Apoſtolica.

QVando Parochi moriuntur Romæ ſede vacante, vel ante mortem Papæ, ſed vacante ſede non ſunt adhuc prouiſæ; prouiſio illarum parochialium ſpectabit ad ordinarios, non obſtante *cap. licet 2. eod.* vel alijs capitulis.

Gloſ. Secus in non parochialibus; & tunc non currit menſis vacante Sede Apoſtolica. An idem de alijs Eccleſijs curatis non parochialibus.

1226 *Cap. XXXVI.* Si cui.

GRatia conceſſa alicui, vt conferat beneficia reſeruata Sedi Apoſtolicæ perſonis idoneis, ſi re integra concedens moritur; ſi perſonæ prouidendæ non erant expreſſæ, gratia non ſpirat; ſi expreſſæ, ſpirat.

Gloſ. Huic caſui non contradicit *cap. 1. de renunciat.* quia ibi loquitur de gratia facta, hic de facienda: ibi gratia de re facienda reſpiciebat eum, qui prouidere debebat; hic etiam cui debet prouideri.

1227 *Cap. XXXVII.* Si Epiſcopus.

SI Diœceſanus dat facultatem alteri Epiſcopo ordinandi quos vult in ſua diœceſi, nullis expreſſis, & ille non habentem tit. ordinat, Trid. 21. Ref. 2.

dinat, ordinans tenetur miniſtrare neceſſaria vitæ, donec obtineat beneficium: ſi expreſſit perſonas, tenetur diœceſanus: ſi verò dedit licentiam ſuis, vt à quocumque ordinentur, tenetur qui dat licentiã.

Gloſ. Ordinans debet inquirere an promouendi habeant tit. ſecus dant pœnas. *cap. ſecundum Apoſt. eod.* Sed Epiſcopus cui facta eſt commiſſio ab Ordinario ordinandi certas perſonas, non tenetur quærere, an ſint idonei, ſed debet præſumere miſiſſe idoneos. Item, an ordinatus ſine titulo, ſed re vera ſi habet patrimonium, habeat actionem petendi alimenta ab ordinante? Item qui dicit, *ordina clericos in tali villa*, dixit certos, ſed non expreſſos; & ſic ordinans eos alat. Item ordinans non poteſt reijcere ordinatum tamquam indignum beneficij. Item an ordinatus poſſit liberare ordinantem ab hac obligatione.

1228 Cap. XXXVIII. Quamuis.

SI Papa dat facultatem, v.g. Epiſcopo, conferendi beneficia in genere, vel beneficia deuoluta ad Sedem Apoſtolicam; ſi antequam Epiſcopus conferat, Papa alicui certæ perſonæ confert, vel mandat illi conferri, tenet collatio Papæ, non Epiſcopi: quia poſterior ſpecialis derogat primæ gratiæ generali, licet in ſpeciali non fiat mentio de generali.

Gloſ. Si dediſſet licentiam in ſpecie, vel ſi ex generali eſſet deſcenſum ad ſpeciem, valeret prima, niſi in ſecunda fieret mentio de prima. Item Papa in conferendis beneficijs habet plenariam poteſtatem in toto orbe. Item generi derogatur per ſpeciem. Item per gratiam generalem conferendi beneficia cedentium, vel decedentium, non poſſunt quæ vacant per adeptionem incompatibilis beneficij, nec quæ vacant in Curia.

1229 Cap. XXXIX. Si is cui.

REuocatio gratiæ non tollit ius acquiſitum, ſed acquirendum, quod non eſt connexum cum acquiſito; nec tollit acquirendum, quod non eſt connexum cum digniori acquiſito: v.g. fuit facta gratia alicui de acquirendo Canonicatum, præbendam, dignitatem; acquiſiuit Canonicatum, & non dignitatem, & reuocatur gratia; ſi Canonicatus erat coniunctus dignitati, non reuocatur gratia pro dignitate; ſi non erat annexus, amittitur. Idem de præbenda.

Gloſ. Per Papæ mortem concedentis gratiam non extinguitur gratia, etiam in re integra, niſi reuocetur; & tunc ius reuocatorium tollit ea quæ ſunt in fieri, non ea quæ ſunt in facto eſſe.

Cap.

1230 *Cap. XL.* Quodam.

SI mihi detur Canonia cum expectatione præbendæ vacaturæ, tibi datur eadem gratia cum clausula, vt anteferaris; interim vacat præbenda, & mihi confertur ignoranter: interim reuocatur gratia, & mox eadem præbenda sibi confertur. Quæritur, cui debetur? Resp. nulli: non mihi, quia tu præfereris: non tibi, quia est reuocata. Trid. 24. Refor. 19.

Glos. Decretum Papæ ligat ignorantes, *c. quia cunctis, de consecr. presbyt.*

1231 *Cap. XLI.* Mandatum.

MAndatum Papæ vt prouideant Petro de beneficio pertinente ad collationem Capituli, non extenditur ad beneficia, quæ Canonicus aliquis vt singularis solet conferre. Item si beneficium spectet ad Capitulum, & præbenda ad singularem Canonicum, neque extenditur, nisi mandatum dicat communiter, vel diuisim. *cap. cum in illis eod. in 6.*

CLEMENTIN. LIB. III.

DE PRÆBEN. ET DIGNIT. Tit. II.

1232 *Cap. I.* Si dignitatem.

SI habens dignitatem petit aliam, quæ habet curam animarũ, & Papa dispensat, sed in litteris non fuit positum, quod illa dignitas habebat curam, sed fuit apposita clausula, *prouiso quod cura animarum nullatenus negligatur*, non potest prouideri de beneficio, quod habet curam animarum. sic *cap. cum in illis, eod. in 6.* Item si mandat prouideri de dignitate pertinente ad collationem, depositionem quorumcumque, & inhibet illis ad quos spectat collatio, prouisio, vel electio; non potest prouideri de beneficio electiuo, idest quod per electionem datur: quia in dispositione non meminit de electione, quia inibi tunc non est ad augendum, sed ad exequendum.

Glos. Qui impetrat beneficium, debet facere mentionem de qualitate illius, an sit cum cura; & debet petere dispensationem de

de incompatibili: aliter licet Papa faciat mentionem de incompatibili, non tamen videtur dispensare. *cap. non potest, in 6.* secus si motu proprio illi donat.*cap.si motu prop.eod.in 6.* Item litteræ gratiæ vitiantur, & sunt ipso iure nullæ per surreptionem, consequenter processus ex his: litteræ iniustæ veniunt annullandæ per exceptionem, *cap.cum dilecta,de rescript.* Item exequutor mandati Papæ non potest prouidere de dignitate electiua, nisi de ea fiat expressa mentio in parte dispositiua. Item dignitas fit electiua per consuetudinem. An hæc gratia sit subreptitia quoad pluralitatem, & non quoad dignitatis prouisionem? quid si non expressit ordinem, vel redituum quantitatem? Item si nullus modus conferendi beneficium ponatur in mandato, includit etiam electiuum. An quando dicitur, *prouideatur in Ecclesia, vel de aliquo beneficio in Ecclesia,* si non sit nisi vnum, intelligatur de eo? Videtur non.

1233 *Cap. II.* Per litteras.

QVando Papa vel Legatus scribit vt prouideant clericum, non intelligitur de Xenodochijs eleemosynarijs, hospitalibus, etiam si habeant capellas, decimas, aut alia spiritualia iura, nisi hoc in litteris exprimatur.

Glos. In materia odiosa nomine beneficij non veniunt hospitalia, & alia loca; nec per clausulam generalem, nisi exprimatur. Idē, si agatur de reseruatione fructuum, etiamsi sint directæ litteræ motu proprio. Item ecclesiæ, capellæ, & iura si Episcopi auctoritate sunt instituta, & annexa hospitali, dicuntur loca religiosa; & si hospitale est principale, cui accedit Ecclesia, valet tit. iste; si Ecclesia principalis, cui accedit hospitale, non valet: si est dubium, si apparet possessio, & denominatio, hoc sequendum; si non apparet, standum est textui. Item prædicta non possunt dari clericis secularibus in beneficium, *cap. 2. de religiosis domibus*, nisi in duobus casibus; & an cum beneficijs possint permutari, vide ibi.

1234 *Cap. III.* Si plures.

Trid. sess. 7. Refor. 4 sess. 24. Refor. 17. QVi habent plures dignitates, si obtinent aliam, vel beneficium curatum sine legitima dispensatione, post pacificam possessionem vltimæ vacant omnes præcedentes ipso facto, sicut vacat vna, obtenta alia simili pacificè. *cap. de multa, eod.*

Glos. An dispensatus ad duo beneficia incompatibilia possit relinquere vnum ex duobus, & accipere tertium. *cap. non potest, eod. in 6.* & *cap. Ordinarij, de offic. ord. in 6. Constit. Execrab. Ioan. 22.*

Idem

Idem si collatio tenet, & per ipsum stat quod non accipit possessionem, idest vacat.

1235 *Cap. IV.* Si Romanus.

QVando Papa motu proprio prouidet de beneficio, habenti alia beneficia qualiacumque cum cura, vel sine, vel dignitates, vel personatus, licet non faciat mentionem de illis beneficijs, prouisio valet, nec obstat *cap. fin. de offic. ord.*

Glos. Collatio motu proprio tollit omnem subreptionem, sed non dispensat in incompatibilitate beneficiorum obtentorum, nec tollit aliam inhabilitatem etiam natam ex incompatibilitate beneficiorũ, nisi explicetur in proprio motu collato. *cap. si prop. motu eod. in 6.* Imo proprius motus non ampliat gratiam, vel vim verborum, sed operatur solum certum effectum, idest tollit subreptionem, *cap. dilecta, in clem. 2. eod.* Item cognoscetur beneficium collatum motu proprio, si id explicetur in collatione.

1236 *Cap. V.* Si beneficio.

QVando Papa scribit, vt quis prouideatur de beneficio spectante ad collationem Episcopi, si ex negligentia Episcopi beneficium deuolutum fuit ad Capitulum, de eo non poterit prouideri; si vero ex negligentia Capituli, vel alterius fuit deuolutum ad Episcopum vel Papam, de illo poterit prouideri. vide *cap. nulla, de conceß. præb.*

Glos. Papa intendit grauare Episcopum solum. nam si beneficium originaliter pertinebat ad Episcopum, & fuit deuolutum ad Papam, potest prouideri de eo; sed si ad alios inferiores, & per deuolutionem ad Episcopum, & deinde ad Papam, non potest.

1237 *Cap. VI.* Si iusta.

QVi habet canonicatum, & præbendam in vna Ecclesia, potest acceptare dignitatem, cui si est annexa præbenda, vacat prima præbenda post pacificam possessionem secundæ. Vide *cap. nulla, de conceß. præbenda.*

Glos. An qui habet dignitatem sine præbenda, & ex beneficio Papæ expectat præbendam, si vacat dignitas cum præbenda, possit prima relicta acceptare secundam? Resp. non.

EX-

EXTRAVAG. IOAN. XXII.

DE PRAEB. ET DIGNIT.

Tit, III.

De eadem vide inferius in Extrauag. communi cum nou. glos. commun. lib.4.

1238 *Cap.* Extrauagabilis.

Trid. ses. 7. Ref. 2. & infra.

QVi ante hanc Extrau. obtinebant ex dispensatione legitima plures dignitates, personatus, officia, Prioratus, seu beneficia incompatibilia, vt cum cura habebant; eligant beneficium curatum vnum, & alterum sine cura intra mensem à die huius decreti; reliqua verò beneficia cum cura, vel sine cura, quæ non possunt de iure retineri sine dispensatione, & cum dispensatione habebant, verbaliter, & realiter, & in effectu dimittant coram Ordinario cum testimonio publico; nec ad ea redeant, nec se immiscere præsumant eorum administrationi sine noua collatione; aliter sunt ipso iure priuati illis, & alijs duobus, quæ per hanc retinere poterant, & fiunt inhabiles ad similia beneficia. Excipiuntur Card. & filij Regum. Item prædicti cum duobus beneficijs si ex dispensatione habent expectatiuam similium, cum vacauerint, seruent hanc bullam, idest intra mensem à notitia vacationis accipiant vacantē, & renuncient quod habebant, nec relicta administrent sub ijsdem pœnis. Item qui præsumunt retinere plura talia beneficia sine dispensatione canonica, vltimo retento, si in eo habent ius canonice, reliqua intra mensem re ipsa renuncient coram Ordinario sub testimonio publico; si secus, priuātur etiam vltimo, & cēsentur inhabiles ad quæcumque beneficia Ecclesiastica obtinenda. Deinceps qui habens dignitatem, personatum, officium, vel aliud beneficium cum cura animarum, obtinet aliud simile; post pacificam possessionem secundi, vel si per ipsum stat quin habeat possessionē, statim ipso iure est priuatus primo, & debet illud dimittere in manibus Ordinarij pari modo; si secus fecerit, est ipso iure priuatus secundo, & reputatur inhabilis ad sacros ordines, & ad quæcumque beneficia Ecclesiastica obtinenda. Item omnia beneficia vacatura, vel dimissa virtute huius Bullæ seruantur dispensationi Papæ; & si quid innouatur quocumque priuilegio, irritum est & inane.

inane. Ordinarij, vt sunt Episcopi, in quorum diœcesi sunt beneficia, seu aliqua illorum beneficiorum, vel si aliqui d. bene dimittere in diœcesi, in qua morantur, vel sedibus vacantibus eorum capitula quam primum commode poterunt, certificent sedem Apostolicam de beneficijs dimissis, vel perditis, vt disponat. Item beficium cum cura, vt possit retineri cum alia dignitate sine cura, vt dictum est, intelligitur parochia cum cura, quæ non per Vicarios perpetuos, sed per rectores, vel ministrum illius beneficij, vel per temporales Vicarios. & illa etiam beneficia, quorum ministris ratione illorum beneficiorum competit visitare, inquirere, procurationes recipere, suspendere, excomm. absoluere à censuris de consuetudine vel iure, remanentibus alijs iuribus quoad cetera in suo robore, quæ de cura animarum loquuntur.

Glos. Dispensatio super multiplicitate beneficioru valet in foro conscientiæ, etiã sine causa facta; & recipiens est tutus in conscientia. Item nomine beneficij veniunt etiam Vicaria, pensio, & alia multa. Item promouens inhabilem ad beneficia peccat; nec consuetudo excusat; & in foro exteriori punietur de mala administratione; & indignus acceptans beneficia peccat. Dominus regni potest excipere contra promotum aduenam, si illum habet suspectum de proditione terræ. Item beneficia quæ habent curam habitu, non actu, verius dicuntur non habere curam. Item dicitur quis mendicare non solum quod non habet vnde viuat, sed quod non habet secundum suum statum arbitrio boni viri. Item in dubio domicilium præsumitur locus residentiæ beneficij, & in regularibus suum monasterium: alibi præsumitur vagabundus. Item licet propter identitatem rationis statutum pœnale extendatur ab vno in alium casum, vt de curatore ad tutorem, tamen hæc decret. quæ agit de personis, non extenditur ad loca habentia plura beneficia. Item pro filijs Regum intelligas etiã nepotes, nõ autem illegitimos. Item de sublimitate, & priuilegijs Card. ibi. Item in resignatione non requiritur instrumentum vel litteræ, sed sat est testimonium fide dignorum. Alia quammulta sunt, quæ prætermitto gratia breuitatis.

EXTRAV. COMMVN.

LIBER TERTIVS.

DE PRÆBEN. ET DIGNIT.

1239 *Cap. I.* Piæ ſolicitudinis. *Bonifac. viij.*

Trid. Reſ. ſeſſ. 7. c. 2. & ſeſſ. 24. c. 17.

BEneficia vacantia in curia ſolus Papa confert; & ſi ſecus fiat ignoranter, vel ſcienter, irritum eſt, non obſtante quacumque auctoritate.

1240 *Cap. II.* Ex ſupernæ. *Clem. v.*

REuocat prouiſiones factas ſub tit. commendæ perpetuæ ex eccleſijs Parochialibus, Archiepiſcopalibus, Epiſcopalibus, Monaſterijs, ad petitionem Regum, vel quorumcumque magnatū.

1241 *Cap. III.* Et ſi temporalium.

Reſeruat ſibi omnia beneficia vacantia pro illa vice.

1242 *Cap. IV.* Execrabilis. *Ioan. xxij.*

Eſt ead. decret. Io. 22. de qua ſupra: ſed gl. eſt diuerſa, quam vide.

1243 *Cap. V.* Saluator.

ECcleſia Tolet. erigitur in Archiepiſcopatū, & de nouo eriguntur quatuor cathedrales, quibus aſſignantur aliqui fructus eccleſiæ Toletanæ. Hic potes cognoſcere cauſam erigendi, diuidendi, eximendi, ſubijciendi eccleſias.

1244 *Cap. VI.* Nuper

APponit pœnas contra impedientes prædictam erectionem, & aſſignat exactores.

1245 *Cap. VII.* Nuper.

Diſpenſat in ætate, & ordine cum Abbate, vt ſit Epiſcopus.

1246 *Cap. VIII.* Ad cuiuſlibet.

Hortatur quendam vt accipiat Epiſcopatum.

1247 *Cap. IX.* Postulasti.

DEclarat quos fructus primi anni collator non debet exigere, vt legatorum promissis distributionum, &c.

1248 *Cap. X.* Cum nonnullæ.

REsoluit quædam dubia nata circa solutionem fructuum reseruatorum supradictorum.

1249. *Cap. XI.* Cum nonnullæ.
Idem quod in præcedenti.

1250 *Cap. XII.* Ad regimen. *Benedict. xij.*

REseruat Sedi Apostolicæ omnia beneficia cum cura, & sine cura, regularia, & secularia, & Archiepiscopatum, & consueta conferri per electionem vel alio modo, quæ vacant in Curia Romana etiam per priuationem, vel translationem, vel cessationem, vel renunciationem, ac etiam obitum officialium, vel commensalium eiusdem sedis, vel Legatorum, Nunciorum, vbicumque moriantur, necnon & aliorum qui pro negocijs veniunt vel recedunt à Curia, si intra duas dietas legales moriantur. Idem de Curialibus, si quacũque ratione intra duas dietas moriãtur, si ibi nõ habent propriũ domiciliũ; & si quid contra hoc fiat, etiam ignoranter, est irritum.

1251 *Cap. XIII.* Ad Romani. *Paulus ij.*

PRædicta beneficia vacantia in superiori cap. ita sunt affecta, vt solus Papa illa conferat, & alij non possint conferre.

DECRETALIVM LIB. III.

DE CLER. ÆGROTANTE VEL debilitato. Tit. VI.

1252 *Cap. I.* Cum percussio. *Greg.*

CLericus infirmus debet percipere omnes fructus sui beneficij, quos sanus recipiebat, ac si ecclesiæ inseruiret.

Glos. Famuli ægri, quos curamus, nobis seruire intelliguntur, & sunt in infirmitate pascendi; sic clerici infirmi stipendijs suis priuari non debent.

1253 *Cap. II.* Presbyterum. *Eugen.*

PResbyter qui habet scissos duos digitos cum medietate palmæ, non permittitur celebrare, quia timetur debilitas manus, vel scandalum ex deformitate; potest tamen facere alia officia sacerdotalia. Nota quod deformitas, & scandalum remouent Sacerdotem ab executione ordinum.

Glos. Deformitas impediens ordinatum vel ordinandum, melius colligitur in ipso facto, quam ex statuto.

1254 *Cap. III.* De rectoribus. *Lucius iij.*

SI rector ecclesiæ sit adeo lepra infectus, quod altari seruire nequeat, vel non sine magno scandalo eorum, qui ecclesiam ingrediuntur, est illi dandus coaudiutor cum sufficienti stipendio ecclesiastico, qui gerat curam animarum. Nota quod ægrotanti est dandus coadiutor, qui cùm accipiat portionem tantum, non dicetur prælatus. Item si reditus vtrique non sufficit, coadiutor accipiat reditus, & ægro prouideat prælatus.

1255 *Cap. IV.* Tua nobis. *Clem. 3.*

SI Curatus sit leprosus, pro scandalo, & abominatione populi remoueatur ab officij administratione, & iuxta facultates ecclesiæ dentur ei necessaria dum vixerit.

Glos. An substitutus dicatur, & sit vere prælatus, idest primus sit remotus in totum, an vero quoad actum tantum, res est dubia. Resp. Si non potest sine horrore esse inter alios, in totum remoueatur; & hoc est speciale in lepra; vnde substitutus dicitur habere curam. Idem si sit in nimia senectute, secus non. Item sunt aliqui casus, in quibus quis punitur sine culpa, non tamen sine causa.

1256 *Cap. V.* Ex parte. *Innoc. iij.*

EPiscopus, qui ob incurabilē morbum non potest exercere officium pastorale, non est cogendus renunciare; sed ei est dandus coadiutor prudens, & honestus, vt consulatur Episcopo, & Populo. Nota primo, quod nemo propter infirmitatem est cogendus renunciare. Secundo quod afflictis non est danda afflictio. Itē Archiepiscopus dat coadiutorem Episcopo morbo detento, non tamen est cogendus renunciare.

1257 *Cap. VI.* Consultationibus. *Honor.*

ARchidiacono qui amisit vsum linguæ ob paralisim, est dandus coadiutor.

Glos.

Glos. Idem si amisit vsum oculorum. Nota: Prælatis impotentibus exercere suum officium datur coadiutor. Item quod dicitur de linguæ officio, idem de oculis ammissis, cùm Archidiaconus sit oculus Episcopi, *c. Diaconi 93. dist.*

IN SEXTO LIBER III.

DE CLER. ÆGROTANTE VEL debilitato Tit. V.

1258 *Cap.* Pastoralis.

DAre Coadiutores Episcopis vel eorum superioribus spectat ad Papam: quia est de causis maioribus, non obstante constitutione contraria. Item conceditur facultas Episcopo, qui ob senium, vel aliud impedimentum perpetuum, suũ officium nequit exercere, vt possit de sui consilio, & assensu capituli vel maioris partis vnum vel plures coadiutores assumere ad officium exercendum: & si Episcopus fuerit demens, vel nequit exprimere quod velit, Capitulum, vel duæ partes eligat prædictos: & si in vtroque casu Episcopus renuat coadiutores, vel dicat se illis non egere, Capitulum nil innouet, sed omnia notificet Pontifici. Item coadiutores Prælatorum recipiant sumptus moderatos ab eorum ecclesijs. Item nil alienent de bonis ecclesiæ, & reddant rationem eisdem prælatis, si sunt sanæ mentis, & Capitulo: & si adhuc non reddiderint, reddant successoribus Prælatorum.

Glos. Legatus Cardinalis, nisi hoc habeat specialiter; non potest dare coadiutorem Episcopo, quia est de causis maioribus. Item coadiutor potest alienare bona mobilia, quæ seruando seruari non possunt, sicut tutor, vel curator. Item contra Roman. Ecclesiam non currit præscriptio in his, quæ sibi in signum specialis priuilegij seruauit. Item prælatus ægrotus incurabiliter numquam remouetur, sed datur ei coadiutor. Item non possunt dari plures duobus coadiutores. Item in primo casu debent esse duæ partes Capituli, sicut in electione Papæ.

DECRETALIVM LIB. III.

DE INSTITVTIONIBVS.

Tit. VII.

1259 *Cap. I.* Non amplius.



ON sunt plures in monasterijs recipiendi, quam commode ali possint de bonis ecclesiæ.

Glos. Propter nimium incrementum facultatum putat non esse recedendum à numero consueto, *arg. l. penult. C. de allu.*

1260 *Cap. II.* In Ecclesia. *Eugen.*

LAici non possunt institui canonici, sed numerus est explendus ex ipsis clericis intra debitum tempus.

Glos. Intra sex menses. Nota quod vbi certus numerus clericorum est constitutus, non debet minui, sed impleri. Item infra sex menses debet prouideri de persona in beneficio vacante, alias transfertur potestas ad superiorem. Item ius canoniæ non cadit in laicum etiam intitulatum, sed in clericum tantum: sicut etiam ius eligendi in collegiata nonnisi clerico competit, *cap. Massana, de elect.*

1261 *Cap. III.* Ex frequentibus. *Alex. iij.*

TAm illi qui à laicis recipiunt beneficia, quam laici qui illa conferunt, sunt excommunicandi; nec possunt absolui, nisi prius satisfecerint: quia de iure soli ordinarij conferunt, & alij ecclesiast.

Glos. Per canones antiquos, qui receperunt beneficia à laicis, sunt suspensi ipso iure.

1262 *Cap. IV.* Auctoritate. *Clem.*

VLtra facultates non potest quis institui inuitis canonicis illius ecclesiæ. Nota quod in institutione in ecclesia debent prouentus ecclesiæ considerari, *c. 1 sup. eodem.*

Glos. Nullus Episcopus est dandus inuitis. *c. nullus 63. distinct.*

1263 *Cap. V.* Ad decorem. *Innoc. iij.*

QVi in ecclesijs sunt instituendi non debent esse vnius nationis tantum, sed vndecumque sint, dummodo sint idonei. Nota quod

quod in ecclesia Dei non debet esse successio hæreditaria.

1264 *Cap. VI.* Cum venissent.

SI quis est in possessione instituendi vel conseruandi ecclesias, etiã contra ius cõmune pendente lite de proprietate manutenetur in possessione. Nota quod qui est in possessione, debet in ea defendi, donec de iure proprietatis constet. Item concessio personalis finitur cum persona, realis vero est perpetua, quæ fit ecclesiæ non personæ. Item nec factum, nec iuramentum Prælati ecclesiæ præiudicat, sed ipsi Prælato.

1265 *Cap. VII.* Cum ad nostram.

QVando quis efficitur Prælatus, non potest retinere dignitatẽ, quam prius habebat; quia illa vacat ipso iure. Nec vacantem aliquam sibimet potest conferre, quia inter dantem, & recipientem debet esse distinctio personalis; nec potest illam recipere ab alio, quia alius non habet ius conferendi.

Glos. Nemo vicem pluriũ personarum sustinet, *1.q.16.c.presb.* Vtrum si Prælatus det alteri facultatem sibi conferendi beneficium, possit ab eo illud recipere? non determinat: dico quod non.

IN SEXTO LIBER III.

DE INSTITVTION. Tit. VI.

1266 *Cap. I.* Etsi.

CApitulum sede vacante non potest conferre illa beneficia iuris patronatus, quorum collatio spectat ad Episcopum, sed potest præsentatos à Patronis admittere, si sint idonei, & instituere eos in beneficijs.

Glos. Capitulum sede vacante succedit Episcopo, ideo potest exercere ea, quæ sunt iurisdictionis, *c.cum olim de maior. & obed.* Conferre beneficia est iurisdictionis. *c. nouit de officio deleg.* Sed collatio dictorum beneficiorum seruatur Episcopo futuro. Nec valet consuetudo contraria, quia capitulum non potest præscribere, cum præscriptio non incipiat, nec currat contra sedem vacantem; sed potest instituere, idest confirmare electionem. Et instituere differt ab admittere; quia admittitur, cum dicitur *placet*; instituitur

cum confirmatur. Idem dicendum de electis, ac de præsen tatis, & idem de capitulo, ac de aliquo qui exercet iurisdictionem defuncti.

1267 *Cap. II.* Si is.

PRæsentatus si alias est idoneus, licet non sit ordinatus, si intra tempus, idest annum iuris possit ordinari; non est repellendus. *Glos.* Idoneitas, quo ad alias qualitates in præsentato requiritur in tempore præsentationis.

DECRETALIVM LIB. III.
DE CONCESS. PRÆB. ET ECCL. non vac. Tit. VIII.

1268 *Cap. I.* Qui in viuorum. *Gelasius.*



VI voluntarie institutus est in beneficio viuentis, est deponendus, & depellendus à communione Eccles. *Gos.* An quando quis fuit depositus sed iniuste, & alius ignoranter substituitur loco illius, si post quadraginta annos rem sciuerit, an teneatur relinquere beneficium ipsi deposito. Resp. quod non: quia eo ipso quod condemnatus non appellauit, acquieuit sententiæ; & sic sententia ipsa transiuit in rem iudicatam. *c. quoad consultationem sup. de sent. & re iud.* contra quosdam theologos tenentes, malam fidem quandocumq. superuenientem obligare ad restitutionem. (Dico ego quod tolleretur præscriptio, & numquam posset credi aliquem fuisse iuste institutum, quod est absurdum.)

1269 *Cap. II.* Nulla. *Conc. Lateran.*

ECclesiast. ministeria, & beneficia ecclesiæ non tribuantur, nec promittantur antequam vacent, ne mors proximi desideretur: quia expectatio futuræ successionis etiam apud gentiles fuit prohibita. Item si Episcopus debet conferre, & intra sex menses non confert, deuoluatur collatio ad capitulum: & si vterq. est negligens, ad Archiepiscopum. Nota quod potestas conferendi beneficia gradatim deuoluitur ad superiores, qui adhibeant consilium religiosorum.

Glos. Si promittatur beneficium antequã vacet, non valet promissio,

missio, nec contrahitur obligatio. Item neque valet promissio prædicta, quamuis sit de consensu præbendarum facta. Item tempus sex mensium currit à die scientiæ vacationis, non à die ipsa vacationis. Item qui habet ius eligendi, post lapsum tempus non potest beneficium conferre. Item hoc capitulum valet etiam in Episcopatibus, & Abbatijs, sed tempus est tantum trium mensium. *c. ne pro defectu, de elect.*

1270 *Cap. III.* Relatum. *Alex. iij.*

BEneficium vacans est conferendum, non obstante appellatione facta ab eo, cui beneficium promissum fuit antequam vacaret. Nota quod vbi non tenet promissio, nec tenet appellatio: cùm vbi non tenet principale, nec teneat accessorium.

1271 *Cap. IV.* Proposuit. *Innoc. iij.*

QVando Papa mandat vt prima vacatura præbenda cum canonicatu detur alicui, & assignat executorem qui præsentat litteras collatori; beneficium intelligitur ita affectum, quod si vacet, & alteri conferatur, collatio sit annullanda; & sic tamquam adhuc vacans conferendum est nominato à Papa, qui tamquam supra ius potest contra illud dispensare. Nota quod collatio facta contra mandatum Papæ est anullanda. Item per inuestituram non acquiritur ius inuestito, sed Papa potest dispensare contra ius.

Glos. Papa de eo quod nihil est, potest aliquid facere. *de consec. dist. 2. can. re vera.* Item Papa potest dispensare in iure positiuo, sed non contra statutum vniuersalis ecclesiæ. *c. minor* 24. *q.* 1. Nec contra quatuor euangelia. 14. *dist. c. sicut.* Nec contra articulos fidei: nec quod monachus habeat proprium *c. cum ad monasterium de stat. monach.*

1272 *Cap. V.* Quia.

IN vacatione beneficij tempus sex mensium pro collatione incipit à die notitiæ, non à die vacationis; nec currit, quando collator est legitime impeditus: vt si sit suspensus, non obstante confirmatione collationis alicui à sede Apostolica facta in forma communi; secus si in forma speciali. Nota quod per confirmationem in forma communi nil iuris acquiritur. Item suspensus ab homine non potest eligere.

Glos. Non currit hoc tempus sex mensium, nisi sit negligens in petenda absolutione à suspensione: si tamen præscriptio non currit. *c. illud*, & *c. cum non liceat de præscript.* licet sua culpa fuerit suspensus,

ſpenſus, tamen non currit: quia quæ ex ſua culpa procedunt, non imputantur ei. *c.ſi concupiſcentia* 15. *q.* 1.

1273 *Cap. VI.* Cum noſtris.

QVando beneficium vacat de iure, & non de facto; v.g. ſi dignitas conferatur Epiſcopo, & aliquis impetrat litteras, vt ſibi conferatur illa dignitas, non faciendo mentionē quod de facto non vacet: litteræ dicuntur ſubreptitiæ, nec valent, quia non faciunt mentionem de colorata poſſeſſione: compellitur tamen Epiſcopus relinquere dignitatem, niſi monſtret diſpenſationem. Nota: quando quis ex vna dignitate transfertur in aliam, licet de facto vtramque collationem detineat, tamen prima vacat de iure, & impetrans debet facere mentionem de facto illo; alioquin litteræ ſūt ſubreptitiæ, & per conſequens non datur ius.

Gloſ. Decidit qui nam executores poſſint, & qui non vi mandati conferre benef. pro diuerſitate mandati. Item quærit an ſicut, vt reſcriptum non ſit vitioſum, ſunt narranda non ſolum ea, quæ ſunt iuris, ſed etiam quæ ſunt facti; Sic ſi ſecundum reſcriptum non faciat mentionem de primo inualido, ſit nullum ipſo iure? Reſp. non, quia litteræ priores non dicuntur priores, cùm ſint nullæ. 7.*q.*1.*c. factus eſt*. Item poſſeſſio plurimum facti habet in acquirendo, cū ſine corporali actu nō procedat. *l.licet.C. de acquir. poſſeſſ.* in retinendo vero habet plurimum iuris, cum poſſit animo retineri. *l.nemo actu legit, C. de acquir. poſſeſſ.* Vtrum primum benef. vacet ex conſecutione ſecundi, ita vt impetrans ſecundum poſſit illud vere obtinere, non facta mentione quod ab eodem beneficio retineatur etiam primum benef. Reſp. quod ſic, iuxta litteras noſtri tex.

1274 *Cap. VII.* Poſt electionem.

DIgnitas quæ re vera non vacat, non poteſt alteri conferri, & eius poſſeſſio illi qui habet beneficium non debet retardari prætextu exceptionis, quod abiurauerit, vel renunciauerit. Not. qui conſenſit inſtitui in locum viuentis, eſt repellendus. Item electione celebrata, & non caſſata non eſt alia faciendu.

Gloſ. Archidiaconatus alicuius electi in Epiſcopum non dicitur plene vacare, niſi ſit conſecratus. *c.cum in cunctis, de elect.* vel ipſe conſentiat vt alteri detur.

Cap.

1275 *Cap. VIII.* Cum super.

RECeptus in canonicum quamprimum est prouidendus de præbenda à recipientibus. Nota: allegans se fecisse contra leges, ex tali lege nullum beneficium reportat, cùm frustra imploret quis auxilium legis qui committit in legem. Item receptus in canonicũ debet habere beneficium.

1276 *Cap. IX.* Literas.

QVi habet vnam præbendam in ecclesia, & aliam obtinet, vtramque retinens, vacat prima de iure, licet non de facto.

Glos. Quot sunt præbendæ, tot canonici debent institui, & consuetudo contraria est potius corruptela dicenda.

1277 *Cap. X.* Ex parte.

IN ecclesijs, in quibus non est certus numerus canonicorum, nec sunt certæ præbendæ, non habet locum Conc. Later. quod elapso semestri deuoluitur electio ad superiorem; sed illarum ecclesiarum est conseruanda consuetudo. Nota quod secundum facultates ecclesiæ canonici sunt instituendi secundum consuetudinem obseruatam.

Glos. Vnus vel duo canonici possunt se opponere toti capitulo pro defensione ecclesiæ, si habent causam rationabilem. *c. cum in cunctis, de his quæ fiunt à maiori parte.* Item quando Papa scribit pro aliquo eligendo, sẽper interpretandũ est secũdũ consuetudinẽ.

1278 *Cap. XI.* Constitutus.

HAbens potestatem conferendi potest de iure illam dare alteri; qui si confert, non potest primus eandem conferre. Sed talis licentia non est danda volenti facere fraudem contra ius. Nota quod Episcopus ex causa potest delegare collationes præbendarum quia est iurisdictionis. Item concessio vel donatio facta in fraudẽ iuris non valet. Item priuilegium personale non debet trahi ad ius commune.

G*los.* Si delegatus eligat indignũ, Episcopus potest iterum eligere, & non potest eidem iterum committere. Item si Episcopus eligat ante delegatum, valet.

1279 *Cap. XII.* Dilectus.

ELectio Episcopi, vel Archiepiscopi si non fiat in semestri, non deuoluitur ad alios, quia Conc. Later. intelligit de personatibus,

bus, & minoribus beneficijs.

Glos. Si ecclesia cathedralis vel regularis vacat per tres menses, electio deuoluitur ad proximũ superiorem. *in ne pro defectu de elect.*

1279 *Cap. XIII.* Ex tenore.

PRomissio beneficij vacaturi non valet, tamquam contra statuta, idest contra *c. nulla* & *c. relatum eod.*

Glos. Qui allegat suam turpitudinem audiiur, si adest periculum animæ. Item simpliciter in excipiendo potest quis suam turpitudinem allegare, *ff. de condit. ob turp. caus. per totum.*

1280. *Cap. XIV.* Accedens.

PRelatus si promittat prouidere de beneficio, quando poterit, tenetur prouidere: quia hæc promissio non est de vacaturo. Aduerte quod hodie hoc est correctum per *c. 2. eod. in 6.* & sic promissio quando poterit, non valet.

1281 *Cap. XV.* Postulastis.

QVando collatio spectat ad capitulum, & Episcopum vt Episcopus est, si intra sex menses non fiat, deuoluitur ad superiores: Si Episcopus ingrediatur, non vt Prælatus, sed vti Canonicus, deuoluitur ad ipsummet Episcopum, nisi dolose impediat.

1282 *Cap. XVI.* Cum dilecta.

PAtronus non potest promittere se præsentaturum aliquem ad beneficia vacatura, nec potestatem dare alteri vt præsentet; & si id faciat, non tenet.

Glos. An quis possit allegare suam turpitudinem? Resp. Sic, quando non est acquisitum ius alicui.

IN SEXTO LIB. III. *DE CONCESS. PRÆBEN. ECCL. non vac.* Tit. IV.

1283 *Cap. I.* Quia.

QVando mandatur prouideri alicui de dignitate vacatura, quam duxerit acceptandam, & vacat dignitas, quam ante acceptationem ordinis confert, tenet collatio, etiamsi executor impetrantis fecerit reseruationem, inhibitionem, & processus

ceſſus ſuper prima vacatura. Ratio, quia per mandatum non tollitur ordinario poteſtas conferendi, niſi poſt acceptationem, ante quam nil poteſt executor.

Gloſ. Hodie contra hunc caſum ſtylus curiæ per clauſulam apponit terminum acceptandi. Item priuilegium habet vim vbi peruenit ad eum, cui conceditur, vt non poſſit excommunicari: non ſic de præbenda vacatura.

1284 *Cap. II.* Deteſtanda. *Bonif. 8.*

PRomiſſio de beneficio, cum ſe facultas obtulerit, non valet, & ſic reuocatur. *c. accedens in l. eod.* Sicut non valet quæcumque promiſſio, quæ directe vel indirecte eſt contra Conc. Later. quia deſideratur mors alicui.

Gloſ. Abuſus eſt cauſa caſſãdi illa quæ erãt licita, & cõceſſa, vt leges

1285 *Cap. III.* Ne captandæ.

QVi à ſede apoſtolica habet litteras ſuper beneficio, dignitate, vel præbenda, quam duxerit acceptandam, debet acceptare primum quod vacat, vel ex cauſa ſecundum vel tertium; & non poteſt determinare acceptare aliquid non vacans; & quidquid factũ ſit ſuper non vacans, eſt irritum, & cum vacat, ordinarium conferat cui vult.

1286 *Cap. IV.* Executor.

EXecutor ſuper prouiſione alicuius de vacatura non poteſt per generales litteras inhibere ordinarijs generaliter ne procedant ad collationẽ beneficiorũ, donec illi, pro quo ſcribitur, prouideatur, niſi expreſſe hoc habeat in mandatis: poteſt tamen ſpecialiter pro primo, vel ſecundo, vel tertio vacaturo inhibere, ſi hoc habet in mandatis; & quicquid contra factum eſt, irritum eſt.

1287 *Cap. V.* Si Capitulo.

SI ſcribit Capitulo eccleſiæ ad quod ſpectat præſentatio, vt me recipiat in Canonicum, & præbendam, quæ vacat, vel primo vacaturam, & ego præſento litteras; licet meus executor non intimauerit, ei iam beneficium eſt affectum; & ſi vacat, capitulum non poteſt alteri conferre; & ſi poſt adminiſtrationem executoris intra certum tempus mihi non conferunt, executor poteſt exequi, & mihi conferre ſine capitulo.

Gloſ. Quod ſi non poſſunt capitulo præſentari litteræ, habentur pro præſentatis. vide ibi.

Cap.

1288 *Cap. VI.* Si soli.

SI dirigatur mandatum Episcopo soli, & Episcopo, & executori, vel soli executori, vt tibi faciat prouideri de beneficio in certa ecclesia & præsentatur mandatum, per talem præsentationem non aufertur ordinario potestas conferendi; quia collatio facta tenet, licet Episcopus si nō obediat, sit puniendus. Sed si in mādato ponitur, quod quidquid fit contra ipsum, sit irritum, vel executor cum interpositione decreti interdicat ordinario ne alteri conferat; vel si tu esses vi mādati receptus in canonicū,& expectares præbendā,tunc Episcopus non posset alteri conferre,& collatio esset nulla.

Glos. Declaratur *c. dilectus* 1. *&* 2. *de præbend.* Item quando plures expectant, quis alteræ præferatur. Item qui gratiæ præbendis afficiant.

1289 *Cap. VII.* Auctoritate.

QVando præcedens Papa dat expectatiuam primæ vacaturæ alicui, sequens Papa similem dat secundo, deinde tertio, in cuius litteris ponit vt præferatur prouisis à prædecessore Pontifice, non à se; tunc prima præbenda est danda secundo, secunda vel tertia primo, sicut in successione adoptati ab intestato. vide.

1290 *Cap. VIII.* Quoniam.

QVando Papa reuocat gratias, & expectatiuas, includit canonicos receptos expectantes distinctam præbendam, etiamsi percipiebant distributiones quotidianas: includit etiam habentes ius ad vacatura beneficia, si non dum fuit facta collatio; idest non habent ius in re: sed non extenditur ad eos canonicos receptos vltra numerum, qui tamquam de numero per mortem aliorum non expectant nisi augmentum distributionum, seu partium suarum.

Glos. Hoc cap.declarat *c.si is, & c.quodam de præbend.* Item. An quis recipiatur in tali ecclesia.

CLEMENTIN. LIB. III.
DE CONCESS. PRÆBEND. & eccl.non vac. Tit. III.

1291 *Cap. I.* Cum ei.

MAndatum Papæ conditionale non afficit potestatem ordinarij vel alterius collatoris ante expletam conditionem, etiā adiecta

adiecta conditione irritante: v. g. si Papa mandat Episcopo, vt prouideat alicui de beneficio viginti librarum valoris vel minoris, si clericus voluerit acceptare, & fuerit idoneus; si Episcopus conferat alteri beneficium taxati valoris, antequã reperiatur idoneus, collatio tenet. Sed si apposuit, vt intra mensem possit acceptare cum decreto irritanti infra mensem, collatio non tenet. Item intelligitur acceptare, quando petit per suum executorem sibi conferri, vel præsens recipit. Item dicetur habere notitiam vacationis, si est in loco vel ecclesia vbi vacat; & sic currit mensis: & si nescit, sibi imputet.

Glos. Quando mandatum Papæ de conferendo alicui beneficiũ vacabile vel vacaturũ, non continet decretum irritans; si Episcopus contra mandatum Papæ alteri confert, collatio tenet. Item promouendus ad beneficia debet esse idoneus. *c. si eo tempore de rescript. in 6.* Item quando Papa scribit pro aliquo clerico paupere, consueuit prius illum facere examinare. Item quando scribitur vt Episcopus conferat beneficium certi valoris, non potest Episcopus conferre maioris, vel minoris valoris. An qui potest intra mensem acceptare beneficium, possit etiam post mensem.

EXTRAV. COMMVN.

DE CONCESS. PRÆBEND. & eccl. non alien. Tit. IV.

1292 *Cap. I.* Sedes Apostolica. *Gelas.*

QVando litteræ apostolicæ continentes gratiam vel iustitiã, dantur alicui pro aliqua diœcesi; si illa diuidatur in plures, illæ litteræ habebunt executionem in illis pluribus.

1293 *Cap. II* Ad Apostolatus.

QVando Papa diuidit Episcopatum, non præiudicat iuribus Ecclesiæ, vel personarum ecclesiasticarum, vel officialium, nisi quatenus in litteris exprimitur. Quare Capitulum, Archidiaconus, & alij officiales possunt exercere sua officia vt prius.

Glos. Princeps per factum suum non intendit derogare iuri alterius, nisi in quantum exprimit. *c. super eo. de offic. deleg.*

D E-

DECRETALIVM LIB. III.

NE SEDE VACAN. ALIQVID innouetur. Tit. IX.

1294 *Cap. I.* Nouit.

SEde Episcopali vacante nil est innouandũ, immo neque Papa innouat: quia non est qui defendat ius Episcopale; & ne plus personæ quam ecclesiæ tribuisse videatur.

Glos. Quot modis vnio ecclesiarum fieri potest. Vide etiam Conc. Trid. *sess. 7. de ref. c. 6.* & *sess. 24. de ref. c. 9. 13. & 15.* Item in sede vacante clerici non possunt disponere aliquid de bonis ecclesiæ, nec Episcopus bona ecclesiæ vacantis sibi subiecta potest alienare, nisi sit magna necessitas. Item in minoribus ecclesijs propter necessitatem potest alienare Episcopus mortuo Sacerdote. Item contractus factus à Canonicis mortuo Episcopo non tenet, nec sententia lata contra Ecclesiam, nec contra minorem.

1295 *Cap. II.* Illa.

BEneficia spectantia ad collationem Prælati sede vacante non potest capitulum conferre, quia non deuoluuntur per negligentiam. Nota quod non currit præscriptio, vbi non est negligentia. Item prima collatio nulla non impedit secundam.

Glos. Quod non conceditur, intelligitur prohibitum. *c. inter corporalia de translat.* & quod non est prohibitum, intelligitur concessum. Item An capitulum sede vacante possit absoluere? Resp. quod sic. *c. vni de maior. & obed.*

1296 *Cap. III.* Constitutis.

TEstimonia, & iudicium sede vacante facta contra ecclesiam non tenent, quia non habet defensorem.

Glos. An œconomus sede vacante possit agere? Resp. quod non, sed est expectandus Episcopus.

IN

IN SEXTO LIBER III.

NE SEDE VACAN. ALIQVID innouetur. Tit. VIII.

1297 *Cap.* Si ad Episcopum. *Bonif. 8.*

SI collatio beneficij pertinet ad Episcopum etiam vt prelatum, & ad Capit simul, si vna pars fiat inhabilis, altera potest conferre: v.g. mortuo Episcopo, vel suspenso à collatione benef. capitulum conferat præbendas; & si capitulum sit suspensum à collatione benef. vel singuli Canonici sint excommunicati, Episcopus conferat: si collatio præbēdarum spectat ad Episcopum solum, cum consensu, vel assensu capituli: si Episcopus sit defunctus, vel suspensus, capitulum non potest conferre illas, nisi Episcopus fuerit in mora: si collatio benef. spectat ad aliquem, cum consilio tamen Episcopi, si moriatur Episcopus, vel ita sit absens, vt eius præsentia in breui nō possit haberi; tunc ille ad quem spectat, conferat beneficium, ne diu vacet.

EXTRAVAG. IOAN. XXII.

NE SEDE VACAN. &c. Tit. V.

1298 *Cap.* Si fratrum.

QVI mortuo Imperatore retiuent, vel de nouo assumunt nomen Vicarij, vel alterius Imperialis officij in aliqua parte orbis, vel eo vtuntur sine licentia sedis Apostolicæ, excommunicantur; & qui eosdem sub hoc tit. recipiunt vel eis obediunt, vel alios obedire permittunt, vel in hoc eis præstant auxilium, consensum, fauorem, excommunicantur; & istorū singuli, ac eorum terræ, & loca subijciuntur interdicto, & alijs arbitrarijs pœnis, & eorum subditi soluuntur à iuramento in hoc, si quid præstiterunt, & dissoluuntur omnia iuramenta & fœdera, quia sunt iniquitatis.

EXTRAV. COMM. LIB. III.
NE SEDE VACAN. &c.

1299 *Cap.* Suſcepti. *Ioan. 22.*

QVI ex priuilegio, conſuetudine, vel ſtatuto primi, vel ſecundi, vel plurium annorum fructus beneficij vacantis ſibi vendicant; ſtatuitur: Si beneficia maiora, vel minora quantum ad ſolutionem decimæ, vel illa relicta pro electo beneficiato, velint reſiduum, quod ſupereſt, & poſt octo dies ſi ipſi non eligunt, qui de nouo ſunt creati beneficiarij, eligant quam partem velint; & ſic vtrique dabuntur fructus. Si nō ſunt taxata, tamen illi fructus pro quibus eccleſia conſueuit ſoluere decimas, diuidātur, & dimidiam partem accipiat beneficiarius, & dimidiam priuilegiatus: & ſi quis non eſt contentus, vtramque partem accipiat qui eſt contentus, & faciat inſeruire eccleſiæ. Et ſi aliquis accipit aliquid vltra præmiſſa, ſi eſt Prælatus, eſt ſuſpenſus ab ingreſſu eccleſiæ: ſi eſt Capitulum, Vniuerſitas, vel Collegiū, eſt interdictum donec reſtituat, ſi particularis perſona, eſt excommunicata, nec poteſt abſolui niſi facta reſtitutione, & ad hunc finem reuocantur omnia priuilegia.

Gloſ. Ibi multa, quibus fructibus ſint ſoluendæ decimæ, & ex quibus non.

DECRETALIVM LIB. III.
DE HIS QVÆ FIVNT A PRÆL. ſine conſenſu Capituli. Tit. X.

1300 *Cap. I.* Irrita.



DONATIO, venditio, commutatio rei eccleſiæ facta ab Epiſcopo ſine conſenſu Capituli vel clericorum non tenet.

Gloſ. Magna res non poteſt alienari, parua ſic. 12. *q.* 2. *terrulas*. Item capitulum debet ſubſcribere alienationi, alias non tenet per ſolum Epiſcopū facta. *cap. non liceat* 12. *q.* 2.

1301 *Cap. II.* Continebatur. *Alex. 3.*

SI Prælatus alienat sciente, & tacente capitulo, tenet alienatio, quia capitulum consentire videtur.

Glos. Taciturnitas habetur pro consensu, quando alienatio est ad tempus; Sed quando est perpetua, requiritur expressus consensus, & subscriptio. *cap. 1. sup. & 12. q. 2. sine exceptione.* vt appareat de tali consensu. *c. si seruus dist. 54.*

1302 *Cap. III.* Cum nos.

DOnatio facta ab Episcopo sine consensu capituli est nulla; Sed si capitulum deinde eam ratam habet, valet. Nota quod ratihabitio retrohabitur, & mandato comparatur. Item subsequens consensus valet.

Glos. Ratihabitio tunc valet, quando ratificans ab initio potest alteri mandare: etenim si eius nomine quid fiat, ratihabitio facta post valet. Sed in his quæ per alios fieri non possunt, sed expleri debent per se, vel in ijs, quæ sunt contra naturam, vel quæ sine peccato fieri non possunt, & quæ ipso iure ab initio nulla sunt; non valet eorum subsequens ratificatio.

1303 *Cap. IV.* Nouit.

NOn decet, omisso consilio capituli, vti consilio aliorum in negotijs ecclesiæ. Quare non potest Episcopus instituere, vel destituere aliquas personas sine consensu fratrum: alias facta institutio vel destitutio nulla est ipso iure.

1304 *Cap. V.* Quanto.

SImiliter Prælatus non potest negotia tractare sine consensu Capituli. Nota quod qui in litteris scribit nomina absentium, ac si essent præsentes, tenetur de falso. Nota secundo, quod testamẽtum falsum est, si testator articulate nesciebat loqui, vel scribere.

Glos. Crimen falsi incurrit, qui furtiue surripit sigillum nomine Capituli, & qui aperit litteras iudicum; & sunt deponendi, *c. olim de rescript.*

1305 *Cap. VI.* Ea noscitur.

QVando collegiata habet ius præsentandi, præsentabit Prælatus de consensu Capituli, vel maioris, & sanioris partis: aliter præsentatio non valet, nisi Prælatus probet consuetudinem, vel priuilegium.

Glos. Præsentatio per litteras potest fieri quibus standum est, donec aliquid in contrarium probetur.

1306 *Cap. VII.* Cum Apostolica.

SI decimæ concedantur laico in feudum perpetuum, & laicus cũ solo cõsensu Episcopi sine clero donet alicui ecclesiæ decimas, donatio tenet: quia hoc est reuocare ad ecclesiasticum vsum, qui à laicis detinetur; & non est alienare ius ecclesiæ, quia tunc non teneret sine consensu cleri, sicut nec teneret in alijs decimis à laicis datis ipsi ecclesiæ, si alienarentur sine consensu Capituli.

1307 *Cap. VIII.* Tua nuper.

EPiscopus sine consensu, & subscriptione clericorum non potest concedere in perpetuum ecclesias, quia hoc esset alienare; quamuis accipiens in illa ecclesia haberet iuspatronatus, & alienaretur, cum solo Archidiacono.

1308 *Cap. IX.* Pastorales.

EPiscopus sine consensu capituli, vel auctoritate Papæ non potest concedere alicui Monasterio Ecclesias Parochiales, vel fructus, seu obuentiones Parochiæ, etiam cum consensu patroni.

Glos. Ex hac littera posset Episcopus absque auctoritate Capituli dare quinquagesimam vel centesimam partem prouentuum Parochiæ.

1309 *Cap. X.* Et si.

IN Concilio Prouinciali debent inuitari Capitula cathedralium Ecclesiarum, & eorum nuncij debent admitti ad tractatum, maxime quando agitur de rebus pertinentibus ad capitula.

DECRETALIVM LIB. III.
DE HIS QVÆ FIVNT A MAIORI parte Capituli. Tit. XI.

IN

1310 *Cap. I.* Cum in cunctis.



IN capitulis quod à maiore, & saniore parte fuerit statutum, præualeat, appellatione remota, non obstante consuetudine contraria, licet iurata. Immo si quis iurat seruare talem consuetudinem, priuatur communione, donec agat pœnitentiam, nisi pars minor obijciat aliquid rationabile.

1311 *Cap. II.* Quæsiuit. *Cælestinus iij.*

CAnonicus sine consensu Episcopi, & fratrum non potest ponere interdictum in ecclesia: & pœna ecclesiastica non est imponenda nisi ijs, qui delinquunt, nec pœna debet excedere delictum.

Glos. Non debet interdici ecclesia propter delictum alicuius, nisi delinquens sit dominus loci; cum puniatur tantum qui deliquit, non qui innocens est.

1312 *Cap. III.* Ex ore. *Innoc. iij.*

APpellatio illius, ad quem non spectat appellare, non valet, nec impedit ordinationem ecclesiæ: & electus à maiori, & saniore parte capituli, est bene electus, & confirmandus. Item habens ius ad electionem præpositura, si alicui electo reuerentiã præstat, quæ debetur præposito, videtur renunciare suo iuri ipso facto.

Glos. Quando Papa mandat dari alicui præbendam, & capitulum alium eligit, tenet electio. *c. dilectus de præbend.* Item renũciatio expressa non valet sine auctoritate superioris. *cap. admonet de renunciat.* tamen renunciatio tacita, idest ipso facto facta, licet verbis non consentiat, valet sine auctoritate superioris; sicut plus valet prohibitio tacita, quam expressa in contestatione litis. An si cassaretur electio præpositi, cui ipse dominus fecit reuerentiã possit dominus agere pro præpositura. Resp. non: quia actio semel extincta non reuiuiscit. *l. qui res, §. arcam, ff. de solut.*

1313 *Cap. IV.* Ex parte.

SI Episcopus cum maiore, & saniore parte Capituli statuit cõtributionem canonicorum pro reparanda fabrica ecclesiæ, quãuis aliquis canonicus contradicat, tamen valet statutũ plurimorũ. Nota, sententiam maioris, ac sanioris partis Capituli præualere.

DECRETALIVM LIB. III.

VT ECCLESIASTICA BENEFICIA sine diminutione conferantur.

Tit. XII.

1314 *Cap.* Vt nostrum. *Innoc.iij.*



Cclesiastica beneficia sine diminutione sunt conferenda. Item qui ante donationem beneficij ecclesiastici non percipit prouentus, sed alius, & ex donatione consequitur vt fructus percipiat, est simoniacus; sed si ante donationem percipit fructus, & ante constituit ex causa necessaria, vt retineat fructus, est licitum. Sed si conueniat cum eo qui accipit beneficium, vel cum mediatore, vt retineat prouentus, & concedat beneficium, est illicitum, & simonia palliata. Nota quod nullus sine accusatore debet damnari. Item ille contra quem est præsumptio, debet reddere rationem,& se excusare. Item si actor non probat, reus est absoluendus, nisi præsumptio sit contra eum; tunc enim onus probandi in eum transfertur. Item superior ex officio suo debet inquirere de excessibus inferiorum. Item occulta donatio est suspecta, & sic non debet valere.

G*los.* Conditio, & modus inducunt simoniam, cùm sint æquipollentia. *c.2.& 3.de cond. appos.* Immo magis obligatur quis sub modo, quam sub conditione: nam sub modo habens obligatum, potest statim petere data cautione de adimplendo modo, *l.cum in testam. ff. de fideicom.* sub conditione vero habens quem obligatum non potest petere, nisi conditione extante, *l.qui hæredi, §.in l. ff. de cond.& demonstr.*

DECRETALIVM LIB. III.

DE REBVS ECCLES. ALIENAND. vel non. Tit. XIII.

Cap.

1315 *Cap. I.* Non licet.

PRAELATVS, fiue Epifcopus, fiue Abbas, non poteft darr terras, vel alia bona vnius ecclefiæ fuæ alteri fuæ ecclefiæ, nifi cum confenfu ambarum partium.

Glof. Requiritur etiam iufta caufa. *c. conftitutus de relig. dom.*

1316 *Cap. II.* Quæres.

QVi petit, & recipit à laicis res ecclefiæ, perdit receptas,& eft excommunicandus. Nota quod conceffio de re ecclefiaftica facta à laico non valet.

1317 *Cap. III.* Confenfus.

REctor ecclefiæ, qui dat fuæ ecclefiæ alia bona, vel acquirit eidem ecclefiæ prædia, vel familias, poteft aliquos de familia ecclefiæ fuæ, ideft feruos manumittere, fi datum valet duplo plus feruis manumiffis; & ferui cum eorum pofteritate funt fub patrocinio ecclefiæ,& præftant operas impofitas tempore manumiffionis

Glof. Hoc eft fpeciale in prole liberti ecclefiæ, vt femper fit ecclefiæ obnoxia; ficut etiam quod res data pro feruo manumiffo valeat duplum. *12.q.2.Epifcopus.*

1318 *Cap. IV.* Epifcopi.

EPifcopus nihil de fuo dans ecclefiæ non poteft eiufdem feruos manumittere. quod fi manumittat, non tenet manumiffio, & fucceffor feruos reuocare poteft.

1319 *Cap. V.* Nulli.

NEmo poteft alienare res immobiles ecclefiæ, fiue agrum, fiue rufticum mancipium; nec obligare titulo hypothecæ. Item nomine alienationis intelligitur conductio, donatio, venditio, permutatio, contractus perpetuus emphyteufis; hoc fub pœna conftitutionis Leonis.

Glof. Non poteft alienatio fieri bonorum ecclefiæ, nifi pro vtilitate eiufdem. *12.q.c.2.fine exceptione.* Item mobilia, quæ feruando feruari non poffunt, Prælatus poteft alienare: ficut tutor poteft alienare res tales pupilli. *l.lex quæ, in fin. C. de admin tut.* Item hipoteca eft obligatio rei immobilis; pignus rei mobilis, quafi à pugno.

1320 Cap. VI. Si quis.

CLericus, vel defensor, qui subscribit alienanti bona ecclesiastica, debet excommunicari, nisi alienans, & qui accepit, celeriter restituant; & præter excommunicationem instrumentum alienationis non valet. Item quilibet ecclesiasticus potest contradicere alienationi, & repetere bona cum fructibus.

Glos. Defensor accipitur pro procuratore, & aduocato. Item celeriter in hoc casu intelligitur, antequam lædatur ecclesia. Item ecclesia habet actionem personalem contra alienatorem, si est soluendo, & in rem contra possessorem; nec ecclesiastica debet cedere suas actiones soluenti contra alium, cùm ex suo delicto soluens fuerit conuentus. *l. si plures, ff. de adminstr. tut.*

1321 Cap. VII. Ad aures. *Alex. iij.*

TErra non fertilis potest dari in emphyteosim perpetuam sub annuo censu illis, qui eorum vel parentum labore eam meliorarũt, nisi forte tempore contractus possit dari alijs cum maiori vtilitate.

1322 Cap. VIII. Vt super. *Cælestinus iij.*

EPiscopus qui iurat non alienare bona ecclesiæ, non potest illa alienare, siue sint de mensa Episcopi, siue non: sed de consilio sanioris partis Capituli potest alienare, vel commutare possessiones ecclesiæ minus vtiles pro vtilioribus.

Glos. Pro decimis iam subtractis, & retentis à Regibus potest ab eis recipi aliquid pro commutatione: pro futuris autem non est admittenda talis commutatio. *c. vlt. de rerum permut.* Item quilibet Episcopus iurat Papæ fidelitatem, & non alienare, nec infeudare bona eccles. de nouo. Item alienatio sumitur large, siue trãsferatur dominium, siue non. *c. nulli, eod.* Item quando possessio est penitus inutilis, non requiritur consensus capituli ad alienandum, nisi de honestate: quando vero est minus vtilis, requiritur de necessitate, 12. *q.* 2. *c. terrulas.*

1323 Cap. IX. Ad audientiam.

CAnonici non possunt locare prædia ecclesiastica in perpetuũ; & si locãt, sunt reuocãda, & locans refundat pretiũ locatori.

Glos. Conductor si est in bona fide, habet actionem contra locantem pro pretio; si in mala, non item. 12. *q.* 2. *Vulterana.*

Cap.

1324 *Cap. X.* Possessiones. *Innoc. iij*

EPiscopus non potest alienare possessiones, quæ sunt de mensa Episcopali, vel Capituli; nec dare clericis, vel laicis ecclesias, in quibus laici solent ministrare.

Glos. Potest Episcopus è conuerso amouere sæculares ab ecclesia, & dare illam regularibus, sed cum consensu clericorum.

1325 *Cap. XI.* Ad nostram.

QVando ecclesia in alienatione inuenitur enormiter læsa; restituenda ei sunt bona, & restituenti reddatur pretium, & relinquantur fructus percepti pro suo labore.

Glos. Post quadriennium non subuenitur ecclesiæ per beneficium restitutionis. *l. vlt. C. de temp. in integr. rest.* Item pro leui damno non datur restitutio. *c. 1. de in integ. rest.*

1326 *Cap. XII.* Cum laicis.

ALienatio rei ecclesiasticæ sine legitimo consensu personarum ecclesiasticarum non valet, quamuis esset facta iuxta constitutionem laicorum, & præsumentes contra facientem sunt compellendi censuris ecclesiasticis.

Glos. Qui alienat res ecclesiæ sine legitimo consensu, est ipso iure excommunicatus. *c. nouerit, de excommunic.*

IN SEXTO LIB. III.

DE REBVS ECCLES. NON alienandis. Tit. IX.

1327 *Cap.* Dudum.

EPiscopvs, dũ vacat aliqua sua ecclesia, non potest alienare perpetuo bona illius, quia caret defensore: similiter sine tractatu solemni, & diligenti alienatio perpetua non valet. Sic si desit necessitas, vel euidens vtilitas.

Glos. In alienatione rei ecclesiæ licet narretur vtilitas, vel necessitas, nisi probetur, non creditur. Item quando iusta causa subest, & vna ecclesia abundat, Episcopus cum consensu Capi-

Capituli vel [illegible]oris poteſt dare ex vna alteri eccleſiæ. Item Epiſcopus [illegible]on poteſt alienare rem menſæ ſuæ ſine conſenſu Capituli, [illegible] auctoritate Archiepiſcopi. An conſenſus Canonicorum habitus non in communi valeat. Item tanta ſolemnitas abijt in diſſuetudinem. Item in alienatione temporali ſufficit tacitus conſenſus, quia non ita læditur eccleſia: in perpetua requiritur expreſſus, & tractatus.

1328 *Cap.* Hoc conſultiſſimo.

PRælati non ſubmittant laicis eccleſias ſibi commiſſas, vel eorũ bona immobilia, vel iura, cognoſcendo ſe ab illis tamquam à ſuperioribus retinere (non prohibetur iuridica alienatio) ſine conſenſu capituli, & expreſſa licentia Papæ. Item contractus taliũ alienationum non habent vim. Prælati contra facientes ſunt ipſo facto ſuſpenſi ab officio, & adminiſtratione. Clerici qui ſciunt aliquod eſſe præſumptum, & negligunt renunciare ſuperiori, ſunt per triennium ſuſpenſi à beneficio, ſi quod in eccleſia grauata habent. Item laici qui compellunt clericos ad faciendam talem ſummiſſionem, ſunt excommunicati, & qui aliquid accipiunt, niſi reſtituãt, & reſipiſcant, vltra excommunicationem, eorum terræ ſupponantur interdicto iudicis.

Gloſ. Laici poſſunt vocari in Patronos, & defenſores ad modicum tempus, ideſt ad decem annos, vel arbitrio iudicis.

CLEMENTIN. LIB. III.
DE REBVS ECCL. NON alienandis. Tit. IV.

1329 *Cap. I.* Monaſterium.

REligioſus præſidens alicui monaſterio, vel eccleſiæ, non poteſt concedere iura, redditus, poſſeſſiones eiuſdem eccleſiæ alicui ad vitam eius, ſeu ad certum tempus, etiam recepta pecunia, niſi neceſſitas, vel vtilitas illius monaſterij, vel eccleſiæ hoc exigat: & tunc cum conſenſu capituli; & ſi non habet, proprij prælati. Qui ſecus facit, eo ipſo eſt ſuſpenſus, nec recipienti ius acquiritur. Non tamen loquitur de locatione redditꝞum, ſeu fructuum venditione ad tempus modicum.

Gloſ. Modicum tempus in hoc ſunt decem anni, vel iudicis arbitrio

bitrio. Item hæc constitutio non comprehendit sæculares, nec religiosos, quando preest ecclesiæ seculari, vt sæcularis.

1330 *Cap. II.* Si vna.

EPiscopus cum consensu Capituli potest vnire vnam ecclesiam alteri, vel loco religioso, etiam non vocato rectore, vel defensore illius ecclesiæ; sed non potest etiam cum consensu Capituli illam vnire suæ mensæ, vel capitulo, non obstante consuetudine contraria.

Glos. Episcopus vniendo ecclesias nō facit præiudicium Rectori durante eius vita, *c.consultationibus, de donat.* Item Abbas non potest suas ecclesias vnire, quia hoc est munus Episcopale.

EXTRAV. COMMVN.
DE REBVS ECCL. NON alienandis.

1331 *Cap.* Ambitiosæ. *Paul. ij.*

PRohibetur alienatio omnium rerum, & bonorum ecclesiasticorum, & omne pactum, per quod illorum dominium transfertur, vt concessio, hipoteca, locatio, & conductio vltra triennium. Item infeudatio, & contractus emphyteoticus, præter quam in casibus à iure permissis, ac de rebus, & bonis in emphyteosim ab antiquo concedi solitis; & tunc cum euidenti vtilitate ecclesiarum, & de fructibus, & bonis quæ seruando seruari non possunt pro instantis temporis exigentia: & innouat decreta, & constitutiones prædecessorum super hac materia. Item quando alienantur bona ecclesiæ contra hoc decretum, non tenet alienatio, hipotheca, concessio, locatio, conductio, infeudatio. Item tam qui alienat, quam qui alienatas res accipit, sunt excommunicati. Et si Episcopus, vel Abbas bona ecclesiæ alienat inconsulto Papa, interdicitur ei ingressus ecclesiæ penitus: & si in tali interdicto ostinate durauerint per sex menses, eo ipso sint suspēsi ab omni administratione ecclesiæ, vel monasterij in temporalibus, & spiritualibus. Inferiores vero, qui ecclesias cum cura, vel sine habentes beneficia, & bona alienant, sunt ipso facto priuati beneficijs, & tamquam vacantia possunt conferri alijs, exceptis ipsis priuatis, & bona alienata reuertuntur ad easdem ecclesias.

DE-

DECRETALIVM LIB. III.

DE PRECARIIS. Tit. XIV.

1332 *Cap. I.* Precariæ.

PRecariæ de quinquennio in quinquennium secundum auctoritatem, & antiquam consuetudinem renouari debent.

Glos. Precaria est contractus initum vsque ad quinquenniũ, vel donatio vsque ad mortẽ accipientis. 12.*q*.2.*c*.*sæpe*.

1333 *Cap. II.* De precarijs.

SVccessor potest dissoluere precaria irrationabiliter facta ab antecessore, non obstante pœna graui apposita, & potest reuocare bona ecclesiæ. Nota quod quando contractus non tenet, nec pœna tenet. Item successor non tenetur ex contractu facto ab antecessore in damnum ecclesiæ.

1334 *Cap. III.* Precarium.

PRecarium potest reuocari ad libitum concedentis, & soluitur morte eius cui fuit concessum, & non morte concedentis, & soluitur etiam, si ille, qui concessit precarium illud alienauerit alicui, qui postea illud reuocat. Sed contractus, qui dicitur precariæ, non potest reuocari ad voluntatem concedentis.

Glos. Precarium reuocatur sicut mandatum: & differt ab eo, quod reuocatur interpositiue, commodatum non, nisi post vsum complementum; & precarium consistit tam in re mobili, quam immobili, & in seruitutibus: vt si me roges, quod tibi liceat iter agere &c. per fundum meum &c.

DECRETALIVM LIB. III.

DE COMMODATO Tit. XV.

1335 *Cap.* Cum gratia.

QVI accipit commodatum gratia sui tantum, tenetur etiam de leuissima culpa, sed non de casu fortuito, nisi acciderit sua culpa, vel intercesserit pactum, vel fuerit in mora. Item non potest

poteſt repeti commodatum, niſi finito vſu, ob quem fuit commodatum, quia ex beneficio non debemus decipi, ſed iuuari.

Gloſ. Commodatum eſt gratuita conceſſio rei, ad aliquem vſũ certum; precarium vero datur ſine determinatione vſus, & poteſt ſemper reuocari. Commodatum dicitur, quaſi datum commodo vtentis, & non transfert dominium, & fit ſine mercede. Item ſi commodatum eſt gratia recipientis tantum factum, tenetur etiam de leuiſſima culpa commodatarius; nec excuſatur ſi dicat adhibuiſſe talem diligentiam, qualem in ſuis rebus ſi alius diligentius cuſtodiſſet. Si vero gratia dantis tantum (vt ſi commodauit veſtes, vt ſponſa mihi ornata veniret, vel ludum ſcenicum viderem) tenetur de dolo, & culpa lata. Si tandem ſit factum gratia vtriuſque, tenetur de dolo, & culpa lata tantum ipſe commodatarius; non itẽ de caſu fortuito, qui prouideri non poteſt, niſi præceſſerit culpa, vel pactum, vel mora; culpa, ſi tranſmiſiſti rem commodatam per perſonam non idoneam, ſi ſpecificatus fuerit caſus; mora, ſi non reſtituit: & tunc tenetur, quamuis eodem modo fuiſſet peritura apud dominum. *l. cum res, §. vlt. ff. de leg.* 1. Vaſa vitioſa ſciens commodauit tenetur de vino, v.g. effuſo; ignorans non item. *l. in reb. §. poſſunt, ff. eod.*

DECRETALIVM LIBER III.

DE DEPOSITO. Tit. XVI.

1336 *Cap.* Grauis. *Alex. iij.*

QVI deponit pecuniam apud clericum alicuius eccleſiæ, non obligatur eccleſiæ pro illa pecunia, niſi fuerit conuerſa in vtilitatem eccleſiæ.

Goſ. Nota quod tunc eccleſia tenetur non ratione depoſiti, ſed in quantum in rem eius verſa eſt. Item depoſitarius poteſt torqueri vt reddat depoſitum.

1337 *Cap.* Bona fides. *Greg. ix.*

DEpoſitarius ſi perdat depoſitum, & non res ſuas, non præſumitur habere bonam fidem, & condemnabitur, quia præſumitur dolus. Item qui ſe obtulit, vel accepit aliquid pro cuſtodia, tenetur de culpa, & etiam de caſu fortuito, ſi pactum vel culpa vel

mora

mora interuenit depositarij. Item depositum potest repeti ad libitum, nec admittitur compensatio vel deductio, sicut in alijs contractibus, quamuis causa compensationis sit liquida.

Glos. Depositarius tenetur de solo dolo. Quod si se obtulit, vel accepit mercedem, tenetur etiam de culpa: cum lata culpa licet cōparetur dolo, non tamen sit dolus, quia nihil est id, cui ipsum est simile. Item si res est deposita in gratiam tantum depositarij, tenetur etiam de leuissima. Item præsumitur lata culpa, vel dolus, si non adhibuit depositarius diligentiam, sicut in rebus suis Item cōtractus facti cum pacto sunt seruandi, nisi à iure prohibeantur. Itē qui rem depositam vendit, deinde redemit vt eam habeat pro deposito, si deinde talis res pereat etiam sine dolo, tenetur: quia sufficit semel commisisse dolum. Item si post moram perit, tenetur etiamsi ita perisset in manu domini. Item res depositi debet reddi non deteriorata. Item depositum solet fieri de re mobili, nisi fiat vt sequestrum. Item rei depositæ, vt etiam commodatæ, retinemus proprietatem & possessionem. *l. licet §. 1. ff. eodem.*

DECRETALIVM LIBER III.

DE EMPT. ET VENDIT. Tit. XVII.

1338. *Cap. I.* Placuit.

NON debent res cariori pretio transeuntibus vendi, & si opus est cogat plebem, vt non vendantur in mercato.

1339 *Cap. II.* Vt mensuræ.

QVi fraudat mensuras & pondera, pœniteat triginta diebus in pane, & aqua.

1340 *Cap. III.* Cum dilecti. *Alex. iij.*

VEnditor rei si est deceptus vltra dimidium iusti pretij, potest agere vel ad supplementum iusti pretij, vel ad restitutionem rei: sed est in arbitrio emptoris, vel rescindere contractum, vel supplere pretium; quæ electio venditori non competit.

Glos. Vt cognoscatur an fuerit læsio vltra dimidium, est considerandus valor tempore venditionis. Item qui petit ex vna causa, & suc-

& succumbit, eandem potest repetere ex alia causa. *l. & an eand. ff. de except. rei iud.* Item cum dolus dat causam contractui, idest quis dolose induxit ad contrahendum, non tenet contractus. si dolus incidit in contractum, non autem dedit causam contractui, tenet contractus, sed agetur ad supplementum residui. si dolus non dedit causam, nec incidit in contractum, sed deceptus sum vltra dimidium in venditione habet locum hic textus. Item si deceptio est infra dimidium, non datur actio in foro exteriori; quia licitum est contrahentibus se inuicem decipere infra dimidium iusti precij, quando adest bona fides. in conscientia vero hoc non valet, ex D. Thoma 1. 2. *q.77. art.1. ad 1. arg.*

1341 *Cap. IV.* Peruenit. *Cælest. iij.*

SI vir consentiente vxore vendit res donatas vxori propter nuptias, quamuis tempore venditionis vir haberet alia bona, vnde vxor posset sibi consulere, maxime si pretium fuit conuersum in vsum communem viri & vxoris, & fuerunt lapsi triginti anni, emptor non potest amplius molestari ab vxore, etiam soluto iam matrimonio. Nota quod donatio propter nuptias soluto matrimonio debet redire ad maritum, vel ad eius hæredes, nisi ex pacto vel donatione, vel consuetudine secus sit iudicandum. *cap. vlt. de donat. int. vir.*

1342 *Cap. V.* Ad nostram. *Innoc. iij.*

QVi vendit rem cum pacto quod post certum tempus possit recuperari modico pretio, idest vltra dimidium, præsumitur venditio vsuraria, & cogitur restituere rē hæredibus, iuxtam pœnā Conc Later. contra vsurarios latam. Nota quod cognoscitur an contractus sit vsurarius ex forma contractus, vel ex pretio. Item potius consideratur quod agitur, quam quod dissimulare cogitur. Item sicut ille qui soluit, ita eius hæres potest agere contra vsurarium ad repetendas vsuras.

1343 *Cap. VI.* Cum causa.

VEnditor deceptus vltra dimidium potest agere, vel vt restituto pretio sibi res reddatur, vel vt precium suppleat.

Glos. Si decipitur tam vendens, quam emens in dimidia parte tantum, non potest agere. Item quid iuris, si deceptus iurauit non repetere, vel non agere vltra dimidiam iusti pretij: Vtrum audiatur. vide ibi.

Cap.

1344 *Cap. VII.* Si venditori.

VEnditor non tenetur emptori de euictione: primo si emptor mota lite contra ipsum, eam denunciauit venditori, vt rem defenderet: Secundo si tempore sententiæ se contumaciter absentauerit: Tertio si per iniuriam iudicis sententia fuerit lata contra ipsum.

Glos. Si creditor impedit ne sibi intimetur, adhuc tenetur de euictione. Item si emptor compromittit, vel potens non vsu capit, venditor non tenetur de euictione.

EXTRAV. COMMVN.
DE EMPT. ET VENDIT.
Tit. V.

1345 *Cap.* Regimini.

COntractus censuales etiam si fiant pro decem ad centum, & cum conditione, vt venditor possit in totum, vel in partes redimere censum, non tamen possit cogi ad redimendum; sunt liciti non vsurarij.

1346 *Cap.* Regimini.

Dicitur in hoc cap. idem, quod in præcedenti.

DECRETALIVM LIB. III.
DE LOCATO ET CONDVCTO.
Tit. XVIII.

1347 *Cap. I.* Ex rescripto. *Clem. iij.*

MAGISTRI, & Scholares Bononienses, qui ante tempus elapsum conductionis hospitia conducunt aliorum magistrorum, vel Scholarium, sine consensu inquilinorum, excommunicantur. & hoc decretum singulis annis in audientia magistrorum, & Scholarium recitetur.

Glos.

Glos. Est excommunicatio latæ sententiæ in casu textus. Item singulis annis recitandum est hoc decretum, tum ad cautelam, tum ne quis de facto se ignorasse dicat.

1348 *Cap. II.* Vestra. *Innoc. iij.*

FRuctus decimarum, & beneficiorum possunt dari ad affictum illis, cum quibus potest fieri melior conditio ecclesiæ suæ, dummodo hæc locatio non extendatur ad feudum, vel alienationem, nõ obstante contrario statuto diœcesanorum Episcoporum. Nota quod perpetua alienatio fructuum est prohibita, sicut datio eorumdem in feudum.

1349 *Cap. III.* Propter. *Gregor. ix.*

QVando coloni patiuntur sterilitatem cum magno incommodo sine propria culpa, sed vitio rei, vel casu fortuito contingenti, Prælatus debet facere remissionem pensionis pro rata, nisi vbertas præcedentis, vel subsequentis anni compenset sterilitatem. Item inquilinus potest expelli ante finitum tempus conductionis in quatuor casibus. Primo, si dominus vult domum habitare. Secundo, si necessitas expostulet, quod domus reficiatur; quæ necessitas non imminebat tempore locationis; & remittatur pensio pro rata. Tertio, quando peruerse conuersatur in domo. Quarto, quando per biennium non soluit canonem, nisi celeriter satisfaciendo sibi prouideat.

Glos. Titulus hic loquitur de colono, qui annuatim soluit certã pecuniam, vel corbes; non de partiario, qui cum domino damnũ, & lucrum partitur. *l. si merces, §. vi maior, ff. eod.* Item incommodum coloni debet esse tale, vt neque semina colligat, *l. ex conducto, ff. eod. §. 1.*

1350 *Cap. IV.* Potuit.

EMphyteota potest vendere meliorationes, & suum ius, si moneatur primo ecclesia, an velit illa emere, dicendo quantum sibi ab alijs offeratur. Et si ecclesia dicat se nolle emere, vel per duos menses non respondet, tunc potest vendere; alias si præsumit vendere, vel per biennium non soluit canonem, nisi studeat sibi celeriter consulere, potest expelli, non obstante quod ei non fuit nunciatum vt canonem solueret, quia dies statuta interpellat pro domino. Nota quod emphyteota semper debet denunciare domino si vult vendere ius suum, alioquin cadit ab illo.


Glos. Contractus emphyteosis est medium inter venditionem,

& locationem: quia in eo datur aliquid, vt in venditione datur precium, & retinetur dominium; & singulis annis aliquid recipitur, vt in locatione: sed differt, quia locatio potest fieri de rebus mobilibus, & immobilibus, & sine scriptura; emphyteosis autem fit cũ scriptura, & de re immobili tantum. Item emphyteota sine consensu domini neque potest donare, quia donare est alienare. Itẽ in priuatis tempus solutionis canonis est triennium, *l. 2. C. de iur. emphyt.* Si pactum fuit pœnale in casu non solutionis, & exigat pœnam, potest adhuc expelli emphyteota. Item mora est celeriter purganda, idest intra modicum tempus statuendum arbitrio iudicis, habito respectu ad biennium. Item expelli post sententiã iudicis. Quod si emphyteota dedit possessionem alteri, non deijciet possessorem concedens, propria auctoritate post biennium, & moram. Item concedens ecclesiam post possessionem potest illum expellere; priuatus non potest, quia facto renunciat iuri suo. Vnde si prælatus cum capitulo recipiant, quia confirmant; sed si solus Prælatus sine consensu capituli, tunc ecclesia potest expellere emphyteotam, nisi capitulum consentiat. quod si accipiat cum protestatione, idest saluo iure eijciendi, potest. Item ob sterilitatem non est canon minuendus, sicut non est minuendus ob deperditionem partis fundi. *§. adeo, instit. de locat.* contra in locatione. Item quando sunt plures coheredes, & vnus non soluit, si alter soluat totum canonum, nemo est expellendus.

DECRETALIVM LIB. III.

DE RERVM PERMVTATIONE. Tit. XIX.

1351 *Cap. I.* Si Princeps.



QVANDO adest causa rationabilis, potest Princeps commutare rem suam immobilem cum re immobili ecclesiastica, si res quam dat, sit maior, vel saltem æqualis; & super tali permutatione publicetur scriptura facta à Principe, & commutatio fiat de communi voluntate partium.

Glos. Causa rationabilis commutandi rem ecclesiasticam est vtilitas ecclesiæ; alias non valet.

Cap.

1352 *Cap. II.* Vt commutationes.

COmmutatio facta ab antecessore in damnum ecclesiæ, seu non seruato iure, est reuocanda.

1353 *Cap. III.* Mancipia.

MAncipia ecclesiæ non possunt permutari cum alijs mancipijs, nisi remaneant libera: quia quod est Deo dicatum, non debet transferri ad vsum humanum, vel nisi sint fugitiua.

Glos. Nota quod res ecclesiarum non debent redire ad vsus sæcularium. Fallit tamen quando seruus ordinatur sine consensu domini. *c.ex antiquis dist.24.c.6.& 12.q.2.c.Episcopus.* Item factum Principis non trahitur in consequentiam.

1354 *Cap. IV.* Iniustum.

MAncipia ecclesiarum non debent redigi in vsum sæcularium: serui tamen fugitiui ecclesiæ possunt distrahi.

1355 *Cap. V.* Quæsitum. *Urban.iij*

COmmutatio præbendarum de iure fieri non potest, præsertim vbi præcedit pactum: quia pactum circa spiritualia, vel ijs annexa semper habet labem simoniæ. Item Episcopus cum causa necessaria potest permutare personas de vno loco in alium; vt quæ minus vtilis est in vno loco, fit vtilis in alio.

Glos. Si præbendæ sint in eadem ecclesia, & sine onere, possunt permutare propria auctoritate, *c.sanctorũ d.70.c.quorumdã d.74.*

1356 *Cap. VI.* Ad quæstiones. *Clem. iij.*

DVæ ecclesiæ pro maiori commoditate permutare possunt eorum bona: & si prouentus vnius sunt vberiores, altera infũdat pecuniam ad æqualitatem, contractu tamẽ refectionis pecuniæ per se celebrato, ita vt cũ contractu permutationis non misceatur.

Glos. Spirituale potest permutari cum spirituali, vt temporale cum temporali, auctoritate superioris; non autem spirituale cum temporali. Item licet in spiritualibus fiat permutatio, non tamen venditio, vel emptio. Item quando vna villa commutatur cum alia, & ecclesiæ sunt accessoriæ ad villas, permutatur cum vniuersitate, *arg.c.ex literis, c.cum seculum de iur.patron.* nec intelligitur aliquid esse pretium peculij ecclesiæ, sicut nec intelligitur aliquid esse pretium peculij, quando seruus venditur cum peculio.

1357 Cap. VII. Cum olim. Innoc.iij.

QVi propria auctoritate permutant beneficia, perdunt illa. Nota quod permutantes beneficia sunt priuandi per sententiam diffinitiuam. Item confessus in iure habetur pro conuicto. Sed mitius agitur cum sponte confesso, quam cum conuicto.

Glos. Clericus beneficiatus non habet proprietatem, seu dominium beneficij, ideo non potest permutare; comparatur enim tantum vsuario. Vnde ecclesia habet dominium, propterea potest permutare. *c. ad quaestiones supra eod.*

1358 Cap. VIII. Cum vniuersorum.

QVando sine licentia fit bonorum permutatio, & vnus dedit, alter vero non vult dare bona; tunc data sunt auferenda à possessore, & restituenda primo; & hoc vt venia detur simplicitati: nam iura subueniunt deceptis, non decipientibus.

Glos. An in tali casu vterque perdat præbendam, vel neuter, vel qui dedit possit repetere, ita vt parcatur simplicitati; vide ibi.

1359 Cap. IX. Exhibita.

SPirituale pro temporali commutari non potest. Nota quod destructo principali destruitur accessoriũ. Item hic est arg. quod spirituale cum spirituali potest commutari.

Glos. Spirituale potest in arbitros compromitti, *cap. cum olim, supra de arbitr.*

IN SEXTO LIBER III.

DE RERVM PERMVTATIONE. Tit. X.

1360 Cap. Licet.

QVando quis ex gratia Papæ expectat vacantiam beneficij, non impedit quin aliqui permutent sua beneficia, renunciando in manibus Episcopi; & hoc de gratia, non de rigore iuris: talis enim resignatio sine fraude cum non fieret nisi ad permutãdũ, non dicũtur vacare beneficia: secus si probaretur fraus.

CLE-

CLEMENTIN. LIB. III.

DE RERUM PERMUTATIONE. Tit. V.

1361 *Cap.* Ne concessione.

BEneficia resignata causa permutationis debent solum permutantibus conferri; & si conferantur alijs, non tenet.

Glos. Tractatus de permutandis beneficijs est permissus, modo nõ fiat pactio; sed totum ponatur arbitrio superioris, v.g. Episcopi, cuius officio est expedienda permutatio. Item est Episcopi, & non inferiorum permutare, vel dare auctoritatem permutandi; sed inferiores, quorum est conferre, vel eligere, habent consentire. Item si beneficia horum, vel vnum nõ spectat ad solum Episcopum conferre, Capitulum potest, sede vacante dare licentiam permutandi; quia est actus iurisdictionis, cui succedit capitulum: secus, si collatio spectaret ad solum Episcopum. Item hic textus afficit non solum collationem, sed electionem, postulationem, & præsentationem.

DECRETALIVM LIB. III.

DE FEVDIS. Tit. XX.

1362 *Cap. I.* Insinuatione. *Innoc.iij.*

QVANDO quis habet in feudum ab ecclesia possessiones, si accepta pecunia eas pignorat Episcopo ecclesiæ eiusdem, Episcopus non debet computare in sortem principalem fructus illius pignoris: pignorans tantum est liber à seruitio, quod ecclesiæ debebat, ideſt, ita vt fructus cõpensentur pro seruitio.

Glos. Quid si pignorans vellet seruire vt reciperet fructus. Resp. nõ audietur. Item duo dantur casus, in quibus fructus pignoris non cõputantur in sortẽ; vnus est iste, alter est in *c. salubriter, de vsur.*

1363 *Cap. II.* Ex parte.

NOn obstante iuramento de non infeudando inconsulto Papa, potest Episcopus primo infeudare, si mortuo vassallo feudũ

reuertitur ad ecclesiam. Secundo, vassallo feudum alienante, Episcopus potest de feudo inuestire eius filium, vel consanguineum consortem eiusdem feudi. Tertio, si Episcopus feudum alienatum facile per se recuperare non potest, tunc poterit infeudare alicui laico, qui illud recuperet, & ab ecclesia cognoscat, & per quem ecclesia valeat illud rehabere. Nota quod iuramentum de non infeudando de nouo non extenditur ad antiqua feuda, sed ad illa tãtum, quæ numquam fuerunt infeudata, & sunt ab ecclesia possessa.

Glos. Si vassallus sine licentia domini alienat totum feudum, vel maiorem partem, perdit feudum, & potest dominus à quolibet illud recuperare; si minorem partem, dummodo maneat in seruitio domini, non perdit feudum. Nota tantum ex Ioan. And. quod per tit. *de probib. feud. §. babito*, totum feudum de iure ciuili amittitur: alij autem contrarium tenent ex gl. ibi quod sola pars alienata perdatur. Item feudum alienari non potest, sed potest dari in dotem vsque ad vitam feudatarij. *cap. nuper de donationibus inter vir. & vxor.* Item quot modis perditur feudum, vide ibi.

DECRETALIVM LIB. III.

DE PIGNORIBVS, ET ALIIS cautionibus. Tit. XXI.

1364 *Cap. I.* Nullus.

PRESBYTER non potest pignorare res ecclesiæ laicis, vt calicem, librum, vestes, nisi iustissima vrgente necessitate.

Glos. Necessitas erit redemptio parochianorum captiuorum, *12. q. 2. c. sicut omnino.*

1365 *Cap. II.* Lator. *Greg. iij.*

HOmo liber non debet pro debitis retineri, si non habet vnde soluat.

Glos. Dummodo cedat bonis; si secus, incarceretur. *l. 1. C. qui bon. ced. pos.*

1366 *Cap. III.* Ex præsentium.

REctor ecclesiæ si facto proprio pignorauit res ecclesiæ, & moriatur, cõpellitur eius hæres redimere res, & restituere eccl.

Glos.

Glos. Nota quod alienatio facto proprio non tenet, & ecclesia libere potest alienatum repetere, quamuis in hoc casu consulatur creditori: nam si pro necessitate patrimoniali presbyteri fuit facta alienatio, tunc hæres conuenitur pro facto, vel contractu defuncti, secus si sit facta pro necessitate personali.

1367 *Cap. IV.* Illo.

EMens rem cum pacto quod post tempus possit illam venditori restituere, recipiendo quid plus quam exbursauerit, iudicatur contractus vsurarius. Nota quod quando in contractu non constat de mente contrahentium, tunc recurrendum est ad formã contractus. Nota secundo, contractum præsumi vsurarium, quãdo quid vltra sortem recipitur. Nota tertio, quod in contractibus dubijs de vsura præsumitur contra eũ, qui solet exercere vsuras.

Glos. Potest fieri contractus venditionis sub hac forma, vt liceat emptori à contractu discedere, si emptio displiceat sibi; & tunc potest infra duos menses à contractu discedere, nisi addat quandocumque velit, tunc enim potest semper. Item in venditione resoluenda per conditionem non sunt computandi fructus percepti in pecunia restituenda, sed in pignore sic: vnde si computentur fructus in venditione, est signum quod fuerit pignus, & non venditio.

1368 *Cap. V.* Ex litteris.

VXor stante delicto mariti potest recuperare dotem in bonis ipsius vbicumque sint, eo quia tacite sunt ei obligata pro dote, ita vt cum hoc onere transeant ad quemlibet, ex quo iura prohibent vxorem remanere indotatam pro delictis viri.

Glos. Duo debent constare: Primo, quanta fuerit dos, aliter nõ fit restitutio. Secundo, quid illa possideat de bonis mariti. Item mulier quantum ad dotem præfertur omnibus creditoribus, qui habent personales actiones, vel tacitas hypothecas; sed non præfertur quantum ad donationem propter nuptias, nec habentibus expressas hypothecas, anteriores: sicut nec fiscus, licet habeat idem priuilegium cũ muliere. Item parafrenalia, & donatio propter nuptias non gaudent priuilegio dotis. Item bona prælati sunt obligata ecclesiæ. Item hoc priuilegium non habẽt mulieres, quæ non percipiunt communionẽ catholicã, idest hæreticæ. *l. 1. C. de haret.*

1369 *Cap. VI.* Cum contra.

FRuctus percepti ex pignoratis possessionibus si æquant summã pignoris, sunt restituendæ possessiones dominis absque alia re-

fectione pecuniæ. Nota quod fructus pignoris computandi sunt in sortem. Item quod habens pignus potest illud alteri pignorare.

Glos. Non solum fructus ex pignore percepti, verum etiam qui percipi potuerunt, computandi sunt in sortem. Item deducuntur tantum expensæ. Item excipiuntur aliqui casus, *c. 1. c. conquestus, c. salubriter de vsur. & c. de feudis*.

1370 *Cap. VII.* Significante.

QVi dat rem in pignus cum pacto legis commissariæ, idest lucrandi illam tali die, alias amplius non molestabitur recipiens, etiam iuramento firmato; Si debitor legitime impeditus nō soluit tali die, vt quia nuncius per quem misit pecuniam non fuit fidelis, vel fuit detentus, tunc non obstante iuramento creditor restituit pignus accepta sua sorte, computatis tamen in illa fructibus, & ad hoc compellitur censuris. Nota quod pactum legis commissariæ in pignoribus reprobatur. Item quod malitia nuncij vel procuratoris non imputatur domino, si credebatur fidelis.

1371 *Cap. VIII.* Cum constet. *Greg.*

VSufructuarius tenetur cauere quod vtetur rebus salua eorum substantia, & quod restituet pecuniam, & æstimationem rerum mobilium consumptorum ad arbitrium boni viri.

Glos. Vt dicitur cautio, intelligitur nuda promissio: cum additur, idonea, vt hic, vel sufficiens, intelligitur pignoratiua, vel fideiussoria, quæ à testatore non potest remitti; cùm sit data in fauorem hæredis; hæres vero potest. Item vsusfructus est ius vtendi, fruendi rebus alienis, salua rerum substantia; & differt ab vtili dominio, vt emphyteusis à feudo. Item differt vsusfructus nudo vsu; quia minus est in vsu, quam in vsufructu; vnde clerici possunt dici tantū vsuarij, quia debent etiam contentari victu, & vestitu, 10. *q. 2. c. Episcopus*. Item in his quæ vsu consumuntur, vt pecunia, vino, oleo, non datur proprie vsusfructus, sed vtilitatis causa: potest etiam in illis constitui. quo casu vsufructuarius talium rerum debet satisdare de tanta pecunia restituenda, vel æstimationem aliarum rerum.

DECRETALIVM LIB. III.
DE FIDEIVSSORIBVS.
Tit. XXII.

Cap.

1372 *Cap. I.* Clericus.

Abiiciendus, est clericus fideiussionibus inseruiens.

Glos. Clericus sæcularis non debet frequentare fideiussionem; regularis vero numquam debet fideiubere. *cap. quod quibusdam inf. eod.*

1373 *Cap. II.* Peruenit. *Lucius iij.*

Fideiubens, & soluens etiam pro clerico debet redintegrari à principali non solum quoad sortem, verũ etiam quoad damna secuta; vel redditibus debet satisfieri, vel ei assignari redditus debitoris, donec fideiussori satisfiat: & clerici qui in hoc violant fidẽ & iuramentum, sunt suspendendi ab officio, & beneficio.

Glos. De iure quamdiu principalis reperitur, fideiussor non molestatur, nisi fideiussor renunciauerit huic iuri. Item an si fideiussor soluat vsuras illicitas, possit eas repetere à debitore.

1374 *Cap. III.* Constitutus.

Qvando constat quod fideiussor pluries molestatur à creditoribus, est cogendus creditor per censuras ecclesiasticas, vt liberet eum à fideiussione. Quòd si debitor neget debitum, cogatur subire iuramentum calumniæ. Item Iudices loci distantis accipiant testimonia, & transmittant, v.g. ad Episcopum, & significent quæ fides sit eis habenda; sed debet mitti procurator ad locum, vbi testes deponunt. Nota quod testes non debent sumi in absentia eius contra quem, vel eius procuratorem.

1375 *Cap. IV.* Quod quibusdam. *Innoc. iv.*

Nvllus religiosus absque sui Abbatis, & maioris partis Capituli licentia potest fideiubere pro aliquo, nec accipere mutuam pecuniam vltra summam à capitulo constitutam: alioquin non tenetur Conuentus pro his respondere, nisi manifeste constet quod pecunia fuit conuersa in vtilitatem ipsius domus.

Glos. Regulares non possunt fideiubere, sed pro suis ecclesijs possunt, cum consensu tamen capituli, & vtilitate ecclesiæ. Item creditor supra summam à capitulo constitutam tenetur probare in ecclesiæ vtilitatem credidisse, & tunc licet non probet consensũ capituli, tamen aget non virtute huius canonis, sed actione de in rem verso. Item qui fideiubet contra præscriptam formam huius canonis, arbitrarie punitur.

Cap.

1376 *Cap. V.* Eum. *Greg.ix.*

FIdeiussor potest in tribus casibus agere contra debitorem antequam soluat: primo, si diu stetit in obligatione: Secundo, si debitor incipit dissipare sua bona: Tertio, si ipse fideiussor fuit cōdemnatus super hoc.

Glos. Ponit quartū casū, idest si hoc ab initio cōuenit fideiussor.

DECRETALIVM LIBER III.

DE SOLVTIONIB. Tit. XXIII.

1377 *Cap. I.* Ad hoc. *Alex.iij.*



SVCCESSOR in beneficio tenetur soluere debita sui antecessoris contracta pro ecclesiæ necessitate, sicut filius tenetur soluere debita patris.

Glos. Filius tenetur soluere debita patris, si est hæres. Item & debita sunt ex contractu, vel quasi contractu; si ex delicto vel quasi, non tenetur, nisi aliquid ad eū peruenerit, vel nisi cum defuncto lis fuerit cōtestata, sed de iure canonico tenetur etiam ex delicto. *c.vlt.de sepult.* Item si filius non fecit inuentarium, tenetur ad omnia debita; si fecit, tenetur solum soluere pro viribus hæreditatis.

1378 *Cap. II.* Si quorundam. *Greg.*

SI Prælatus pro alienis debitis obligat ecclesias, est suspensus ab administratione spiritualium, & temporalium, & obligatio non tenet. Idem dic, si dat litteras cum suo sigillo, quibus ecclesia de facto obligaretur.

Glos. Talis suspensus est, licet aliunde reddat ecclesiam indemnē, & de facto est remouendus.

1379 *Cap. III.* Odoardus.

CLericus qui propter inopiam non potest soluere debita, non est excommunicandus; sed debet dare cautionem de soluendo, quando poterit.

Glos. Si constat de impossibilitate debitoris, vel quod cessit bonis, sententia excommunicationis non tenet, & iudex tenetur ad interesse. Item si non potest cautionem præstare pignoratitiam

vel

vel fideiussiones, saltem iuret. Item cessio bonorum non liberat ab obligatione, si venerit ad pinguiorem fortunam; sed facit ne interim molestetur in persona. Item si redditur potens, in totum vel in partē soluat;sed nō debet fraudari alimētis quotidianis,ne egeat.

1380 *Cap. IV.* Is qui.

QVando quis dicit indebite se soluisse, debet probare: sed si aduersarius negat solutionem, & conuincatur accepisse, incumbit ei onus probandi quod debite accepit.

Glos. Indebita solutio varie dicitur, naturalis, ciuilis, vtroque modo, vel per exceptionem; & quando potest repeti, vide. Item actor debet probare indebite soluisse: sed si esset persona priuilegiata, vt pupillus, vel minor, vel miles, vel agricultor, vel simplicitate gaudens, tenetur reus probare quod debite accepit. Item quādo præsumptio est contra reum, onus probandi transfertur in ipsū.

DECRETALIVM LIB. III.

DE DONAT. Tit. XXIV.

1381 *Cap. I.* Prudentes. *Greg.*

NOBILIVM est existimare quod sponte tribuunt se debere, & nisi in beneficijs crescant, nihil se præstitisse putant.

Glos. Quod de incremento dicitur, intelligitur saltem per bonam voluntatem, ex quo hilarem datorem diligit Deus.

1382 *Cap. II.* Fraternitatem. *Alex. iij.*

PRælatus de rebus Episcopatus non potest in detrimentum ecclesiæ graues facere donationes, præsertim inconsultis canonicis; & successor potest reuocare tales donationes, siue à clericis, siue à laicis, quia non tenent; cum Prælatus sit procurator ecclesiæ non dominus, vnde debet meliorare conditionem ecclesiæ, non deteriorare illam.

Glos. Prælatus potest donare modicum: & in hoc differt à procuratore. Quid si per minutas, & paruas donationes ecclesia lædatur? res est dubia: dicerem quod non, nisi dolose id fiat; & sic per

per minutas donationes separatas sibi licitum faciat, quod iunctim prohibetur.

1383 *Cap. III.* Ceterum.

PRælatus iuxta loci consuetudinem canonibus non obuiantem potest dare in parua quantitate. Nota quod paruitas rei, & consuetudo facit donum ratum.

Glos. Consuetudo dat iurisdictionem, & liberiorem administrationem, *c. ea noscitur, de his quæ fiunt à Prælat.* dum tamen enormiter non grauetur ecclesia.

1384 *Cap. IV.* Consultationibus.

EPiscopus non potest dare ecclesiam non vacantem alicui clerico: & si dat, donatio est nulla; sed potest dare locis religiosis. Vnde qui ecclesiam possident, non debent in vita sua illa spoliari sine eorum consensu.

Glos. Ecclesia non vacans nō potest dari priuatis personis. *c. 1. 2. 3. & vlt. de conceß. praben.* locis autem religiosis de consensu capituli potest. Item nemo sine culpa sua est spoliandus suo beneficio. *c. cognoscentes de constitut.*

1385 *Cap. V.* Per tuas. *Innoc. iij.*

NOn obstante iuramento de non infeudando de nouo, potest Prælatus integrare feudum concessum, si non fuit integrum, sicut fuit promissum. Nota quod Episcopus ratione seruitij facti suæ personæ potest rem ecclesiæ infeudare.

Glos. Deceptus in quantitate, etiam citra dimidiam rei, potest agere ad supplementum, nisi fuisset statutus terminus de re tali, & fuerit elapsus. Item non acquiritur possessio ex sola inuestitura. *c. ex ore, de his quæ fiunt à maiori parte capit.*

1386 *Cap. VI.* Cum dilecti.

VLtimis donatis vltimo loco clausula onerosa apposita extenditur ad vltimam tantum donationem, cui annectitur. Nota, quod in contractibus plena, in testamento vero plenior, in beneficijs autem plenissima est facienda interpretatio. Item determinatio quandoque prospicit proxime posita, quandoque omnia: vt in casu textus erāt plures donationes, & clausula erat in vltima.

Glos. Quando dubitatur de donatione, est recurrendum ad intentionem donantis. *c. ad aures, de rescriptis.*

Cap.

1387 *Cap. VII* Pastoralis.

QVando Episcopus de consensu patroni concedit ecclesiam pro loco, intelligitur patronum dedisse iuspatronatus, & Episcopum dedisse id quod temporale habebat in ecclesia; v.g. aliquam portionem fructuum: & si nullam habebat portionem, intelligitur concessisse omnes prouentus præter ius cathedraticum; ad validitatem tamen donationis requiritur consensus ipsius Capituli.

Glos. Si laicus patronus concedit ecclesiam de consensu Episcopi, Episcopus non concedit aliquid, sed ratum habet tantum datum à laico in eo quod laicus potuit donare. *c. quod autem inf. de iurepat.* Item in generali concessione Episcopi aliqua non transeūt, vt est correctio, pronuntiatio, & visitatio. *cap. cum venerabilis inf. de censib.* & cathedraticum vt hic.

1388 *Cap. VIII* Inter.

POssunt hospitalarij se, & sua alteri ecclesiæ cum suis iuribus subijcere: nec valet, si deinde allegent pro se propriam turpitudinem, vt quod sint periuri, excommunicati, & in fraudem expleuerint talem actum: quia non deceptoribus, sed deceptis iura subueniunt, saluis tamen rationibus aliorum, quia res inter aliquos acta non debet alijs præiudicium facere. Nota quod qui succumbit in possessorio, potest intentare petitorium.

Glos. Allegans suam turpitudinem non est audiendus. *c. cum super q. de concess. preb.* & *cap. sicut de test.* nisi vbi periculum animæ vertitur, vel nisi propter fauorem ecclesiæ. 35. *q. 9. c. quod quis cōmisit*; vel fauore libertatis.

1389 *Cap. IX.* Apostolicæ.

IN *can. bona rei* 12. *q.* 2. Episcopus si vult construere monasteriū in sua Parochia, si vult illud dotare de rebus ecclesiæ suæ, non conferat amplius quam quinquagesimam portionem census ipsius ecclesiæ cui præstat. Si vero ecclesiam sæcularem vult facere monasterium, vel eam ampliare pro sepulturis, non amplius ei conferat, quam centesimam partem redditum; & hoc siue fiat semel vel pluries ab eodem, vel diuerso Episcopo, dummodo graue damnum ecclesia à qua tollit non patiatur, quia cum graui damno ecclesiæ nec tantam partem, nec minus potest dare, siue de possessionibus, siue de prouentibus ad Cathedralem, vel mensam Episcopalem pertinentibus. Quod si cum graui damno dedit, donatio reuocatur, nisi præscriptio, vel alia legitima exceptio talem reuoca-

tionem

tionem excludat. Si vero sine graui damno ecclesiæ, posset dare 50. vel 100. vel plura, tamen requiritur auctoritas Papæ, vt det maiorem summam quam centum.

Glos. Episcopus potest dare non solum res Episcopatus, sed canonicorum, sine consensu Capituli, non solum de prouentibus, sed de possessionibus; in donationibus tamen seruanda est æquitas, sicut in iudicijs: alioquin successor potest reuocare donationem factam saltem vltimam cum graui damno. Item in donationibus valet præscriptio. Item præscriptio non impeditur, quamuis in contractu facto contra legem, si ignorantia facti interueniat; secus si iuris ignorantia. *ff. de iur. & fac. ignor. l. iuris ignorantia.*

1390 *Cap. X.* Propter.

DOnans & non eius successor potest reuocare donationem propter ingratitudinem donatarij, si nimirum in ipsum impias manus iniecit, si præsumpsit inferre vitæ periculum, vel atroces iniurias seu graue damnum suarum rerum.

Glos. Donatio semel perfecta non reuocatur etiam prætextu rescripti Imperialis. Dicitur perfecta stipulatione vel pacto, siue impleta per traditionem. & quomodo tribus modis modis conficiatur contractus, vide ibi: sed perfecta donatio reuocatur propter ingratitudinem. Donatio facta liberto, si non præstat obsequium, reuocatur, etiam res empta ex pecunia donata: nō tamen reuocatur libertas; sed propter causas dictas in textu libertas reuocatur. Item à donatario liberto iurispatronatus reuocatur tota donatio propter filios susceptos à patrono liberti. Item reuocatur ab omnibus vltra quatuor causas prædictas, si conditio apposita non impletur. Item donatio matris facta filio, quando transit ad secundas nuptias, reuocatur in tribus, si insidiatur vitæ, si atrociter percutit, si totam rem effundit. Item atrocitas consideratur ex facto, loco, persona. Item feudum non aufertur filio propter feloniam patris, si patri quęstio mota non fuit, *l. omnimodo C. de inoff. testam.*

DECRETALIVM LIB. III.

DE PECVLIO CLERICORVM.

Tit. XXV.

Cap.

1391 *Cap. I.* Inuestigandum.

BENEFICIATVS emens prædia, si non habebat patrimonium tempore assumpti beneficij, præsumitur emisse de bonis ecclesiæ, & sic sunt iuris ecclesiastici.

Glos. Contra hanc præsumptionem admittitur probatio. 12.*q.*1.*c.sint manifeste*, & 9.*q.*4.*c.*1.*&* 2.

1392 *Cap. II.* Presbyter.

PRælatus ea, quæ emit de bonis ecclesiæ, debet emere nomine ecclesiæ; aliter est remouendus ab administratione.

Glos. Intelligitur quando emit de nummis ecclesiæ, secus si de patrimonio, vel si faciat instrumentum separatum, pro se, & pro ecclesia: tunc enim ecclesia pro rata, & hæres beneficiati succedũt.

1393 *Cap. III.* Cum vnusquisque.

QVæ Episcopus post consecrationem acquisiuit, debet suæ ecclesiæ relinquere.

Glos. Nota: idem est dicendum de quocumque Prælato: & sic verbum, Presbyter, stat proprie; & verbum, consecrationis, pro ordine, seu promotione. Item intelligit dictum textus de acquisitione facta occasione ecclesiæ. *c. quia nos tit* 26. Item quod occasione tunc rei tuæ ad me peruenit, tibi restituendum est. *arg.* ꝑ *ad nostram de iur.iur.*

1394 *Cap. IV.* Inquirendum.

QVæ Prælatus emit ex prouentibus ecclesiæ, etiam nomine alieno, sunt ecclesiæ, quia ista fraus nemini prodest.

1395 *Cap. V.* Si quis.


REctor qui meliorauit terras, & bona ecclesiæ, possidet illa dũ viuit: Sed moriens non potest illa relinquere alicui in testamento, vel hæreditario iure, nisi forsan Episcopus voluerit illa assignare alicui pro seruitijs factis ecclesiæ.

Glos. Beneficiatus non comparatur vsufructuario, quia de fructibus perceptis non potest testari, sicut potest iste. Item non potest facere vineam de terra aratoria, iste sic; sed comparatur vsuario, cui tantum vti licet ad vsum quotidianum.

DECRETALIVM LIBER III.

DE TESTAMENTIS, ET vltimis voluntatib. Tit. XXVI.

1396 *Cap. I.* Quorumdam. *Greg.*



PISCOPVS solum potest testari de illo patrimonio quod habuit ante consecrationem; sed quidquid erat ecclesiæ ante cõsecrationem Episcopi vel quæ acquisiuit Episcopus dum fuit Episcopus, pertinet ad dominium ecclesiæ, & non potest de eo testari. Quod si alicui relinquit, est reuocandum.

Glos. Dispositio textus intelligitur de acquisitis intuitu ecclesiæ, secus de alijs. *12.q.3.c.2. & q.5.c.fixum & c. quia.*

1397 *Cap. II.* Quia.

RES Abbatissæ de iure competunt loco, in quem est ingressa, & Abbatissa constituta est, licet non portauerit habitum monachalem in curia Episcopi, non obstante contraria consuetudine.

Glos. Nota primo, quod delictum subditorum imputatur Prælato: Secundo, quod delictum non debet redundare in damnum ecclesiæ: Tertio, quod intrans monasteriũ intelligitur se, & sua omnia monasterio contulisse, ita vt amplius nequeat de eis disponere. Item hæc consuetudo non prodest, quia non quod fit, sed quod fieri debet, considerandum est; & factum vsurpatum præscriptionem non inducit, & in talibus nullus numerus annorum defendit. Item votum præscriptione non tollitur. *33.q.5.c.qua.*

1398 *Cap. III.* Nos quidem.

LEgata pia si differantur adimpleri per hæredem elapso anno, Episcopus ipse exequatur ea loco hæredis.

Glos. Nota quod voluntas testatoris infra annum adimpleri debet. Item si testator non assignauit locũ certũ, res est dubia. vide.

1399 *Cap. IV.* Indicante.

LEgata nudis verbis relicta sunt exequenda.

Glos. Mulier potest testari viuente marito. Item qui legauit monasterio S. Mariæ, & sunt multa monasteria eiusdem nominis, dabitur pauperiori. Item qui legauit vnam scutellam argenteam

team

team habens multas varias, optio est hæredis; & si est in mora, est legatarij. Item qui legat seruum, qui est in fuga tempore legationis, hæres suo sũptu illũ quæret; si post est in fuga, sũptu legatarij.

1400 *Cap. V.* Filius.

QVando testator legat non rem suam, sed alienam, hæres licet secundum legem sæculi cogatur soluere æquiualens, non tamen secundum leges Dei.

1401 *Cap. VI.* Si hæres.

HÆredi qui non implet intra annum voluntatem testatoris, interdicatur ab Episcopo hæreditas cum fructibus.

1402 *Cap. VII.* Cum in officijs.

CLerici siue moriantur intestati, siue cum testamento, bona eorum acquisita per ecclesiam sunt ecclesiæ.

1403 *Cap. VIII.* Ad hæc. *Alex. iij.*

CLerici licet de mobilibus acquisitis per ecclesiam testari non possint, tamen viuentes vel etiam infirmi possunt dare moderatas eleemosynas.

Glos. De mobilibus in morte possunt dare tam consanguineis, quam alijs extraneis intuitu seruitij recepti. *c. relat. eod.* non tamẽ potest dimittere post mortem tradendum. 12. *q.* 2. *bonæ.* nec excusat generalis consuetudo clericos dantes in morte omnia mobilia parentibus.

1404 *Cap. IX.* Quia.

CLerici possunt testari de bonis hæreditarijs vel acquisitis, intuitu sanguinis, vel personæ, vel adeptis artificio, vel dono amicorum, non habito respectu ad ecclesiam: sed acquisita intuitu ecclesiæ non potest testari, nec disponere.

Glos. Rerum ecclesiæ clerici non habent proprietatem, sed solum vsum, & præter victum, & vestitum, & moderatam donationẽ causa seruitij recepti omnia sunt danda pauperibus. 12. *q.* 2. *c. vlt.*

1405 *Cap. X.* Cum esses.

TEstamenta quæ faciunt parochiani coram presbytero suo, & duobus vel tribus testibus, valent etiamsi non addita sit solemnitas iuris humani, idest, subscriptio à quinque, vel septem te-

ſtibus: & qui reſcindit talia teſtamenta, eſt excommunicatus, non obſtante conſuetudine contraria.

Gloſ. Valent talia teſtamenta pro legatis relictis eccleſiæ vel locis pijs, non pro ſæcularibus: ſed hoc decretum non potuit tollere leges quantum ad eos qui non ſunt ſub temporali iuriſdictione Papæ: & idem dicendum in cap. ſequenti. Item generalis conſuetudo eccleſiæ habetur pro lege.

1406 *Cap. XI.* Relatum eſt quod.

PRo relictis eccleſiæ, vel legatis pijs ſufficiunt duo vel tres teſtes: quia in his non eſt iudicandum ſecundum leges, ſed canones.

1407 *Cap. XII.* Relatum eſt auribus.

BOna clerici defuncti acquiſita per eccleſiam, ſunt eccleſiæ; & nomine eccleſiæ vbi eſt collegium vel communis congregatio, intelligitur; vbi non eſt, communitas intelligitur ſucceſſor; & per bona intelliguntur mobilia, & immobilia, quæ bona ſucceſſor in Dei timore diſpenſet. De bonis mobilibus, vbi eſt conſuetudo, vt pauperibus, vel religioſis locis, vel ijs quæ viuenti ſeruierunt, ſiue conſanguinei ſint ſiue alij, poſſunt dari aliqua iuxta ſeruitij meritum. Item qui acquiſiuit ex hæreditate, vel artificio, vel doctrina, moriens poteſt ad libitum diſtribuere. Item qui diuerſis locis diuerſa habent beneficia, bona relicta diuidantur inter ipſa ſecundum congruam æſtimationem pro rata.

Gloſ. Bona Epiſcopi non deuoluuntur ad Collegium maioris eccleſiæ, ſed ad ſucceſſorem; bona Archidiaconi ſi ſunt diſtincta à rebus canonicorum, ſeruantur ſucceſſori; ſi minus, capitulo. Item ſi eſſent plures eccleſiæ, illi à qua plus accepit, vel minus ſeruiuit, plus detur.

1408 *Cap. XIII.* Cum ſibi.

QVi ſuam vltimam voluntatem in alterius diſpoſitione committit, non dicitur inteſtatus obijſſe.

Gloſ. Dicitur feciſſe teſtamentum de benignitate canonica, quia vere non eſt teſtamentum vbi nomen hæredis non exprimitur: quia inſtitutio hæredis eſt fundamentum totius teſtamenti. Item ſicut nutu deprehenditur voluntas obmuteſcentis, & nutu poſſunt aliqua relinqui, ſic nutu de benignitate canonica fit teſtamentum; & ſi pars annuat teſtibus præſentibus, ſufficit locutio alterius; & ſic dicitur teſtari. Item quando committo voluntati alterius factionem teſtamenti; ſi ille eſt hæres, valet; ſi non eſt hæres, non valet.

valet. Si expresse committo v.g. dicendo, *instituo hæredem, quẽ Titius voluerit*; non valet, est enim captatoria, seu adulatoria: secus si tacite, vt si dicam, *instituo te hæredem, si Petrus ascendet Capitolium*. Sic legatum potest committi alterius arbitrio tacite non expresse. Item personæ incertæ possunt institui hæredes, vt, *instituo pauperes*.

1409 *Cap. XIV.* Officijs.

QVando quis legauit Episcopo aliquã portionem, & alia multa legauit monasterijs vel ecclesijs, Episcopus potest sibi accipere portionem etiam de legatis factis, monasterijs, & alijs locis pijs, nisi essent regulares priuilegiati à Papa. Si vero illam legauit partem Episcopo, vt esset illa sola contentus, & Episcopus acceptauit, non potest de alijs accipere portionem: quia illis renunciasse videtur. Si vero pars relicta Episcopo esset minor portione debita, & solita, tunc potest exigere portionem institutam a canone: quia fraus, & dolus nulli debent prodesse.

Glos. Hoc cap. & sequens loquuntur secundum consuetudinem locorum, quæ est diuersa, & sic diuersa portio, *c. certificari, de sepul.* Item electione vnius quis alteri renuntiat. Item si constat fraus, tunc etiam apposita conditione, & etiam si Episcopus acceptauit partem, potest alias portiones quærere, seu agere ad supplementũ.

1410 *Cap. XV.* Requisisti.

REgulariter est verum, quod de relictis ecclesiæ Episcopus debet habere tertiam vel quartam portionem secundum diuersas consuetudines. Sed distingue inter cathedralem, & alias ecclesias: si de cathedrali, adhuc distingue: vel testator dicit, *relinquo istud Episcopo*; si relinquens est extraneus, præsumitur relictum intuitu ecclesiæ non personæ, vnde cathedralis potest petere canonicam portionem, sicut Episcopus potest petere: si relinquatur ecclesiæ, nisi testator exprimat quod illud tantum velit esse Episcopi, & non ecclesiæ, quia ita tunc seruandum est: si exprimat quod velit esse solius ecclesiæ, & non Episcopi, non præiudicat Episcopo. Si vero Episcopo relinquitur à propinquo, præsumitur esse relictũ non intuitu ecclesiæ, sed personæ; & tunc nihil potest habere ecclesia viuente Episcopo, nisi forte contrarium probetur, idest, quod intuitu ecclesiæ fuit relictum. Vel testator dicit, *relinquo istud ecclesiæ & Episcopo*, & tunc inter ipsos est facienda canonica diuisio: vel dicit, *relinquo istud ecclesiæ, & istud Episcopo*, tunc reducenda sunt ad canonicam diuisionem inter Episcopum, & Ca-

thedralem, nisi ambo velint esse contenti dispositione testatoris: quod æquum est, cum nulla est fraus, nec aliquis nimium fraudatur canonica portione. Si loquamur de alijs ecclesijs, vel legans relinquit aliquid Episcopo, & aliqua locis pijs: quod relinquitur Episcopo, est præcipuum ipsius cum ecclesia cathedrali; de legatis ad alias ecclesias Episcopus obtinebit portionem canonicam. Item si qui relinquunt clericis, qui possunt habere proprium, & non habent ecclesiæ prelationem, vel administrationem, siue sint relicta ab extraneo, siue à propinquo, relicta intelliguntur intuitu personę; & de ijs nec Episcopus, nec Ecclesia aliquid habebit, nisi contrarium constet, cessante omni fraude.

Glos. Quę hic dicuntur, sunt localia. Item relicta personę priuatę, etiam si habeat beneficium, intelliguntur relicta intuitu personę. Item hęc pręsumptio est iuris, non de iure: ideo admittit probationem contrariam. Item datum Episcopo in vita, pręsumitur intuitu amicitię: hic loquitur de morte. Item quando quis relinquit canonicis, non intelligitur relinquere ecclesię.

1411 *Cap. XVI.* Raynutius.

IN bonis patris, matris, & auiæ quilibet habet tertiam partem sibi debitam iure naturæ, nec potest pater eam grauare. Item filius rogatus de restituenda hæreditate, detrahit quartam debitã iure naturæ, & Trebellianicam, in qua computantur fructus percepti post contestationem litis.

Glos. Testamentum, in quo nil relinquitur hæredi, non valet; & qui instituuntur in certis rebus, habentur loco legatarij, nec tenẽtur creditoribus. Item substitutio alia est vulgaris, alia exemplaris, alia compendiosa, vt hæc: & istæ dicuntur directæ: aliæ sunt indirectæ, vt fidei commissaria: alia est reciproca, vel breuiloqua, (& quæ sint, vide ibi) Item quarta debita est triplex: prima est iure naturæ, & dicitur bonorum subsidium, & hæc debetur filijs tantum, qui sine causa non possunt exhæredari, & huic quartæ nullum grauamen potest imponi. hæc hodie est aucta varie: nam si sunt quatuor filij, habebunt tertiam partem; si quinque & vltra, habebunt medietatem eius, quod debebatur ab intestato; & in hac veniunt omnia, quæ erant eius à quo venit hæreditas: secunda est Trebellianica, sit dicta à Trebelliano authore: & quando quis est institutus hæres, & rogatus, vt si moriatur sine liberis, alteri restituat hæreditatem, iste institutus potest retinere quartam partem de tota hæreditate cum legatis, & donationibus. Tertia est quarta iure institutionis, idest cũ quis instituitur hęres, & hęreditas est exhausta à

sta à legatis, & fideicommissis potest de omnibus detrahere quartā; in falcidia vero sola hæreditaria imputantur, non donata, vel legata, vel fideicommissaria. cetera vide ibi.

1412 *Cap. XVII.* Tua. *Greg.ix.*

EPiscopus debet compellere executores testamentorum, vt bona fideliter expendant in pios vsus, secundum voluntatem testatoris, non obstante quod testator relinquit, executores non esse compellendos: præcedat tamen monitio. Trid sess. 22 R. f. c. 8

Glos. Dummodo voluntas testatoris sit rationabilis.

1413 *Cap. XVIII.* Rainaldus.

FIlius rogatus restituere hæreditatem in morte potest detrahere tertiam iure naturæ, & quartam trebellianicam, & has potest relinquere legato vel hæredi, & pœnas ponere.

Glos. Est tit. allegabilis multum, & pendet à iure. vide ibi.

1414 *Cap. XIX.* Ioannes.

EXecutores testamentarij postquam acceptarunt, debent cogi ab Episcopo, vt exequantur testamentum, si sint negligentes.

1415 *Cap. XX.* De his.

EPiscopus, seu parochiæ non debent habere portionem canonicam de his, quæ legantur ecclesiæ, vel alijs locis pijs pro ornamentis, pro fabrica, pro luminaribus, pro anniuersario 7. 20. vel 30. die, seu alijs ad perpetuum cultum diuinum, dummodo non fiat in fraude, idest vt Episcopus vel parochia his defraudetur.

Glos. Portio canonica diuersimode deducitur, pro diuersitate consuetudinum, idest vel tertia, vel quarta, vel media. Item in his quæ ad pias causas relinquuntur, cessat falcidia.

IN SEXTO LIBER III.
DE TESTAMENTIS.
Tit. XI.

1416 *Cap.* Si patet.

IN substitutionibus est semper interpretandum quod potius sit directa, quam obliqua, dummodo conueniat personis, & earum verbis.

Glos. In substitutionibus obliquis, vt in fideicommissarijs, habet locum quarta legitima, & Trebellianica; in directis vero non habet locum. Item licet filius non possit priuare matrem portione debita lege naturæ, tamen potest pater in testamento, quod filio impuberi facit. Item substitutio est secunda institutio. Item pauperes possunt institui, & intelliguntur pauperes illius loci, vbi habebant domicilium. Item filius non potest priuare matrem quarta; cum causa vero potest. De quartis, de Trebellianica, de falcidia, vide ibi multa.

1417 *Cap.* Religiosus.

DEputatus executor testamenti ab aliquo non potest suscipere hoc officium, nisi petita, & obtenta licentia à superiore, quia non habet velle. Item (sane) quando plures executores deputantur à testatore simpliciter, & vnus vel moritur, vel est in remotis, vel non vult; alter potest libere exequi testamentum, nisi testator aliud expresserit.

Glos. Mulier, & minor 25. annis potest esse executor ex consuetudine, quidquid sit de iure. Item si alter executor non valde distat, vocetur; & si in termino assignato non venerit, socius procedat sine illo; distantia vero loci est arbitraria. Item si testator aliud expressit, & alter non vult exequi, Episcopus exequatur. *supra eo. c. si haredi, c. si sua.*

CLEMENTIN. LIB. III.
DE TESTAMENTIS.
Tit. VI.

1418 *Cap.* Religiosis.

EPiscopi, ordinarij, sine fraude, dolo, & negligentia exigant rationem executionis testamentorum à religiosis, & exemptis, qui fuerunt electi executores, & cum licentia acceptarunt, & sunt exequuti; & si in aliquo deliquerunt, eos puniant, non obstante quocumque priuilegio.

DE-

DECRETALIVM LIB. III.

DE SVCCESSIONIBVS AB intestato. Tit. XXVII.

1419 *Cap. I.* Sed hoc.



LERICVS, Presbyter, Episcopus bona hæreditaria, vel acquisita intuitu personæ potest donare, dum viuit, cui voluerit: sed si moriatur intestatus, succedit ecclesia, cui seruit.

Glos. Hoc intelligitur, si non habet consanguineos, qui succedunt ab intestato: quia tunc consanguinei succedunt, non ecclesia.

1420 *Cap. II.* Sancto.

QVando serui facti liberi, & presbyteri moriuntur, eorum bonis non succedunt laici, sed eorum peculium diuidatur in quatuor partes, quarum vna sit Episcopi, secunda ecclesiæ, tertia pauperum, quarta parentum; quos si non habet, Episcopus conferat quartam in vsum ecclesiæ: sed sufficit patronis habere diuinũ officium à seruis. qui contrafecerit, incurrit pœnam excommun.

Glos. Prælatus moriens potest testari: qui ante promotionem habebat, & qui acquisiuit intuitu personæ, si moriatur intestatus; si res sunt distinctæ, consanguinei succedunt in prædicta; si sunt permistæ, & dubitatur an habuerit propria, in omnibus succedat ecclesia; si vero est certum quod habuit, sed nescitur quantum, tunc habet locum distinctio huius cap. sed hodie non habet locum, quia si non habet consanguineos, succedit ecclesia.

1421 *Cap. III.* Cum dilectus. *Innoc. iij.*

TEstamentum ad pias causas dicitur satis probatum, & valere, quando vnus testis dicit fuisse factum, & alij testes dicunt se audiuisse ab infirmo incidenter loquente de hac re, qui dixit se dedisse illa bona illi piæ causæ; si tunc erat mentis compos; quia si probaretur dixisse hæc mente alienata, habetur intestatus.

Glos. Vnus testis cum adminiculis vehementibus probat in fauorem religionis. Item mente captus non potest testari. Item potest quis probare negatiuam, si in se includit affirmatiuam.

DECRETALIVM LIB. III.

DE SEPVLTVRIS. Tit. XXVIII.

1422 *Cap. I.* Non instituta. *Leo iij.*


VAMVIS ex decentia quilibet esset sepeliendus in sepultura maiorum suorum, tamen quilibet potest eligere sepulturam in loco alieno. Sed illi ecclesiæ, vbi alias erat sepeliendus, & vbi pabulum spirituale, ideſt parochia accipiebat, debet dari tertia pars eorum, quæ reliquit ecclesiæ, vbi sepelitur; & aliter non fiat, sub pœna excommunicationis.

1423 *Cap. II.* Relatum.

PArochianus qui eligit sepulturam in monasterio, eorum, quæ quæ pro anima sua reliquit ecclesiæ, parochialis eius habebit medietatem.

Glos. Standum est consuetudini. Item de relictis pro ornamentis, vel pauperibus, vel consanguineis in remedium animæ suæ, nil detrahitur. *c. vlt. de test.*

1424 *Cap. III.* Fraternitatem. *Innoc. iij.*

QVando electio sepulturæ in loco minus religioso est relicta, sepultura maiorum non valet.

Glos. Hoc cap. est correctum *in 6. eod. cap. 2.*

1425 *Cap. IV.* De his. *Alex. iij.*

QVi in sanitate eligit sepulturam in alia ecclesia, cui dat aliqua de his, parochialis non habet pensionem; si vero eligit, & dat in infirmitate, in qua moritur, parochia habebit suam pensionē.

Glos. Quia fuerunt data causa mortis: an si in vna audit diuina officia, & sumit Sacramēta, in alia habeat sepulturā, in tertia eligat sepeliri, quæ harum habebit? Resp. secunda, vel prima & secunda.

1426 *Cap. V.* Ex parte.

QVi sepeliunt alienum parochianum, debent restituere corpus, & bona quæ habuerunt, vel amicabiliter conuenire.

1427 *Cap. VI.* Cum liberum sit.

Idem cum antecedenti, ideſt corpus, & bona sunt restituenda.

Cap.

1428 *Cap. VII.* De vxore. *Lucius iij.*

SIcut vir, ita & vxor potest sibi eligere sepulturam, quia in hoc sunt pares. Item standum est consuetudini, an parentes possint sepelire filios impuberes vbi voluerint.

1429 *Cap. VIII.* Cum super.

QVando Parochianus ecclesiæ parochialis alibi sepelitur, capitulum cathedralis ecclesiæ habebit quartam.

Glos. Vel aliam secundum consuetudinem.

1430 *Cap. IX.* Certificari. *Clem.iij.*

QVanta debet esse portio canonica quæ debetur ecclesiæ parochiali, standum est consuetudini.

Glos. In mortuarijs consuetudo loci seruetur. Item si essent variæ consuetudines in varijs vicinis locis, est intelligendum de minori summa, quia in illa omnes concordant: vnde si essent tres arbitri, & vnus condemnat in quindecim, alter in decem, & alter in quinque, valet sententia huius vltimi.

1431 *Cap. X.* In nostra. *Innoc.iij.*

PRiuilegiati ad sepeliendum in propria ecclesia si sepeliant eos qui eligunt talem sepulturam, tenentur de relictis à defuncto pro anima sua in vltima dispositione dare quartam parochiæ, nisi dolo, & fraude fuerit inductus ad eligendam talem sepulturam: quia tunc debent totum restituere. Item si sepeliunt eos, qui non elegerunt sepulturam, restituant totum. Item de equis & armis relictis hospitalarijs, & templarijs non est quarta soluenda in fauorem terræ sanctæ, sicut nec de relictis ad cultũ diuinũ. *c.vlt.de test.*

Glos. Pater potest filio impuberi eligere sepulturam. *c. de vxo. eod.* & quia potest ei facere testamentum, si facit sibi testamentum, potest & filio; secus, non. Item sepultura est eligenda in loco magis religioso, *c.frater. eo.* Item dolus superueniens in spiritualibus refundit contractus. *c.cum dilecti filij.*

1432 *Cap. XI.* Ex parte.

ILli qui casu moritur, & non se sponte interimit, non est deneganda ecclesiastica sepultura: quia cui communicamus viuo, debemus & mortuo communicare.

Glos. Qui se sponte præcipitasset, non esset sepeliendus in loco sacro. 23.q.5. *placuit*: sed si putauit posse euadere, licet sponte se præci-

præcipitauerit, eſt ſepeliendus, quia non imputatur ei. Item excommunicatus poſt mortem poteſt abſolui, & ſepeliri in ſacris. *c. à nobis, de ſent. excom.* Item hæc reg. *Cui communicamus in vita, & in morte*, fallit in furibus, in mortuis in torneamentis, in raptoribus, in his qui ſe interficiunt, vel pro ſceleribus ſuis interficiuntur, in ijs qui in teſtamentis inſtituunt presbyteros tutores filijs ſuis, in eo quem conſtat in peccato mortali obijſſe. Item in ijs qui poſt mortem conuincuntur de hæreſi.

1433 *Cap. XII.* Sacris.

SI excommunicati fuerint ſepulti in loco ſacro, & eorum oſſa poſſint ab alijs ſecerni, exhumentur, & procul à loco ſacro eijciantur: ſi nequeunt ſecerni, relinquantur, quia defuncto nec vilis ſepultura nocet, nec ſpecioſa iuuat. Excommunicatus ſi viuens petit abſolui, & per ſe non ſtetit, debet mortuus abſolui. Item oſſa excommunicati ſunt proijcienda, antequam eccleſia conſacretur.

1434 *Cap. XIII.* Abſoluendæ.

PRo terra eccleſiæ, in qua eſt ſepeliendus defunctus, non poteſt accipi pretium, nec hoc præſumant clerici.

Gloſ. Si locus eſt purus alicuius priuati, & non ſit religioſus, vel ſacer, vt cœmeterium, poteſt vendi: ſed ſi de voluntate domini in illo fuit aliquis ſepultus, non poteſt vendi, quia in hoc factus eſt ſacer; ſicut nec cœmeterium poteſt vendi, licet in eo nullus ſit ſepultus. Item vendere officium ſepulturæ, quando ad hoc clerici tenentur, propter beneficium quod habent in illa eccleſia, eſt ſimonia: ſi ex beneficio ad hoc non tenentur, vendere non eſt ſimonia. Item licet clerici exigere non poſſint aliquid pro ſimonia, tamen laici poſſunt compelli ſeruare pias, & laudabiles conſuetudines, ſi quæ ſint.

1435 *Cap. XIV.* Parochiano. *Greg. vij.*

EXcommunicati pro manifeſtis exceſſibus, vt incendio, homicidio, percuſſione clerici, violatione eccleſiarum inceſtu, &c. ſi à ſuo presbytero iuxtam formam eccleſiæ ſunt abſoluti in morte, sũt ſepeliendi in loco ſacro, ſed hæres ſatisfaciat pro eis ſub cẽſura.

IN SEXTO LIBER III.

DE SEPVLTVRIS. Tit. XII.

Cap.

1436 *Cap. I.* Animarum. *Bonifac. viij.*

RElígiosi, vel clerici sæculares non inducant aliquem ad vouendum, vel iurandum, vel promittendum, vt apud eorum ecclesias eligant sepulturas, vel electas non mutent: si secus fiat, electio est nulla, & mortuus sepeliatur vbi de iure sepeliendus esset, si sepulturam non elegisset: & tales religiosi, & clerici si præsumant sepelire prædictum in suis ecclesijs, tenentur intra decem dies restituere corpus, si petatur, & omnes prouẽtus occasione sepulturæ habitos; alioquin ecclesia & cœmeterium, vbi est sepultus, sit interdictum, donec fiat integra restitutio, vltra peccatum mortale.

Glos. Hodie transgressores sunt etiam excommunicati, reseruati Papæ. *Clem. de pœn. c. cupientes.* Item religiosi qui solum inducunt sine iuramento verbis, vel promissione vt eligant, non incurrunt pœnam canonis, quia non tollitur libertas. Item si prius elegit simpliciter, deinde iurauit, cassatur electio. Item quid si iurando eligat sepulturam, in qua de iure erat sepeliendus? Resp. Sepeliatur in ea, prout de iure; licet aliqui negent.

1437 *Cap. II.* Cum quis.

QVando aliqui consueuerunt sepeliri non in parochiali, sed in alia; & illa alia dimissa eligant deinde tertiam; illa tertia soluet quartam seu portionem canonicam non ecclesiæ relictæ, sed parochiali. *c. certificari eod.* Item qui habet duo domicilia, & in vtroque se locat æqualiter, & eligit sepulturam in tertia ecclesia, quarta est diuidenda ecclesijs domiciliorum. Item sepultura potest eligi in loco minus religioso. *c. fraternitatem eod.*

Glos. Similiter portio esset diuidenda, si haberet vnum domicilium æqualiter in duabus parochijs, vt in confinio. Item potest quis habere duo domicilia.

1438 *Cap. III.* Is qui.

QVi egreditur de sua parochia animi causa, vel negociandi, & moritur non electa sepultura, est sepeliendus in parochia, si commode potest. Item mulier, quæ habuit plures viros, si non electa sepultura moritur, est sepelienda in sepultura vltimi viri.

Glos. An si aui, & proaui sint sepulti in vna ecclesia, pater vero eligit sepulturam in alia, filius in qua sit sepeliendus? Resp. in vtraque potest. Item mulier nubens plebeio perdit dignitatem

primi

primi Senatoris. Item villa in iure est congregatio ædificiorum nõ fortificata muris: si est fortificata, dicitur ciuitas, vel castrum. Item ex sola mora quis in parochia nõ fit parochianus, vt scholaris, nisi sit animo perpetuæ, vel per decennium moretur, nec appareat contraria voluntas.

1439 *Cap. IV.* Licet pater.

CVm filij impuberes nequeunt eligere sepulturam, eligat pater, si est talis consuetudo; si non est, sepeliatur in sepultura maiorum. Item licet filius familias possit eligere sepulturam, non tamen potest quid legare pro anima sine consensu patris, nisi habeat castra; secus quasi castrense.

Glos. Hic tit. declarat *c. de vxore eod.* Item pubertas in masculo est 12. in fœmina 14. *c. 1. de testam.* Filius familias potest eligere sibi sepulturam, & testari de peculio pro anima, non pro alijs. Item in alternatiuis non semper datur electio.

1440 *Cap. V.* Religiosi.

REligiosi sunt sepeliendi in proprijs monasterijs, nisi sint ita remoti, vt commode portari nequeant; & tunc possunt eligere sepulturam.

Glos. Si non eligant, sunt sepeliendi in parochia, in qua moriũtur. Item loquitur de claustrali.

CLEMENTIN. LIB. III.

DE SEPVLTVRIS. Tit. VII.

1441 *Cap. I.* Eos qui.

QVI etiam si sint exempti, defunctos in cœmeterijs tempore interdicti in casu à iure non concesso, vel publice, aut nominatim excommunicatos, interdictos, vel publicos vsurarios præsumunt scienter sepelire, sunt ipso facto excommunicati; nec possunt absolui, nisi prius arbitrio ordinarij satisfecerint offensis tali iniuria, non obstante quocumque priuilegio sub quacumque forma.

Glos. Interdicta sunt varia, & quando dantur ad quod iuuant. Item quando, & quibus concedatur sepultura tempore interdicti. Item non dicetur statim quis publicè excommunicatus, ex eo quod per iudicem est excommunicatus in loco iudiciali; sed dicetur publica,

blica, vel non publica ex qualitate fori, idest ex multitudine vel paucitate officialium, & adstantium, ad hoc vt præsumatur ignorantia in sepeliente, vel non: quia licet sententia sit promulgata à iudice in banco coram duobus, vel tribus, tamen erit occultum. Item interdictus non nominatim potest sepeliri in loco interdicto. Item manifestus vsurarius non est sepeliendus in sacris, nisi in testamento sit cautum, vt restituatur: quia hoc sufficeret quoad sepulturam, non quoad validitatem testamenti; sed cautio data ab hæredibus non sufficit quoad sepulturam. An qui solus mortuum sepulcro condit, sit excommunicatus, vel etiam alij, vt effodientes, fabricantes, vel aperientes sepulturas, & an prælati etiam clerici ministri, qui hoc permittunt in suis ecclesijs, sic qui portant cereos, cruces, & similia? res est dubia: quia si tantum qui humi tradit, res est ludicra; si omnes, quando iura volunt auxiliantes ligare, solet apponere. An qui sepeliuit manifestum vsurarium, excommunicatum, interdictum, & in loco interdicto incurrat quatuor excommunicationes vel vnam? An fuerint exhumandi, si fuerint sepulti? Resp. excommunicatus, interdictus, & vsurarius sic; sed qui in tempore interdicti fuit sepultus, non: imo licite possunt accipi mortuaria pro eo, qui datur post relaxatum interdictum.

1442 *Cap. II.* Dudum.

FRatres Predicatores & Minores possunt prædicare in proprijs ecclesijs, & locis, & in communibus plateis. Excipitur illa hora, in qua prælatus loci vult prædicare, vel coram se solemniter facere prædicare: tunc enim cessabunt, nisi aliter voluerint Prælati, vel dent specialem licentiam. Item fratres possunt prædicare in studijs generalibus, vbi solet prædicari ad Clerum certis diebus; sic ad funera mortuorum, & in festis specialibus fratrum possunt libere prædicare, nisi illa hora Episcopus, vel superior vellet clerum ad se vocare generaliter, vel duceret congregandum clerum ex aliqua iusta causa & vrgente. Item in parochialibus fratres non audeant prædicare, nisi à parochis inuitati & vocati, vel de illorum beneplacito, vel petita, & obtenta licentia; nisi Episcopus vel Prælatus superior velit per eos sibi prædicari. Item superiores maiores petant facultatem ab ordinarijs locorum, vt fratres ad hoc electi in eorum diœcesibus possint audire, & absoluere volentes confiteri, & superiores illi eligant personas idoneas sufficientes, peritas, probas, & sic electas præsentent prælatis, vt de licentia eorum audiant confessiones, & cum hac licentia non audiant confessiones extra illas diœceses, vel ciuitatem, pro qualitate, & necessitate populi.

Quod

Quod si Prælatus nollet aliquem præsentatum admittere, præsentetur alius; sed si ordinarij nollent admittere electos à superioribus his conceditur de plenitudine potestatis apostolicæ licentia audiẽdi confessiones, & absoluendi, vt curatis, & parochialibus sacerdotibus est à iure concessa, & non plus, nisi ordinarij maiorem conferant. Item prædicti regulares libere possunt in suis locis sepelire quoscumque, qui in his sepulturam eligunt; & prædicti fratres de omnibus prouenientibus tam funeralibus, quam quocumque modo relictis distincte, vel indistincte ad quoscumque certos, vel indeterminatos vsus, de quibus etiam quarta non consueuit solui, vel non debet de iure, & datis in morte, & mortis articulo, vel in infirmitate in qua decesserunt quocumque, vel fratribus, vel alijs pro eisdem, semper quartam partem integram dent ecclesijs parochialibus, & eorum rectoribus; immo quæ danda essent fratribus in morte, non curent sibi dari in vita, ne quartam soluant; & si quid faciunt cum fraude & dolo, vltra peccatum restituant quartam, & vltra quartam hic taxatam non possunt fratres cogi ad aliud, neque rectores cogere: & ad hoc reuocantur omnia priuilegia sub quacumque forma verborum data, & etiam consuetudines. Tandem præcipit curatis, vt beneuole fratres tractent.

Glos. Hæc constitutio loquitur de Prædicatoribus & Minoribus, & in rigore non extenditur ad Mendicantes, sed verisimile est quod ipsi etiam habeant priuilegia.

EXTRAV. COMMVN.
LIBER TERTIVS.
DE SEPVLTVRIS.

1443 *Cap.* Detestandæ. *Bonif. viij.*

QVI corpora defunctorum exenterant, & in frusta immaniter secant, & aquis decoquunt vt separentur ossa à carnibus, vt ad alias terras mittant, vel deferant tumulanda, sunt excommunicati cum reseruatione Papæ; & illa corpora careãt ecclesiastica sepultura, sed possunt ea sepeliri, vt incinerentur, & deinde deferri ad loca, vbi sepulturam elegerint.

Glos. Arg. quod intestina non debent extrahi inciso corpore, & condi aromatibus, vt expectentur.

Cap.

1444 . *Cap.* Super .

Est eadem cum cap. super dudum, sed glosa amplior, hæc fuit reuocata per *extrauag. inter cunctas de priuilegijs*; sed fuit innouata per clementinam, *Dudum de sepulturis*.

DECRETALIVM LIB. III.

DE PAROCHIIS, ET ALIENIS parochianis. Tit. XXIX.

1445 *Cap. I.* Si Episcopus. *Conc. Afric.*

Qvando Episcopus cum parte plebis fit hæreticus, & eligitur alius Episcopus catholicus in Episcopatu, si hæreticus cum plebe reuertitur ad fidem, & dispensatiue admittitur ad eundem Episcopatum, diuidetur diœcesis, & fructus, & plebes.

1446 *Cap. II.* Vt dominicis.

Parochus in diebus festis, antequam faciat sacrum, interroget, num quis alterius parochiæ contẽpto proprio parocho ibi velit missã audire: & si quẽ inuenerit, statim ab ecclesia illius eijciat.
Glos. Secus si sine contemptu, sed quia est absens. vide.

1447 *Cap. III.* Nullus.

Nullus Episcopus alienum parochianum ordinet, vel præsumat iudicare.
Glos. Nisi illuc transtulerit domicilium.

1448 *Cap. IV.* Super. *Vrban. iij.*

Sicut limites prouinciarum secundum iura præscribi non possũt, sic limites Episcopatuum, & parochialium cum adhærentibus non possunt præscribi, si legitima probatione, & indubitata fide constet ordinatione ecclesiastica esse statutos.

1449 *Cap. V.* Significauit. *Celest. i.*

Si quis ex vna diœcesi transfert domicilium in aliam, primus Episcopus non habet iurisdictionem in ipsum, nec ab eo temporalia

de noualibus, ideſt de terris, quarum non eſt memoria quod cultæ fuiſſent, ſed erant inutilia; nec de nutrimentis animalium. *c. ex parte, infra.*

1454 *Cap. V.* Peruenit. *Alex. iij.*

PArochiani poſſunt compelli ad ſoluendas decimas ſub pœna excõmunicationis,& decimas integras ante aliquã deductionẽ.

1455 *Cap. VI.* Nuncios.

In hoc cap. dicit idem, quod in præcedenti.

1456 *Cap. VII.* Cum homines.

INtegras decimas ſoluant, ſine deductione expenſarum & quidquid deduxerunt, reſtituant.

Gloſ. Decimæ quam citius & competenter ſunt ſoluendæ: & ſi ruſticus eſt in mora, & decimæ pereunt, ipſi pereunt: ſed ſi ſacerdos non vult tunc recipere, periculum eſt ſacerdotis, ſi deinde vult recipere, quia mora vltima nocet ei per quem ſtetit; contra, ſi ſine mora pereunt.

1457 *Cap. VIII.* Dilecti.

QVi habent priuilegium non ſoluendi decimas, ſi conducunt vel ſumunt ad firmam prædia ſolita ſoluere, tenentur etiam ipſi de illis prædijs ſoluere,quia priuilegia nõ intelliguntur de agris conductis; ſed poſſunt componere.

Gloſ. Priuilegia non ſunt amplianda, quia odioſa, & ſunt intelligenda vt concedens intellexit. Item ſi prædia propria non ſufficiunt clericis, poſſunt conducere aliena; nec obſtat *c. 1. 2. q. 3. ne cleric. vel monac.*

1458 *Cap. IX.* Suggeſtum.

REligioni habenti priuilegium non ſoluendi decimas, ſi multũ multiplicat poſſeſſiones, ita vt notabiliter lædat alios qui ſolebant decimas habere, eſt reuocandum priuilegium, vel debet cõponere cum illis de decimis.

Gloſ. Licet priuilegia ſint perpetua, & immutabilia, tamen ſuperueniente noua cauſa perduntur, vt ſi quis abutatur illis per negligentiam ſpatij decem annorum, per contrariũ factum,& ſi enorme præiudicium alij inducunt. Item eccleſiaſtici poſſunt inter ſe componere de decimis.

1459 *Cap. X.* Ex parte.

CIstercienses, Templarij, Hospitalarij, de prædijs quæ proprijs manibus vel sumptibus colunt, non tenentur soluere decimas: ceteri religiosi non tenentur soluere decimas tantum de noualibus quæ colunt suis manibus, & de hortis, & nutrimentis animalium; de alijs prædijs & rebus omnes debent soluere decimas.

1460 *Cap. XI.* Licet.

QVi habent priuilegium non soluendi decimas de agris quos proprijs manibus vel sumptibus colunt, debent soluere de terris, quas alijs colendas tradunt.

Glos. Et de ijs, quas conducunt.

1461 *Cap. XII.* Ad audientiam.

PRiuilegium concessum de non soluendo decimas de laboribus, intelligitur etiam de terris quæ non sunt noualia.

Glos. Sine certa scientia non est recedendum à forma verborũ.

1462 *Cap. XIII.* Quoniam.

Trid. sess. 24 R f c. 12. DEcimæ noualium si sunt in aliqua parochia, debentur *illi* parochiæ, data sua parte Episcopo: Si non sint in aliqua parochia, Episcopus potest eas vel sibi retinere, vel alicui ecclesiæ deputare, prout iudicauerit.

1463 *Cap. XIV.* Parochianos.

Decimæ possunt exigi, quia sunt à Domino non ab homine.

1464 *Cap. XV.* Ad hæc.

DEcimæ non possunt concedi laico iure hæreditario, & laicus est cogendus per excommunicationem vt resignet.

1465 *Cap. XVI.* De terris.

IVdæi qui volunt terras, sunt cogendi vel soluere decimas prædiales, vel renunciare possessiones.

Glos. Iudæi non debent soluere decimas personales, quia non sunt de ecclesia; prædiales vero tenentur.

1466 *Cap. XVII.* Quamuis.

LAici non debent sibi vsurpare ea quæ sunt sacerdotum, nec eis est aliqua potestas tribuenda de rebus ecclesiasticis. ideo præla-

prælatus qui laico in sæculo remanenti concedit ecclesiasticam decimã, vel oblationẽ, est deponendus à statu suo, donec satisfaciat.

Glos. Laici qui decimas retinent, peccant; nec possunt eis concedi in feudum, quia non possunt transire ad hęredes vt feudum; immo non possunt cadere in laicum, sicut nec ius eligendi. Bene possunt concedi laico fructus decimarum ex causa ad tempus vitæ suę, sed non in feudum; sicut possunt vendi ad tempus; sed non ius percipiendi, quia est spirituale, licet antiquitus ex causa daretur in feudum. Item si aliqui laici adhuc possident decimas ab antiquo concessas, si aliqua noualia insurgunt, horum decimatio non accrescit laicis.

1467 *Cap. XVIII.* Cum sint.

QVando aliqui accipiunt Sacramenta, & diuina in vna parochia, & habent prędia in alia, cui parochię debeantur decimę, standum est consuetudini.

Glos. Decimę in parochia alterius pręscribi non possunt. Item decimę personales sunt dandę, vbi quis recipit sacramenta; prędiales, vbi prædia, nisi cõsuetudo cõtraria sit pręscripta. vide Io. And.

1468 *Cap. XIX.* Prohibemus.

LAici sine periculo animę non possunt decimas retinere, neque in alios aliquos laicos transferre aliquo modo; & qui eas recipiunt si non reddunt ecclesiæ, priuantur ecclesiastica sepultura.

Glos. Nec in laicos, nec in clericos possunt illas transferre, neque de consensu Episcopi: sed si illas ab antiquo habent in feudum, possunt in alios laicos transferre in feudum de consensu Episcopi, quia non est infeudare.

1469 *Cap. XX.* Ad apostolicæ. *Lucius iij.*

QVando aliqui recipiunt sacramenta in vna parochia, & habẽt seu colũt prædia in alia, soluãt decimas personales vbi sumũt sacramenta, & prædiales vbi ex cõsuetudine diu obtenta soluuntur.

Glos. Personales decimæ dicuntur, quę intuitu personæ soluuntur, vt de negociatione, artificio, militia, *c. non est, cap. pastoralis eod.* de quibus sunt deducendæ expensę ante solutionem decimarũ. Item decimę animalium deputantur inter prędiales, & solui debẽt vbi continuo pascuntur; si per sex menses hic, & per sex ibi, vel continuè iacent hic, & continue pascuntur ibi, diuidantur. Sed si quis iacet in vna parochia, & larem habet in alia, diuidet decimas personales, & oblationes.

1470 *Cap. XXI.* Ex parte. *Clem. iij.*

AGricultores soluant omnes decimas integras de omnibus fructibus prędiorum, etiam in diuersis temporibus anni seminatis sub censura ecclesiastica.

Glos. Etiam de arboribus, nullis expensis deductis.

1471 *Cap. XXII.* Non est. *Cælest. iij.*

DEcimę sunt soluendę sine diminutione, & antequam deducantur expensę.

Glos. Verum est in prędialibus, non in personalibus. *c. pastoralis, eod.*

Idem *Cap. XXIII.* Ex transmissa.

DE molendinis ad ventum sunt etiam soluendę decimę sine diminutione.

Glos. De illicitis acquisitis si transfertur dominium, et non cōpetit repetitio, sunt soluendę decimę, et potest fieri eleemosyna, vt de meretricio. vide.

1472 *Cap. XXIV.* A nobis. *Innoc. iij.*

QVi dant vel accipiunt possessiones ad firmam, idest locant, vel conducunt, tenentur de fructibus soluere decimas, nisi ostendant quare sint immunes.

Glos. Licet soluere decimas sit de iure diuino, tamen Papa potest concedere priuilegium non soluendi, idest concedere administrationem decimarum, vel potest contra ius naturale dispensare cum aliquo particulari, sed non potest tollere pręceptum commune de non soluendo decimas.

1473 *Cap. XXV.* Tua.

QVęcumque concessio Imperialis non potest aliquem eximere á solutione decimarum, quia debentur diuina constitutione, et in laicis nulla est potestas concedendi, vel dispensandi in spiritualibus. Item in decimis licentia non est extendenda, sed restringengenda: et sic qui ab antiquo habet in feudum decimas, non potest accipere decimas noualium.

Glos. Laici nec habent potestatem in temporalibus, quę ad cōmodum ecclesię respiciunt, nisi de licentia ecclesiæ, et in aliquibus casibus.

Cap.

1474 *Cap. XXVI.* Tua nobis.

DEcimæ debētur sine diminutione Ecclesiæ, & clericis suæ diœcesis, nec cui voluerint. Nec obstat malitia clericorum, nec sumptus facti, sed integræ sunt dandæ, & ad hoc cogendi districtione ecclesiastica, quia sunt tributa egentium animarum, & signum vniuersalis dominij Dei super terras.

Glos. Super decimis admittitur appellatio, currit præscriptio, non autem in tributis. Item ecclesia est facta domina rei nondum traditæ, vt in minore, & milite. Item si colonus dat domino tertium, vel quartam partem fructuum, vterque tenetur soluere decimas de parte sua. Si colonus dat certam mensuram, vt duos modios, tunc dominus debet soluere decimam de illa certa mensura, licet fuerit sumpta de aceruo iam decimato; & est danda ecclesiæ, in cuius territorio est posita. Item ecclesia pro decimis potest conuenire possessorem, siue sit, siue alio nomine: sic in possessione, quia decima est onus sequens possessorem. Item notorie suspenso non teneor dare decimas personales; sed videtur sic, sicut Iudæus soluit decimas personales, non ratione diuini cultus.

1475 *Cap. XXVII.* Ex parte.

QVando ex priuilegio conceditur alicui ecclesiastico, vt sibi accipiat decimas suorum prædiorum, potest etiam exigere eas de nouualibus: secus si laicis, *cap. tua.* quia quando maius conceditur, etiam minus concessum esse creditur.

Glos. Et cui interdicitur minus & maius esse interdictū videtur.

1476 *Cap. XXVIII.* Pastoralis.

NEgotiator de lucro acquisito per mercimonium, antequam soluat decimas, debet deducere expensas: quia pecuniæ, quibus emuntur merces, vt ager, vinea, clibanus, &c. iam erant decimatæ, sed expensæ quæ fiunt pro fructibus colligendis ab illis, de quibus fructus proueniunt, non sunt deducendæ, etiam si fuerint decimatæ, idest emptæ pecunia decimata. Item fructus non possunt alienari, nisi cum onere decimarum. Item de prouentibus decimandis non sunt deducendæ expensæ factæ pro restaurando detrimento rerū, ex quibus fructus deducuntur, vt molendini, vineæ, &c.

Glos. In negotiatione deducuntur expensæ ante decimas, in fructibus non. Item filius de hæreditate non debet soluere decimas. Item si emissem rem, vt eam venderem, & antequam venderem fecissem sumptus pro ea conseruanda, possem deducere sumptus.

1477 *Cap. XXIX.* Cum contingat.

Receptio decimarum de iure spectat ad parochi[illegible], & [illegible] q[illegible]enter decimæ noualium, quæ in eadem parochia [illegible] sed si quis præscripsisset decimas alterius par[illegible]æ, non [illegible] nihil accipere noualium decimas eius parochiæ [illegible] cum [illegible] bili c[illegible]a ostendat ad se pertinere.

Glos. Decimæ de iure communi spectant ad [illegible] Episcopum, qui in decimis p[illegible]rochialibus [illegible] tionem, nec quartam, *cap. conquerentes, de off. ordin.* [illegible] videntur d[illegible]cere contrarium, loquuntur vel de decimis [illegible] scopalis, vel secundum consuetudinem loci, *ut cap. [illegible]*

1478 *Cap. XXX.* Cum tua.

Decimæ de iure debentur ecclesiæ parochiali, sed si monasterij, vel conuentus de certa terra subiecta parochiæ [illegible] bant aliquos fructus ratione decimarum, & de[illegible] eadem terra colligantur, eadem monasteria debere accipere decimas illorum nouorum fructuum: quia non debent [illegible] res diuerso iure censeri.

Glos. Minutæ decimæ appellantur [illegible] lis, ouis, hortis, *cap. ex parte, cap. ex multiplici* [illegible] potest præscribere decimas in alte[illegible] *cum contingat, eod.* & intelligitur quando habet titulum.

1479 *Cap. XXXI.* Dudum.

Laici etiam Reges non possunt donare ecclesi[illegible] vel aliquid Ecclesiæ: & si dent, talis titulus non [illegible] ptionem: & si Papa confirmaret talem donationem [illegible] tendit derogare iuri alterius, nisi expresse hoc [illegible].

Glos. Hic videtur dicere quod decimæ spectant ad Episcopum: sed intelligitur de consuetudine loci: vel non [illegible] quantum ad decimas: vel non erant in certa parochia [illegible] pertinerent, *cap. cum contingat, eod.* Item qui allegat [illegible] nem, tenetur probare titulum, cuius causa præscripsit [illegible] *ti, de præscript.* vbi dicitur, quod aliquando non est [illegible] tulus. Item si donatio nō valet, nec confirmatio donationis valebit.

1480 *Cap. XXXII.* In aliquibus.

Domini prædiorum possunt cogi per censuras, vt dent prædia colenda talibus colonis, à quibus Ecclesia sine contr[illegible]

integras decimas exigere possit, vel illi soluant. Item illæ decimæ necessario sunt soluendæ, quæ debentur de iure diuino, vel de ... consuetudine approbata.

Glos. De qua consuetudine. *sup. eod. c cum sint homines, & c. ad* ..., & debet esse approbata, & præscripta, *c. vlt. de consuetud.* ... non potest esse consuetudo soluendi minores decimas, nisi Papa approbet: quia non potest esse cum bona fide, & sine peccato; & ... præscribere, quia de iure diuino; sed clerici contra clericos vel ecclesiam possunt præscribere, vel partem, vel totas decimas.

1481 *Cap. XXXIII.* Cum non.

Primo sunt soluendæ decimæ, deinde census, & alia tributa: & si soluuntur prius tributa in ... ita, illa etiam ... decimanda suo ... excommunicationis, idest cogendi censuris: quia res transeunt cum hoc onere, idest decimarum.

Glos. ... in illo casu, vt in *tua nos, eod.* An dominus accipiat certam partem, vel duas corbas.

1482 *Cap. XXXIV.* Nuper.

Cisterciences, & omnes Regulares, qui gaudent ... priuilegijs, de terris alienis, & in posterum acquirendis, etiam si eas proprijs manibus, ... sumptibus excolant, debent soluere easdem decimas, quas ante domini terrarum soluebant, vel ... compensant. Item prælati ecclesiarum studeant seruare priuilegia regularium defendendo contra malefactores.

Glos. Priuilegium quando est in enorme detrimentum aliorum, est derogandum in totum, vel in partem. Item qui de iure communi possidere decimas non possunt, vt sunt regulares, & monachi, qui non habent populum, neque sacramenta administrant, ratione quorum dantur decimæ; non possunt præscribere decimas, nisi habeant alium titulum. *c si diligenti, & c. causam quæ, de præscript.*

1483 *Cap. XXXV.* Interdicimus.

Personæ ecclesiasticæ non præsumant accipere à laicis in pignus decimas detétas à laicis quæ spectant ad alienas ecclesias.

Glos. Tit. habet locum, siue decimæ de facto, & vi detineantur à laico, siue in feudū, vt post mortem laici decimæ citius deueniant ad ecclesiam: quia in decimis non habet locum successio, nisi in antiquitus concessis. *c. ad hoc, eod.* Item ecclesia, ad quam de iure pertinent decimæ, potest eas accipere in pignus, quia cessat difficultas.

IN SEXTO LIBER III.

DE DECIMIS, PRIMITIIS, ET oblationibus. Tit. XIII.

1484 *Cap.* Dilectioni. *Gregor.*

PRædicantes, & alij [illegible] lum ad soluendas decimas. Item de alijs [illegible] *Gl. f.* An decimæ debeantur de [illegible] opiniones.

1485 *Cap.* Statuto. *Alex.* [illegible]

QVando aliqui, vt monachi, obtinent priuilegium [illegible] decimas noualium secundum proportionem [illegible] quas aliquo modo possident, tale priuilegium non [illegible] decimas noualium, quas tempore impetrationis [illegible] debent, nisi fiat expressa mentio [illegible] locis, in quibus monachi habebant [illegible] nachi erant in possessione tertiæ partis, [illegible] midia pars, debent accipere decimas [illegible] tertia parte tantum, non pro dimidia. [illegible] decimas, & impetrant priuilegium [illegible] tibus, non possunt accipere omnes, [illegible] quia Papa non intendit inferre tantum [illegible] piuntur tamen Cistercienses, & Carthusienses [illegible] pter concessionem talem [illegible] de congrue viuant, & [illegible] dinarij prouideant vt [illegible] prouentibus habeant, quam [illegible] Item laici, qui ante Concilium Lateranense [illegible] feudum, cum volunt dare, deberent illas dare Parochi [illegible] iure erant, & ad hoc Episcopus debet illos p[illegible] nolint, potest Episcopus consentire vt eas dent ecclesiæ [illegible] loco religioso. Item si religiosi dederunt in feudum [illegible] possunt accipere easdem de manibus laicorum [illegible] scopi. Item si religiosi emant terras de nouo, [illegible] compellere religiosos vt soluant decimas de illis terris [illegible] dummodo non agatur de rebus exemptis. Item religiosi [illegible] exempti, quàm non, de terris, & possessionibus acquisitis, [illegible] acquirendis soluunt decimas integras illis ecclesiis, quibus [illegible] soluebantur, nisi super hoc habeant speciale ius vel priuilegium. [illegible]

si per [illegible] laicorum habeant decimas antiquas, [illegible] propterea [illegible] decimas novalium in ijsdem, [illegible] c[illegible].

Glos. P[illegible] bona fide etiam sine proprietate iuris [illegible] vires priuilegij, Secus si mala fide.

CLEMENTIN. LIB. III.
DE DECIMIS, PRIMITIIS, & oblationibus.

14°6 [illegible] Religiosi.

RELigiosi, qui [illegible] pertinentibus [illegible] sibi appropriatis [illegible] fuerint exempti pro [illegible] proprijs, vt pro [illegible] sic quod [illegible] ecclesiæ animalia [illegible] vel alijs ab ipsis tenentibus [illegible] alijs [illegible] colendas, [illegible] non permittant, seu [illegible] ecclesiæ, [illegible] [illegible]tionem ab eo [illegible], cuius interest, [illegible] non desistant, vel si intra [illegible] non re[illegible] dam[illegible]nificatæ, sint, & t[illegible] ab [illegible] beneficijs, [illegible] qui non habent [illegible], vel beneficio [illegible] [illegible] obstante [illegible] que [illegible] affectu, & sine fictione vt [illegible] conuersi, &c. non debent soluere decimas.

Glos. Religiosi [illegible] non sunt exempti, licet colant agros proprijs [illegible] aliquam mercenariam, cum [illegible] animam, siue percipiant fructus, siue non. Item [illegible] non sortitur naturam eius, qui [illegible] ne fiat [illegible] inseparabilium vid. Item [illegible] est vna [illegible] in singulari. Item in [illegible]ribus clericis vel laicis, qui in hoc delinquunt, non habet locum iste pœnæ. [illegible] in religioso translato ad ecclesiam sæcularem habent locum. Item comprehendit etiam omnes, & hospitalarios, Cistercienses, fœ[illegible]. Item hæc constit. non habet locum, quando pœnæ debentur alicui priuato, vt per antiquum feu[illegible]. Item priuilegium de nutriendis animalibus non extenditur ad animalia, quæ [illegible] alijs nutrienda, et priuilegium de decimis laborum non extenditur ad

ad terras, quas tradunt aliis colendas, vel ad terras non proprias. Item hæ pœnæ non ligant religiosos non soluentes decimas, quia aliud est appropriare, vel vsurpare, vel easdem retinere.

1487 *Cap.* Si beneficiorum.

QVando Papa concedit alicui decimas beneficiorum, v. g. Regi Galliæ, & decimæ in aliqua parte sunt taxatæ. [illegible] decimas secundum taxationem antiquam, non secundum [illegible] & accipiet secundum monetam currentem in illo loco. Item collectores decimarum Regis non possunt accipere calices, libros, vel ornamenta ecclesiarum causa pignoris vel distrahendi, [illegible] extrahere, quæ sunt ad seruitiū Dei, & officiorum [illegible].

Glos. Si ecclesia habet alia bona, possunt capi. Item potest petere decimas ab ecclesiis totius orbis, et non facit sine magna necessitate & easdem potest concedere Principi sæculari. Item pro executione rei iudicatæ non capiuntur illa, quibus ad vitam [illegible] quærit. Item an cum agitur de [illegible] beneficiorum, nomine beneficiorum veniant hospitalia, fabricæ: Resp. non de [illegible] de eleemosynis, non de prioratu, [illegible] : Si in beneficium, vel mera gratia, sic [illegible] nes, sic cappellaniæ, altaria: [illegible] extant bullæ, & plures declarationes, & habes *[illegible] com. c declaratio[illegible].*

EXTRAV. COMM. LIB. III.
DE DECIMIS.

1488 *Cap.* Declarationes. *Bonif.* [illegible]

COllectori decimarū [illegible] pro bello, & [illegible] Regni Siciliæ declarat multa dubia, de quibus multa supra [illegible] in *Clem. c. si beneficiorum.*

DECRETALIVM LIB. III.
DE REGVLARIB. ET TRANSEVNT. ad Religionem. Tit. XXXI.

1489 *Cap. I.* Nullus. *Conc. Mogunt.*

[illegible] NVllus admittatur ad religionem, nisi volens & in ætate legitima. *Glos.* Ante xiv. annum non [illegible] potest esse clericus in septimo anno, non tamen beneficium habere.

Cap.

1490 *Cap. II.* Si quis.

SI filius infra legitimam ætatem, sed cum consensu parentum ingreditur Religionem, & parentes infra annum non reclamant ad Papam, Episcopum, vel eius Vicarium, non possunt post annum illum reuocare. Si est ingressus post legitimam ætatem, sed per vim, & nec ipse, nec parentes eius reclamant infra annum ad prædictas personas, remaneat in clericatu, vt supra.

Glos. Post tantam moram præsumitur consentire, si potuit reclamare; alias non tenet [illegible] *c. prælatum, quod metu.* Item tutor potest contradicere [illegible]. Item in primo casu parentes non possunt reuocare: sed puer potest exire vsque ad xiv.

1491 *Cap. III* Vt clerici.

QVi habitu, & [illegible] monachos, & non sunt, cogantur vt vere sint, [illegible].

Glos. Idest deponant habitum. [illegible] si quis se fingit religiosum ex causa honesta, [illegible], non nocet ei, *c. perlatum, de his quæ vi, metusue.* Si [illegible] causa, compellitur redire ad illud, vel aliud monasterium. Item in matrimonio, qui proposito matrimonio copulatur mulieri, & mox [illegible] probare quod non est legitimū, non est audiendus: quia in [illegible] curritur ad communē intelligentiam verborum. *c. ex litteris de [illegible].*

1492 *Cap. IV.* Viduam.

SI vidua sponte sibi imponit velum conuersionis, licet non sacrum, & inter velatas in ecclesia oblationem Deo obtulit, debet retinere habitum religionis, velit, nolit, etiam si iuret eo tenore sibi imposuisse velamen, vt posset deponere.

Glos. Secus si per vim. Item velum conuersionis vidua potest sibi imponere, vel recipere ab Episcopo, vel sacerdote; consecrationis vero à nullo, quia solæ virgines consecrantur. 20. *q.* 1. *c.* *placuit,* & *c. deuotis.* Item iuramento solo viduæ non statur: sed si haberet alias bonas præsumptiones, & esset persona honesta, tunc ad plenam probationē posset accipi iuramentum; & etiam sine iuramento, si haberet alias probationes; & talis probatio admittitur, si fictio processit ex honesta causa, quia si ex inhonesta, nulla probatio admitteretur.

1493 *Cap. V.* Ioannes. *Greg. iij.*

NOn licet monacho transire temere de monasterio ad monasterium, nec habere aliquid peculiare: & si hoc præsumpserit

riis cum competenti correctione reddatur monasterio, in quo ab initio est conuersatus sub regula sui Abbatis.

Glos. Hoc cap. loquitur de his, qui causa leuitatis [illegible] licet transire ad arctiorem Religionem petita licet non obtenta [illegible]. *c. [illegible].* Item Abbas primus tenetur redeuntem recipere, [illegible] si noluerit, est compellendus. *c. vlt. eod.* [illegible] primum monasterium [illegible].

1494 *Cap. VI.* Quia.

IN infirmis quia est dura, idest, aspera conuersatio monachorum, pueri non recipiantur ante xvij. annum [illegible] ætatis.

Glos. Propter asperitatem vitæ extenditur regula canonica. Item [illegible] ad decimum septimum annum dicitur [illegible].

1495 *Cap. VII.* Non est.

MOnachi, & Conuersi Cisterciensis [illegible] professionem non possunt transire ad alios Ordines sine licentia [illegible] si quis fuerit egressus, & monitus [illegible] cogendus a prælatis redire.

Glos. Maxime sine licentia non [illegible]: [illegible] non potest dispensare [illegible] Regula arctior Cisterciensium [illegible] licentiam, vt transeat ad [illegible]. Item [illegible] redeundus est ad arbitrium Iudicis [illegible]. Item [illegible] compellendi per sententiam excommunicationis.

1496 *Cap. VIII.* Ad nostram.

Tri. sess. 25. c. 15.
QVi gestat habitum professorum ante xiv. annum non [illegible] professus; & si post xiv. [illegible] præcedenti probat, [illegible] dimiserit, non [illegible], & potest [illegible] vxorem: quia sine deliberatione [illegible].

Glos. Vbi constat de facto [illegible] deliberatione, non est [illegible] de eius [illegible] placuit, amplius displicere non potest. [illegible] de [illegible] scitur de intentione, [illegible] præsumptionem professorum, vt in casu [illegible] de [illegible], vt [illegible], annus [illegible] completo; [illegible] completus [illegible].

1497 *Cap. IX.* Super.

QVi [illegible] ante professionem, non possunt ad priorem [illegible] redire: & si illius Religionis

aute-

austeritatem ferre non possunt, cogantur transire ad minorem Religionem, nec amplius assumantur in ecclesijs sæcularium, ne faciant contra votum *c. statuimus eod. c. constituisti*. sed in anno probationis possunt redire ad priorem statum, in eadem veste, qua venerũt, vt habetur in Regula D. Benedicti.

Glos. Qui habitum Religionis acceperunt animò perseuerandi, non possunt transire ad sæculũ, etiam si non admiserint Professionẽ, qui renuntiauerũt sæculo generaliter, quod votum ante Professionẽ appellant; sed qui causa probationis habitum sumit, potest reuerti.

1498 *Cap. X.* Sane.

SI canonicus Regularis fit monachus in Religione strictiore, est relinquendus; quia est tuta conscientia: si non in strictiori, redeat ad suam.

Glos. Religiosus ex bono zelo, & non causa leuitatis, potest transire ad arctiorem, non è contra *c. 5. eod.*

1499 *Cap. XI.* Significatum.

QVi non fuit oblatus à parentibus, & ante xiv. annum professus est, potest exire, quia votum est nullum. si fuit à parentibus oblatus, non debet exire. Si post xiv. annum intrauit, vel si ratam habuit professionem factam ante xiv. annum, est cogendus, vel in eadem manere, vel ad aliam Religionem transire.

Glos. Votum, quod à principio non tenuit, per ratihabitationem sequentem tenet, si tacite consentiat remanendo ibi per annũ. *in 6. c. 1. eod.* & valet vt ex nunc, non vt ex tunc. Item quando dicitur, *transeat ad aliam*, intelligitur maiorẽ, vel æqualem Religionẽ.

1500 *Cap. XII.* Cum virum. *Clem. iij.*

PVella quæ ante discretionis, idest xij. & in viro xiv. annum accepit habitum cum benedictione solita, si in ætate debita ratam habet professionem, non potest amplius relinquere habitum: sed si nubilis sumpsit habitum coacte, potest dimittere.

Glos. Votum quod ab initio non valet, tractu temporis conualescit, & valet ex nunc, non ex tunc. *c. significatum, eodem,* & *c. de illis de dispensat. impub.* Item arguitur à contrario consensu; si fiat in eumdem sensum, valet; in diuersum, non.

1501 *Cap. XIII.* Peractum.

QVi v.g. in infirmitate sine habitu emittit professionem in manu Abbatis, est vere monachus, quia habitus non facit monachum,

nachum,ſed profeſſio regularis; & ideo cōpellendus,vt ſeruet votū.

Gloſ. Monachum facit ſola profeſſio, vel vera, vel præſumpta. Item etiam ſi non emiſit profeſſionem, ſed tantum promiſit ſe ingreſſurum, eſt compellendus ſeruare promiſſum. *c. per tuas, de voto, & voti redempt.*

1502 *Cap. XIV.* Cum ſimus. *Cæleſt. iij.*

SI pater cum filio impuberi, & bonis ſe offert religioni, & filius in anno diſcretionis non vult eſſe monachus, poteſt exire, & petere bona paterna, quæ ex ſucceſſione ſibi proueniunt.

Gloſ. Ideſt legitima de iure naturæ.

1503 *Cap. XV.* Sicut. *Innoc. iij.*

SI mente captus induatur habitu Religionis, & profiteatur, non valet, niſi factus compos mente ſpontanee conſentiat.

1504 *Cap. XVI.* Ad Apoſtolicam.

PRofeſſio facta in manu Abbatis ante annum probationis valet: & quia annus probationis eſt inductus ad fauorem vtriuſque partis, vt hic probet aſperitates monaſterij, & monaſterium mores illius; ideo Abbas non admittat ad profeſſionem ante tempus: & ſi indiſcrete paſsim hoc faciant, corrigantur.

Gloſ. Nunc valet profeſsio. *Trid. ſeſſ. 25. c. 15. ref.*

1505 *Cap. XVII.* Sicut nobis.

QVi facta profeſsione, numquam in clauſtro manſit, ſed in ſæculo, & cum vſu ſuorum bonorum, eſt cogendus per excommunicationem ad habitum regularem.

Gloſ. Et ad clauſuram, & ad regularem vitam. Item religioſus contra obedientiam poteſt præſcribere. Item ſi monachi non reuocarunt talem viuum, non poſſunt prætendere eumdem mortuum cum bonis ſuis.

1506 *Cap. XVIII.* Licet.

REligioſus poteſt tranſire ad arctiorem religionem petita, & non obtenta licētia. Nec obſtat quod prima religio habeat priuilegiū, vt eius regularis non poſſit tranſire ad alium locum etiam prætextu artioris religionis, ipſis inuitis: quia priuilegiū intelligitur, ne quis temere, vel leuitate in iacturam, vel iniuriam ſui ordinis ad aliū tranſeat, & non pro eo qui cum humilitate, & veritate licentiam petit, quam prælatus non debet proterue negare: quia priuilegium perde-

perdere meretur, qui concessa abutitur potestate;& subditus dubitans de suo spiritu consulat superiorem. Item nullus præsul præsumat relinquere præsulatum absq. licentia Papæ, quia communis vtilitas præfertur speciali vtilitati, doctrina silentio, sollicitudo contemplationi, labor quieti in hoc casu; & Christus natus est de carne Liæ, & non Rachel, & ingressus est domum Marthæ, & non Mariæ.

Glos. Qui transit non requisita licentia, non est reuocandus, nisi constet de leuitate.

1507 *Cap. XIX.* Veniens.

SI vir, & vxor iurant separationem, quia vir prius dicit cognouisse auitam vxoris; & separati, vterq. transit ad secundas nuptias, sunt cogendi, vt secundis nuptijs relictis reuertantur ad primas: quia impedimentum non erat probatum; & si quid habent contra matrimonium, proponant, vel ambo ingrediantur Religionem.

Glos. Contra matrimonium iuramentum est illicitum, & non seruandum. Item si vir committit adulterium, mulier non potest ingredi religionem viro in sæculo remanente. Item quæstio de restitutione debet præcedere. *c. ex quæst. de restit. spol.*

1508 *Cap. XX.* Consulti.

QVi ingreditur nouitiatum animo experiendi, si mox sibi displicet, potest redire ad sæculum; si animo seruiendi Deo in habitu regulari, non potest; sed si non placet illa religio, transeat ad aliam licet laxiorem, sed hanc intentionē protestetur in principio.

Glos. Non valet hæc distinctio, quia simpliciter nouitius potest transire ad sæculum, nisi contrarium euidenter appareat. *c. statuimus, eod.*

1509 *Cap. XXI.* Postulasti.

QVi in anno reuertitur ad sæculum, potest ordinari, & in ecclesia ministrare.

1510 *Cap. XXII.* Ex parte.

QVi per annum gestat habitū monachalem, licet non faciat expressam professionem, post annum habetur monachus, & cogendus censuris, vt seruet regulam.

Glos. Quia præsumitur professus. Item regulares non subsunt Episcopo quantum ad legem diœcesanam, sed quantum ad leges iurisdictionis sic: quæ autem differentia sit inter has leges, vide *supra c. conquerente*, & *c. dilectus de off. ord.* Item hęc præsumptio iuris si

non

non præcessit protestatio, non admittit probationem in contrarium. Idem de sponsal.

1511 *Cap. XXIII.* Statuimus.

Trid. sess. 25. Ref. 15. NOuitij intra annum probationis, & ante professionem possunt redire ad sæculum, nisi euidenter appareat quod voluerint absolute vitam mutare, & perpetuo Deo seruire. Item vbi non est distinctus habitus professorum à nouitijs, benedicant vestes in professione, ad differentiam nouitiorum.

Glos. Qui simpliciter ingreditur Religionem, & nihil dicit, facit, vel protestatur, potest in nouitiatu exire, quia præsumitur voluisse conditionaliter experiri, nisi contrarium euidenter appareat dicto, vel facto, quo voluntas declaretur, vel si recepit vestes professorum. *c. consuluisti, eod.* Item beneficium intrantis Religionem quando Episcopus conferat beneficium, idest transacto termino citationis, vt redeat. Idem si sponsus ingreditur Religionem. *in 6. c. beneficium, de regul.*

1512 *Cap. XXIV.* Ne Religiosi.

SVperiores præsidentes Capitulis celebrandis, seu Abbates, seu Priores, quærant suos fugitiuos, vel eiectos singulis annis; & si possunt recipi in suis monasterijs, Abbates, seu Priores illorum, cõpellantur per censuram ecclesiasticam monitione præuia ad receptionem ipsorum, salua ordinis disciplina. quod si fieri non potest, prouideant eis in locis proximis dicto monasterio, si fieri potest absque aliquo scandalo, vel in alijs Religionis domibus eiusdẽ Ordinis ad pœnitentiam ibi agendam, dando eis necessaria ad vitam.

Glos. Salua ordinis disciplina in imposita pœnitentia quam regula ordinis requirit. Item primũ monasteriũ prouideat necessaria.

IN SEXTO LIBER III.

DE REGVLAR. ET TRANSEVNT. ad Religionem. Tit. XIV.

1513 *Cap. I.* Si qui monasterio. *Innoc. iv.*

Trid. sess. 25 Ref. 15. QVi ingreditur Religionem, vt monachus efficiatur, & erat ante xiv. annum si in xv. non fecit professionem, & si quam fecit ante xiv. non habuit ratam, nec in xv. accepit habitum professorum; libere potest reuerti ad sæculum infra xv. Item si in to-

In toto xv. anno mansit in monasterio, vbi professorum, & nouitiorum non est distinctus habitus, videtur per hoc fecisse professionem, vel ratam habuisse, si quam prius fecerit. Excipitur, quando habitus esset ita indistinctus, vt esset communis etiam laicis, & clericis sæcularibus; tunc enim non præsumitur tacita professio: si vero qui ingreditur, est maior xiv. & gestat habitum Religionis per annum, præsumitur professus, licet habitus sit indistinctus à professis, vel laicis cohabitantibus: quia iam habet annos discretionis. Item distinctio habituum inter professos, & nouitios potest esse, vel patens, vt in scissura, colore, additione; vel latens, vt quando in professione benedicuntur vestes, sed non nouitiorum.

Glos. Annus xiv. debet esse consummatus, vt ingrediatur. *c. ad nostram, eod.*

1514 *Cap. II.* Non solum. *Alex.iv.*

PRohibet religiosis sub pœna excommunicationis, ne præsumant recipere aliquem ad professionem, vel renunciationem in sæculo faciendam ante elapsum annum probationis, nec impedire si infra hunc annum voluerit transire ad aliam Religionem, vel transire ad sæculum, nisi euidenter constet clara probatione, vel indicijs competentibus illũ voluisse vitam mutare; & si præsumunt aliquem admittere contra talem constitutionem, admissus non erit obligatus, & admittentes sunt ipso facto suspensi à receptione quorumlibet ad professionem, & puniantur pœnis, quæ in Religione solent infligi pro culpis grauioribus.

Glos. Professio expressa facta in aliquo monasterio obligat illi monasterio in specie, tacita vero obligat solum in genere. Item canon extenditur ad omnes Mendicantes.

1515 *Cap. III.* Constitutionem.

EXtendit præcedentem canonem, qui erat solum pro Prædicatoribus, & Minoribus, ad omnes Mendicantes; in alijs vero Religionibus potest fieri professio expressa, vel tacita infra annum probationis, si adsit ætas: sed expressa obligat illi Religioni præcise, quam profitens est professus; tacita vera facta intra annum probationis per susceptionem habitus professorum obligat tantum Religioni in communi, si est in ætate, & sciens, ac voluntarius; & perseueret in triduo. Trid. sess. 25. Ref. 15.

Glos. Hic non loquitur de illa professione tacita, quæ fit per lapsum anni, sed intra annum, in qua licet in triduo pœnitere.

1516 *Cap. IV.* Beneficium.

Trid. sess. 25. Ref. c. 2. BEneficium ingredientis Religionem non est alij conferendum, nisi de consensu illius, vel constet voluisse vitam mutare, vel emiserit professionem tacitam, vel expressam, sed interim seruiatur eidem beneficio per alium, assignata congrua portione de fructibus illius.

Glos. Declarat decretal. *ex transmissa, de renunciat.* Item quod de beneficio dicitur, intelligitur etiam de iure in re, non ad rem. Item loquitur de beneficio, quod per regulares possideri nō potest; & tunc existenti in anno probationis non potest conferri beneficiū, quia dubius est status. An canonicus in nouitiatu sit vocandus, vel admittendus ad Capitulum, dubium est: videtur non, secus de patrono. Item fructus beneficij, qui supersunt vltra congruam sustentationem Vicarij, non sunt dandi nouitio; res est dubia, sed conseruabuntur pro eo, vel ecclesia, vel successore.

1517 *Cap. V.* Qui.

QVi fecit votum simplex ingrediendi aliquā Religionem, deinde ingreditur aliam laxiorem, & in ea profitetur, licite potest in illa manere, quia votum solemne derogat simplici: sed imponatur ei pœnitentia pro non obseruato simplici voto.

Glos. Secus si votum fuit solemne in strictiori. Item si intrat strictiorem, non est ei danda pœnitentia, siue primum votum simplex fuerit, siue solemne.

1518 *Cap. VI.* Si ad solum.

SI creare monachum de consuetudine, vel priuilegio spectat ad solum Abbatem, mortuo Abbate non potest Conuentus creare monachum; si ad Abbatem, & Conuentū simul, vt est de iure, potest.

Glos. Declaratur *c. officij, de elect.* Idem in collatione beneficij, c. vnico ne sede vacante.

CLEMENTIN. LIB. III.

DE REGVLAR. ET TRANSEVNT. ad Religionem. Tit. IX.

1519 *Cap.* Vt professores.

MEndicantes transeuntes ad nō Mendicantes etiam de licentia Sedis Apostolicæ, non possunt habere vocē in Capitulo, Prioratus,

ratus,administrationes, curam animarũ, nec pro se,nec pro alijs; & quicquid contra tentatur,est irritũ. Non loquitur de non professis.

1520 *Cap.* Eos.

QVi constitutus in ætate discretionis portat habitũ nouitiorũ per annum in aliqua Religione,si habitus nouitiorum, & professorum non est distinctus,intelligitur professus; si distinctus est patenter in colore, scissura,vel forma, non dicitur professus.

Glos. Multa dicit de distinctione habituum, & quando sit professus per declarationem habitus per annum, vt delatio habitus nouitiorum latenter distincti, vel indistincti, vel indistinctissimi: si ab adulto, & per annum,inducit tacitam professionem; si ab impubere, & habitus est patenter distinctus, vel indistinctus, vel indistinctissimus, non inducit. Vide ibi.

EXTRAV. COMM. LIB. III.
DE REGVLAR. ET TRANSEVNT.

1521 *Cap.* Viam. *Mart.v.*

MEndicantes virtute cuiuscumque priuilegij litterarũ Apostolicarum,vel pœnitentiariæ non possunt transire ad alias Religiones quocumque quæsito colore, excepta Religione Carthusianorum, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quam incurrunt tum transeuntes,tum etiam recipientes: quæ reseruatur Papæ; & quicquid contra actum sit, est irritum.

1522 *Cap.* Ad nostrum.

REligiosi cuiuscumque Ordinis nõ transeant ad partes vltramarinas,in quibus pauci fideles respectu insidelium commorantur, sine licentia sui Superioris concessa, per litteras patentes ipsius, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ reseruata Papæ; & Superiores licentiam non concedant nisi viris litteratis, prouidis, & expertis, sub eadem pœna. Item prælatis ecclesiarum præcipitur, ne tales transeuntes ad vltramarinas partes admittant ad prædicandum, vel celebrandum diuina, nisi patentes litteræ Superioris plenam fidem faciant; sed ipsos tamquam apostatas capi faciant, & incarcerari, donec modo prædicto constet de licentia. Item prælati ecclesiarum incarcerent religiosos approbantes ea, quæ Sedes Apostolica reprobat, vel quæ sunt contraria fidei, vel dogmatizant in concionibus, vl priuatis locutionibus; & de prædi-

ctis summarie, & sine strepitu iudicij, & figura, sed simpliciter, & de plano per se, vel per alios se informent, & reos castigent tantum secundum canones, non obstantibus exemptionibus, & priuilegijs quibuscumque.

DECRETALIVM LIB. III.

DE CONVERSIONE Coniugatorum. Tit. XXXII.

1523 *Cap. I.* Præterea. *Alex.iij.*

SI maritus de licentia vxoris ingreditur, & profitetur Religionem coram monachis, & sacerdotibus, vxor etiam tenetur Religionem intrare, vel promittere perpetuam castitatem seruare; & si hæc non vult facere, vir est reuocandus à monasterio ab Episcopo.

Glos. Alter coniugum non potest Religionem ingredi altero in sæculo remanente, nisi promittat seruare castitatem manendo domi propriæ, si est senex. *c. ad Apostolicam,* & *c. cum sit, eod.* Et sic non sufficit sola licentia vxoris, si vxor non potest esse in sæculo sine suspicione fornicationis; sed si fuerit senex, auctoritate Episcopi, & vouat, potest.

1524 *Cap. II.* Verum.

QVando matrimonium est ratum de præsenti, & non consummatum, potest vnus transire ad Religionem, & alter transire ad secundas nuptias; quia cum non fuerint effecti vna caro, potest vnus transire ad Deum, & alter remanere in sæculo.

Glos. Primum vinculum dissoluitur per ingressum Religionis.

1525 *Cap. III.* Quidam.

QVi in vita vxoris professionem facit, & deinde cogitur ad vxorem redire, mortua vxore non tenetur ingredi monasterium, sed non poterit accipere aliam vxorem, quia votum non tenet quoad redditionem debiti, sed quoad petitionem.

Glos. Mortua vxore non compellitur ab ecclesia redire ad monasterium, sed ipse peccat, si non perficit quod vouit, cum cessauerit impedimentum. *cap. placet, eodem.* Si tamen contrahat secundo, an teneat matrimonium? putatur verius quod non; sed probabile, quod sic, sed non potest petere debitum.

An

An in hoc casu mulier inuito viro possit ingredi monasterium? Resp. antequam reconcilietur, potest; sed post, res est dubia: nam quamuis possit quoad redditionem debiti, quia ille non potest exigere, tamen quoad alia obsequia, quæ vxor debet viro, non potest, cum virum inuitum eduxerit è monasterio, & ei est reconciliata, debent enim mutuum auxilium, & obsequium.

1526 *Cap. IV.* Cum sis.

VNus coniux non potest Religionem ingredi altero remanente in sæculo: sed si vxor ita senex est, & sterilis, quod sine suspicione possit esse in sæculo, potest Episcopus dissimulare, vt ea remanente in sæculo, & castitatem promittente vir eius transeat ad Religionem, vel ambo profiteantur.

Glos. Sit sterilis ratione ætatis, non naturæ. Item licet dissimulare approbando.

1527 *Cap. V.* Coniugatus.

COniugatus non est promouendus ad sacros ordines; nisi vxor voueat castitatem, & virum absoluat.

Glos. Neque est promouendus ad minores: ***c. diuersis fallacijs, de cler. coniugat.*** imò priuantur beneficijs, ***c. 1. eod.*** Item intelligitur in casu, quo esset senex, & sterilis sine suspicione; & ita intelligitur ***cap. sane, de cleric. coniugat.*** vel ambo fiant religiosi: est tamen opinio, vt possit ordinari remanendo in sæculo, & illa voueat.

1528 *Cap. VI.* Sane.

COniugatus non potest promoueri ad episcopatum, nisi vxor prius fiat professa in Religione cum sacro velamine. Item coniugatus non ordinetur nisi antea requiratur voluntas vxoris.

Glos. Pro vxore Episcopi futuri non sufficit, si sit vetula, & voueat continentiam, vt dicitur ***cap. vxoratus, & c. ad Apostolicam, eod.*** alij vero dicunt sufficere.

1529 *Cap. VII.* Ex publico.

POst matrimonium de præsenti, & ante copulam carnalem, si sponsa vult ingredi Religionem, det cautionem, vt intra duos menses ingrediatur, vel redeat ad suum virum: & si transeat ad Religionem, vterque restituat alteri, quæ ab eo noscitur recepisse: nam dictum Christi Matth. 5. & 19. ***Non licet viro dimittere vxorem nisi ob fornicationem,*** intelligitur de matrimonio consummato cum copula, sine qua consumari non potest. **Trid. sess. 24. c. 6.**

Glos. Si vellet remanere in domo propria, & vellet seruare Religionem, non est audienda. *c.ex parte, eod.* Item cautio erit arbitrio Iudicis. Item tempus duorum mensium non est præfixum, sed Episcopus potest dare plus, vel minus ad profitendum, & currit statim, ac Iudex præfigit, & post elapsum tempus ante copulam semper potest ingredi; sed Iudex debet ponere terminum peremptorium infra quem profiteatur, vel accedat ad virum, alioquin eam excommunicet nec dabit tempus probationis nisi de consensu viri. *c.statuimus, tit.* 31. *eod lib.* Item quoties ex iusta causa dissoluitur matrimoniũ, sunt restituenda accepta. *c.*1. *de dot. post diuort. restit.*

1530 *Cap. VIII.* Vxoratus.

NOn recipiatur ad Religionem vxoratus nisi vxor sit ita senex, vt nulla suspicio sit transeundi ad secunda vota, & publice in conspectu ecclesiæ profiteatur continentiam, & in domo propria cum suis filijs, & familia remaneat; si non est talis, ingrediatur Religionem; sin minus, eius vir non recipiatur. Item nullus clericus, vel sæcularis tondeat aliquã mulierem, vel cum ea præsumat habitare. An si vxoratus de licentia vxoris ingrediatur, & publice profiteatur Religionem, si vxor non seruat quod dicitur in hoc c. & *c.cum sis,* & *c.ad Apostolicam,* idest vxor non promittat continentiam, non sit senex, non ingrediatur Religionem, vel promittat ingredi, teneat monachatus? Resp. quod monachatus, & votum solemnizatum tenet quoad se, quia non potest exire, nec vxor potest eum repetere, iure seruitutis, quia dando ei licentiam renunciauit seruituti: sed Episcopus de officio suo potest virũ reuocare de Religione, & reddere vxori, ne illa iuuenis incidat in fornicationem. *c ex parte, eod. c. diaconi.* sed ea mortua compellitur redire ad monasterium: nam multa fieri non debent, sed facta tenent; nec dicitur in iure quod, monachatus non teneat, sed quod ita fieri debeat.

1531 *Cap. IX.* Ex parte. *Vrb.iij.*

VXoratus, qui de consensu vxoris habitum sumpsit, & votum solemnizauit, deinde mansit cum vxore, quia non vouit, nec ingressa est Religionẽ, & erat iuuenis, illa mortua accepit alterã, cogitur per excommunicationẽ relinquere eã, & ingredi monasterium.

Glos. Quia professio tenuit. vide ibi multa.

1532 *Cap. X.* Consuluit.

QVi viuente vxore, & non consentiente fit religiosus professus saltem tacite, mortua vxore non potest aliam ducere: & si ducit,

cit, relinquat eam, & ingrediatur suum monasterium, quia non est vxor, & professio tenet.

1533 *Cap. XI.* Charissimus.

SI vxor vouit continentiam perpetuã, & vir non, sed præbuit consensum ad tempus, debent se inuicẽ maritali affectione tractare.

Glos. Vir, & vxor possunt de communi consensu vouere perpetuam continentiam in domo sua. *c qui Deo patri*, 35.*q*.5 & ad tempus. *c.Apostolus*, 33.*q*.4. Item alter sine altero non potest vouere.

1534 *Cap. XII.* Placet.

MVlier, quæ sine consensu viri, vt quem putabat mortuum, accepit habitum professum Religionis, reuerso viro est ei reddenda: quia votum quantum ad ipsam tenuit, & non potest petere debitum, sed non respectu mariti, vt redire ad sæculum, & reddere debitum, mortuo enim viro votum tenet; & congruentius esset ad salutem, ad Religionem redire; sed si ad hoc induci non potest, non est cogenda.

Glos. Non compellitur redire ad monasterium, quia professio nõ fuit emissa, vel ingressa cum consensu viri. Quod si de facto contraheret secundo, an teneret matrimonium? dubium est: videtur quod sic. *c.quidam intrauit, sup. eod.*

1535 *Cap. XIII.* Ad Apostolicam.

COniux non potest fieri religiosus sine altero, vel sit sine suspicione incontinentiæ, & vouat.

1536 *Cap. XIV.* Ex parte.

SPonsalia de præsenti dissoluuntur solum per professionem in Religione, & non perpetuæ continentiæ votum in sæculo, aliter non soluuntur, etiam si alter coniugũ fiat, vel sit hæreticus, & nolit remanere cum altero sine contumelia creatoris; nisi forte secus fiat ex reuelatione diuina, vt accidit in quibusdam Sanctis.

Glos. Matrimonium potest contrahi per nuncios. Item votum solemne impedit, & dirimit matrimonium. Item contumelia Creatoris dirimit matrimonium infidelium, si vnus conuertatur, & hæreticorum. *c.quanto, de diuortijs*. Item votum simplex clericatus & vitæ heremiticæ non soluunt sponsalia de præsenti. Item lepra soluit sponsalia de futuro, non de præsenti; quare vel est cogenda consummare, vel ingredi Religionem.

1537 *Cap. XV.* Constitutus.

SI maritus fiat professus vxore adulterante, adultera non potest eum reuocare, & debet relinquere adulterium.

Glos. Si vxor publice adulteratur, maritus licite postmodum potest accipere ordines sacros, vel Religionem ingredi, si post commissum adulterium eam amplius non cognouit, quia amisit ius in eum. *c. significasti, de diuortijs.* Item si fuisset vidua, vel ab alio cognita, non potest promoueri. *c. curandum, dist.* 34.

1538 *Cap. XVI.* Veniens.

VXor, quæ precibus, vel dolo decepta consentit maritum profiteri, & ipsa deinde fornicatur, si post fornicationem petat virum, non est audienda, maxime quia non repetijt ante fornicationē.

Glos. Postquam alter coniugum est publice fornicatus, alter potest religionem profiteri illo inuito; & si vir ingreditur coniuge inuita, ingressus est nullus, & compelli potest. Sed si coniux fornicatur, vir potest excipere de fornicatione; & si non vult, potest monasteriū, quia posita fornicatione vxoris monasterium habet plenum ius in virum, nec episcopus potest eum compellere vt exeat: sed si vir exiuit ante professionem, & non vult excipere de fornicatione, potest illam recipere, quia potest remittere. An si in monasterio fornicetur, vt in sæculo, potest vxor illum repetere? *c. ex litteris de diuort. & c. tua, de iureiur.* Resp. nō, quia ius quod monasterium habet in illum propter eius delictum, non perdet. Item mulier quæ ignorat se debere relinquere sæculum; si dat licentiam viro ingrediendi religionem, potest repetere virum suum.

1539 *Cap. XVII.* Accedens.

LIcentia à muliere si vi, & metu fuit extorta, potest repetere virū à monasterio appellatione remota.

Glos. Votum viri factum coniuge inuita non tenet: *c. quidam eod.* nec dicetur tacite consensisse, quæ non reliquit sæculum, nec vouit continentiam; sed vir restitutus mulieri non potest petere, quia profitendo renunciauit iuri suo; sed potest reddere: *c. quidā intrauit eod.*

1540 *Cap. XVIII.* Significauit. *Innoc. iij.*

MVlier quæ dat licentiam marito profitendi, & ipsa non est suspecta in sæculo, & vouit perpetuam continentiam, non est cogenda intrare monasterium, quod illi non fuit expressum; & si fuisset expressum, non consensisset.

Glos.

Glos. Mulier coram Iudice ecclesiastico debet dare licentiam viro intrandi religionem. Item si mulier iuuenis est,& licentiam dat viro,non sufficit vouere continentiam,sed debet ingredi religionem: quia ex eo quod vouit continentiam, cum sit iuuenis, intelligitur tacite promisisse intrare religionem; & sic compellitur inuita intrare, quia fecit id propter quod compellitur. Sed alij dicunt quod Iudex debet illi restituere virum. *c.* 1. & *c. vxoratus eod.*

1541 *Cap. XIX.* Gaudemus. *Greg.ix.*

VXores quæ damnatæ sunt de adulterio, & conuersæ, si mariti commoniti ab episcopo nolunt eas recipere, sunt collocandæ in claustris cũ religiosis fæminis,vt ibi perpetuã pœnitẽtiã agant.

Glos. Idem si adulterium est publicum, & notorium secuta sententia,cõpellitur facere pœnitentiam in monasterio etiam emendata. Item vir potest eam recipere per biennium;post biennium si non vult postea,tondeatur,& accipiat habitum monachalẽ perpetuo ibi moratura. Item de hac materia sunt statuta terrarum, quæ si iusta sunt, seruari debent.

1542 *Cap. XX.* Dudum.

SI coniuges se inuicem absoluunt, & promittunt continentiam, & alter eorum religionem profitetur,non potest alter repetere, imo compelli debet vitam mutare nisi sit senex.

Glos. Dolus in spiritualibus non rescindit contractum, nisi dolus det causam actui. Item licet acta calore iracundiæ non teneant,tamẽ si postea ratificentur, valent. *c. si quis iratus de regulis.* Item mutatio narrationis non obest,si remanet substantia rei. Item nec obest si præcessit metus, & quando fit actus, non est.

1543 *Cap. XXI.* Mulier.

SI maritus fidelis fiat infidelis,& per sententiam Iudicis fuit factũ diuortium propter fornicationem spiritualem quoad totum, mulier quæ remansit semper fidelis,potest fieri professa inuito viro, qui iam fuit reuersus ad fidem.

Glos. Si non fuit iudicio ecclesiæ separata, sed propria auctoritate inuito viro, non potest religionem intrare. *c. de illa de diuort.* Item si nollet intrare religionem,debet cogi,vt ad maritum redeat, siue iudicio ecclesiæ sit separata, siue non. *c. quanto de diuort.* Item vxor per iudicium ecclesiæ potest à viro separari,si fiat infidelis, hæreticus, Iudæus, vel saracenus.

DE-

DECRETALIVM LIB. III.

DE CONVERSIONE Infidelium. Tit. XXXIII.

1544 *Cap.* Laudabilem.

QVi, etiam infidelis, machinationibus alicuius vxoris interficit maritum eiusdem,& si per mulierem infidelis reuertatur ad fidem, non potest ducere vxorem defuncti in vxorẽ; & si ducat,matrimonium non tenet. Sed si sine machinatione vxoris vir interficit maritum, v.g. in bello, potest illam ducere, & matrimonium tenet.

Glos. Hunc casum *c. si quis viuente* 31.*q*.1. Qui machinante vxorem virum occidit, non potest eam ducere. Idem est, si fidem dederunt. *ibid.c.*1. *de eo,qui duxit in matrim.* vel si de facto contraxit. *c. super hoc eod.* & *c.cum haberet.* Si dedit fidem, & cognouit viuente marito, vel vxore, quia sola fides data non impendit. *c. vlt. qui duxit in matrim.* An si mulier ratum habuit virum fuisse interfectũ, impediat matrimonium; videtur sic, quia in maleficijs retrotrahitur ratihabitio, & mandato comparatur. Resp. non, quia hoc edictum est prohibitorium.

1545 *Cap.* Ex litteris.

QVando pater conuertitur ad fidem, & mater remanet infidelis, filius est dandus patri conuerso: quia quamuis puer sit infans, & magis egeat materno solatio, quam paterno, & matri ante partum fuerit onerosus, in partu dolorosus, post partum laboriosus; tamen quia filius in patris potestate consistit,vnde patris familiam sequitur, & in tali ætate non debet remanere cum persona, de qua possit esse suspicio, vt insidietur saluti vel vitæ illius, quia posset illum adducere in errorem infidelitatis, & puer post triennium apud patrem non suspectum ali debeat & morari, & tandem in fauorem fidei christianæ puer est assignandus patri christiano.

Glos. Idem dicendum, si mater conuertatur, pater non. Item causa petitionis est semper inserenda in ipsa petitione, alioquin repellitur. *c.*2. *&* 3. *de liber. oblat.* Item pater potest petere filium in sua potestate constitutum,idest post triennium. Item mater habet exceptionem contra maritum,vt si est minor triennio: quia tunc apud eam debet educari,etiam si iudicatum esset in contrarium, vel

ob

ob nequitiam patris, vt sine diminutione paternæ potestatis filius apud eam moretur. Item si filius detinetur ab alio inuitus, possum petere per officium Iudicis; si detinetur volens, potest peti rei vindicatione, adiecta causa de iure. Item si vnus parentum conuertitur ad fidem, filius infans sequitur fidelem; secus si doli capax esset, non enim deberet baptizari, nisi sponte. Aliquando sequitur deteriorem conditionem, idest matris, si serua sit. Item patre mortuo pupillus debet educari apud personas non suspectas, & Iudex hoc iubeat etiam contra voluntatem patris: sed educatio pupilli nulli magis est committenda, quā matri, nisi vitricū ei inducat. Item facto diuortio filius debet educari apud eum, qui non dedit causam diuortij.

DECRETALIVM LIB. III. *DE VOTO, ET VOTI redemptione.* Tit. XXXIV.

1546 *Cap. I.* De peregrinationis. *Alex.iij.*

EPiscopus potest commutare vota, v.g. peregrinationis, & in commutando consideret qualitatem personæ, & causam commutationis, & suo arbitrio iudicet, an recompensatio sit melior, & Deo magis accepta quam peregrinatio posita in infirmitate, vel diuitijs, vel alia causa probabili.

Glos. In commutatione voti est consideranda qualitas vouentis, causa commutationis, & quid Deo magis placeat arbitrarie.

1547 *Cap. II.* Vouentis.

PApa dispensat in voto Hierosolymitano propter facilitatem vouentis, etiam si vouens dedisset alteri fidem eundi simul Hierosolymam, & commutat in eleemosinas, & consulit vt vouens nutriat pauperem, dum vouens viuit.

1548 *Cap. III.* Litteraturam.

QVi proponit in animo fieri religiosus, & cum hoc proposito dicit, non morabor diu in sæculo, non dicitur vouisse.

Glos. Quia non proposuit cum animo firmiter se obligandi.

1549 *Cap. IV.* Scripturæ.

OMne votum mutatur in votum religionis, quia temporale obsequium mutatur in perpetuum.

Glos.

Glos. Per ingressum religionis soluitur votum religioni non consonum, etiam sine auctoritate superioris. Item non frangit votum, qui mutat in melius. Item intranti religionem non est imponenda poenitentia pro peccatis sęculi, idest publica ex S. Tho. *in 4. dist. 39. q. 1. art. 4. & dist. 4. q. 3. art. 3. quaestiunc. 3. ad 3.*

1550 *Cap. V.* Non est. *Innoc. iij.*

DE licentia Papae votum vltramarinum potest differi ex causa iusta.

Glos. Papa in his votis declarat, non dispensat. Item dispensatio si fieret sine causa, non valeret.

1551 *Cap. VI.* Licet.

QVando haeres promittit explere votum vltramarinum defuncti, potest compelli excommunicatione, & priuatione haereditatis, etiam Regni, ad explendum votum, vt in hoc loco Papa compellit Regem Vngariae.

Glos. Qui non implet voluntatem defuncti, priuari debet haereditate illius. Item votum potest expleri per alium. An quod non impleat voluntatem defuncti, possit priuari tota haereditate, siue filius sit, siue extraneus.

1552 *Cap. VII.* Magnae.

VOtum Hierosolymitanum mutatur hoc modo, vt expensae faciendae mittantur in vtilitatem Hierosolymorum; pro laboribus imponuntur ieiunia, orationes, & vigiliae, etiam quas debet facere, sed deuotius, suae dioecesis causa.

Glos. Factum praelatorum trahitur in exemplum aliјs; ideo caute considerent, quod liceat, quod expedit, quod decet. Item clericus, vel Episcopus sine licentia superioris sui non debet vouere peregrinationem. Item veritas propter scandalum non dimittenda. Item licet causa voti cesset, tamen votum obligat, quamuis facilius dispensetur, nisi exprimatur, vel à iure intelligatur. Item in commutatione considerentur expensae in eundo, morando, redeundo.

1553 *Cap. VIII.* Quod super.

QVi vouit votum terrae sanctae, si est pauper, infirmus, vel alia iusta causa temporanea impeditus, obtinebit dilationem voti: si causa sit perpetua, cōmutetur vt supra, idest vt expensae modo supradicto mittantur in subsidium Terrae sanctae, & pro labore iniungantur aliae poenitentiae. Si vero sua praesentia esset ibi vtilis, ipse

cat.

eat. Item in compensatione est consideranda facultas quod possint, & quod expendissent.

Glos. Finis voti terræ sanctæ est considerandum, an pro defensione terræ, vel pro satisfactione peccatorum: nec vno modo est dispensandum.

1554 *Cap. IX.* Ex multa.

COmmutatio voti terræ sanctæ posita sufficienti causa, de quo in c. præcedenti, spectat ad solum Papam, vel ad illos quibus specialiter committit. Item quando vouens est habilis ad eundum, inhabilis ad pugnandnm, si suo consilio potest prodesse exercitui, vel secum ducat bellatores, si sit diues, eius votum non commutatur. Item vxores non vouentes possunt sequi viros, ex voto euntes Hierosolymam ad pugnandum, sed non tenentur. Item viri sine consensu vxoris possunt vouere votum terræ sanctæ necessitate illus loci. Item quia clericis est prohibitum pugnare, ideo redimant votum terræ sanctæ, nisi sint vtiles consilio, predicatione vel suis expensis ducant bellatores. Nota: prædicta non sunt pro his, quibus peregrinatio est iniuncta ob pœnitentiam.

Glos. Religiosus dicitur non modo regularis, sed etiam sæcularis clericus. Item clerici pugnare non debent.

1555 *Cap. X.* Per tuas.

QVi promittit solemniter ingredi religionem, si eligatur Episcopus, debet votum prius implere, vt sit tutus in conscientia; deinde potest eligi. Trid. sess. 24. Ref. 1.

1556 *Cap. XI.* Postulastis. *Honor. iij.*

SVperiores regulares cruce signati poterant ex voto adire terram sanctam, & secum ferre vigesimam debitam; si tamen erant vtiles verbo, exemplo, & consilio, & eorum ecclesiæ non enormiter læderentur eorum absentia, positis tamen Vicarijs.

IN SEXTO LIBER III.
DE VOTO, ET VOTI redemptione. Tit. XV.

1557 *Cap.* Quod votum.

VOtum solemne, quod dirimit matrimonium deinde contractum, est illud quod fit per susceptionem ordinis sacri, vel per profes-

professionem expressam, vel tacitam in aliqua religione approbata à sede Apostolica; alia vero vota impediunt contrahendum, non dirimunt contractum, & talibus tanto grauior pœnitentia est iniungenda, quanto manifestius vouerint propter scandalum, & exemplum. Item solénitas voti est inuenta ex sola constitutione ecclesię.

Glos. Ecclesia potest inhabilitare habiles ad contrahendum, & contra. Item matrimonium fuit institutum à Deo in Paradiso terrestri, ad prolem generandam, ante peccatum; sed post peccatum fuit institutum ad euitandam fornicationem. Item vinculum matrimonij consummati est indissolubile, in non consummato potest Papa dispensare. Item vota ordinis facti, & religionis sunt paria quoad matrimonium futurum, non quoad præteritum, quia votum ordinis non dirimit sponsalia de præsenti; religionis sic, quia religiosus æquiparatur mortuo naturali, non sic clericus sæcularis. *Extrauag. Ioan. 22. Antiqua concertationi.* Item qui accipit ordinem sacrum ab eo, quem putabat Episcopum, & non erat; si contrahit, matrimonium tenet.

Trid. sess. 24. in principio.

EXTRAVAG. IOAN. XXII.

DE VOTO, ET VOTI redemptione. Tit. VI.

1558 *Cap. I.* Antiquæ.

VOtum per susceptionem ordinis sacri solemnizatum licet impediat, & annullet matrimonium sequens, non dissoluit matrimonium ante contractum, etiam si ratum, & non consummatum. Item nullus in matrimonio rato præsumat accipere aliquem ordinem sacrum, nisi in casu quo canones concedunt, idest si mulier ingrediatur religionem: & si quis contra fecerit, non possit in ordine suscepto ministrare etiam post solutum matrimonium; nec potest prouehi ad superiores ordines, nec promoueri ad aliquod officium, seu beneficium ecclesiasticum, nisi fuerit ingressus religionem approbatam, & professionem emiserit expresse vel tacite: quia in tali casu diœcesanus potest dispensare cum his, in singulis promissis, si non obstat aliud canonicum impedimentum. Item si quis post contractum matrimonium ante consummationem accipiat ordinē sacrum, est monendus ab episcopo vt ingrediatur religionem; & si noluerit ingredi, & mulier instet, est cogendus per censuram ecclesiasticam consummare matrimonium.

Glos.

Glos. Non poteſt tamen petere debitum. Item coniugatus etiam in matrimonio rato non poteſt accipere ordinem ſacrum, vxore remanente in ſæculo, & votum continentiæ emittente, etiam ſine ſuſpicione. An ſi matrimonium fuiſſet nullum aliquo impedimento, hic text. haberet locum? Reſp. ſi vterq. ſciebat impedimentum, non habet locum; ſi vnus tantùm, quia fecit iniuriam alteri, habet locum: ſimiliter, ſi ſciebant, debent expectare iuridicam ſolutionem. Item ordinatus in matrimonium non poteſt habere officium eccleſiaſticum regiminis, nec ordinis etiam minoris, vt acolitatus, niſi fuerit ingreſſus religionem vouentem caſtitatem, obedientiam, paupertatem, & non alia, ſi quæ eſſent.

DECRETALIVM LIB. III.

DE STATV MONACHORVM, & Canonicorum regularium. Tit. XXXV.

1559 *Cap. I.* Theodoſius. *Greg. iij.*

EPiſcopus non debet moleſtare monaſteria, niſi diſciplinæ cauſa, ſeu correctionis; nec debet ſibi, vel clericis ſuis accipere ea quæ oblata ſunt monachis à fidelibus.

Gloſ. Intelligitur, quando monachi non habent populum: quia ſi habeant, tunc monaſteria ſubſunt Epiſcopo, quoad legem diœceſanam. *c. dilectus filius de offic. ordin.* 18. *q.* 2. *Eleuterius.* niſi debeatur honeſtum ſeruitium ex conſtitutione, vel conſuetudine. Item intelligitur de relictis in vita, quia mortis cauſa debetur portio. *c. de his*, & *c. cum ſuper de ſepult.* & *c. requiſiſti de teſtam.* niſi conſuetudo &c.

1560 *Cap. II.* Monachi.

NOn ponantur ſinguli per villas, vel oppida, vel quarumcumq. parochiales eccleſias; ſed maneant cum aliquibus fratribus. Item non recipiantur in monaſterio pro pretio: ſi ſecus, qui dedit, non promoueatur ad ſacros ordines; qui recepit, ſuſpendatur ab officio. Item non permittantur habere peculium, niſi pro adminiſtratione ei iniuncta ei ſit ab Abbate permiſſum; & qui ſecus fecerit, remoueatur à communione aliorum; & moriens ſine pœnitentia, non fiat oblatio pro eo, nec ſepeliatur inter fratres. Abbas qui diligenter iſta non caueat, amittat officium ſuum. Item nullus fiat Prior, vel Cuſtos mediante pretio; ſi ſecus, dans, & accipiens fiunt alieni ab ec-

Trid. ſeſſ. 25 Ref. 2.

ab ecclesiastico ministerio. Item Priores, qui in ecclesijs Conuentualibus per electionem capituli canonice sunt instituti, non mutentur nisi pro manifesta, & rationabili causa, v. g. si essent dilapidatores, incontinentes, vel tale quid egerint, vel si pro necessitate maioris officij de consilio fratrum fuerint transferendi.

Glos. De iure communi videtur quod monachus possit præfici parochiali, vel in Collegiata ecclesia, ex dispensatione non. Item acceptus in monasterio pro pecunia, restituta pecunia ingrediatur aliud monasterium. An qui fit monachus sub hac conditione, vt habeat proprium, remaneat monachus fracta conditione? videtur non, quia est de substantiali, vt matrimonium cum conditione contra substantiam. Item quando constat quod quis sit mortuus in peccato mortali, non est sepeliendus cum alijs. *d.* 88. *c. neq. apud.* 13 *q.* 2. *pro obeunt.* Item Priores qui per electionem canonicam non creantur, ad voluntatem Abbatum suorum remoueantur. *c. cum ad monasterium eod.* qui vero instituuntur per electionem Capituli, & confirmationẽ superioris, sine certa causa nõ remoueantur. *c.* 1. *de iudic.*

1561 *Cap. III.* Recolentes. *Alex. iij.*

CIstercienses, qui declinarunt ab instituto, redeant ad pristinum; & qui illis adhæserunt, viuant modo eorum.

1562 *Cap. IV.* Super.

CAnonicus regularis, qui proprietarius moritur sine pœnitentia, non est sepeliendus in cœmiterio: & si sepeliatur, est exhumandus, si fieri potest sine maximo scandalo.

Glos. Si ossa possũt discerni ab alijs: & idẽ faciẽdũ est in similibus.

1563 *Cap. V.* Quod Dei. *Innoc. iij.*

Trid. sess. 5. R. 2. sess. 24. Ref. 4. PEr Conc. later. *c. Monachi*, cauetur ne singuli per parochias ponantur, tamen per antiquos canones possunt: & non loquitur de canonicis regularibus qui possunt fieri plebani Parochiæ, & si cõmode fieri possit, habeat vnum Canonicum regularem secum ad cautelam, consortium, & solatium.

Glos. An monachi de iure communi, vel dispensati possint assumi in regimen animarum; & quid de regularibus. Item monachi non debent habitare soli.

1564 *Cap. VI.* Cùm ad monasterium.

MOnachi non vtantur lineis camisijs. Item non posideant proprium aliquo modo: & si monitus non restituit, de monasterio ex-

rio expellatur, nec recipiatur nisi pœniteat; & si cũ proprietate moritur, proprietas cũ ipso sepeliatur in sterquilinio, & si aliquid alicui mittitur, non sibi accipiat, sed resignet superiori. Item in oratorio, refectorio, & dormitorio semper silentium seruetur; in claustro vero certis horis & locis seruetur secundum consuetudinem. Item in refectorio nullus vescatur carne, sed nec extra, nisi in infirmaria; & Abbas in solemnitatibus non egrediatur cum multis ad edendas carnes; & in camera sua potest Abbas modò hos, modò illos vocare, & dare carnes. Debiles & infirmi non in cubiculis, sed in infirmaria edant. Potest etiam Abbas in refectorio prouidere alicui delicato vel infirmo de aliquo cibo particulari. Item ad officia deputentur fideles, discreti, & amouibiles. Item Prior post Abbatem valeat verbo & exemplis. Item Abbas quanto frequentius potest, sit cum fratribus in Conuentu; & si non seruat, vel est negligens, puniatur. Item Abbas non potest super proprietate, nec in castitate dispensare, imò nec summus Pontifex.

Glos. In multis casibus non potest Papa dispensare. vide ibi.

1565 *Cap. VII.* In singulis.

CApitulum prouinciale regularium fiat in singulis trienniis in vno monasterio ad hoc apto. Veniant Abbates, & Priores, qui Abbatem non habent, nec consueuerunt celebrare tale Capitulum, & singuli non ducant secum plus quam sex equitaturas, & octo personas; (saluo iure Episcopi in hoc) & qui non consueuerunt facere Capitulum, vocent duos Abbates Cistercienses pro consilio & auxilio. Capitulum duret aliquot certis diebus secundum morem Cisterciensium, in quo agatur de reformatione & obseruantia regulari; & quæ determinantur, seruentur, & prouideant de loco pro sequenti Capitulo. Item conuenientes viuant communiter cum omnibus expensis proportionabiliter, & commorentur simul, vel plures simul in diuersis domibus. Item eligant religiosas personas, quæ visitent singulas Abbatias Regni, etiam monialia, & auctoritate Apostolica visitent, corrigant, reforment; & si rector esset amouendus, moneant Episcopum; qui si non amouet, moneant Papam. Item idem seruent Canonici regulares. Item si oriatur difficultas, deferatur ad Sedem Apostolicã. Item diœcesani reforment monasteria sibi subiecta, nec sinant ea grauari à Visitatoribus. Item Episcopi, & qui præsunt Capitulis, per censuras compescant patronos, magnates, & quoslibet ne offendant monasteria in personis, vel rebus.

Glos. Exempti debent interesse, & sunt visitandi. Item an Ordinarius possit etiam visitare? Vide ibi.

1566 *Cap. VIII.* Ea quæ. *Honor. iij.*

Trid. seß. 25. ref. 14. VIsitatores inquirant, & monachos delinquentes faciant per Abbatem corrigi, & contumaces, ac rebelles iuxta modum culpæ puniant, & ouem morbidam eijciant ab ouili. Item si Abbates in corrigendo secundum mandatum visitatorum in se ipsis, seu monachi inueniantur negligentes, in Capitulo generali publicè puniantur, ita vt pœna sit exemplum alijs. Item si Abbas non exemptus inueniatur negligens nimis, & remissus, deferatur diœcesano loci, qui dabit coadiutorem vsque ad Capitulum generale; & si erat dilapidator, amoueat illum sine strepitu iudicij, & ponat administratorem idoneum vsque ad Capitulum generale. Si Episcopus in hoc est negligens, visitatores, vel præsidentes Capituli generalis de hac negligentia Episcopi Sedem Apostolicam moneant. Item quod faciunt Episcopi in non exemptos, faciant visitatores, & præsidentes Capituli generalis in exemptos, solum depositio reseruatur Papæ; sed interim suspendantur appositis administratoribus. Item subsequentes Visitatores, & Abbates inquirant de præcedentibus, & nuncient Capitulo generali. Item in monasterijs monachi, vel Abbates non recipiant clericos sæculares ad præbendas; & qui habent, non se immisceant in spiritualibus; & si sint criminosi, puniantur à Visitatoribus; exempti ab Episcopis, non exempti priuentur beneficijs. Item hæc omnia seruentur in monasterijs non habentibus Abbates, sed Priores; & in monialibus, quæ eis congruunt.

IN SEXTO LIBER III.
DE STATV REGVLARIVM:
Tit. XVI.

1567 *Cap. I.* Periculoso. *Bonif. viij.*

Trid seß. 25. Ref. 5. MOniales, siue implicitè, siue expresse professæ, non egrediantur monasteria, nisi constet eas laborare tali morbo euidenti, quod non possint cum alijs absque graui periculo, siue scandalo commorari. Item nulli detur facultas egrediendi prædicta monasteria, nisi cum rationabili, & manifesta causa, & de licentia Superioris, ad quem spectat. Item in monasterio non Mendicantium tot sorores sumantur, quæ sine penuria possint sustentari; & si secus quid fiat, est irritum. Item Abbatissa, vel Priorissa, quæ propter feudum tenetur præstare iuramentum fidelitatis alicui domino sæculari, si non potest per procuratorem, exeat cum honesta socie-

tate,

tate; & statim præstito iuramento reuertatur: sed si domini sint spirituales, iuret per procuratores. Item Episcopi, si opus sit, cogant per censuras dominos temporales, vt in suis tribunalibus, & curijs causæ monialium tractentur per procuratores, vt spirituales. Item Ordinarij, & Prælati alij in suis diœcesibus curent clausuram monialium etiam exemptarum auctoritate Apostolicæ, inuocato etiam, si opus fuerit, brachio sæculari. Et notent Ordinarij, quod præter clausuram nullam habent iurisdictionem in exemptos.

Glos. An Papa possit imponere religiosis arctiorem statum, & vitam, quàm professi sint? videtur quod sic, saltem secundum regulam. Item monialis potest assumi ad regimen alterius monasterij eiusdem habitus, & religionis. *c. nullus de elect. in 6.* & *in Clem. 1. de elect. Trid. sess. 25. c 7. de Ref.* sic etiam posset transire ad arctiorem, si vellet. Item medicus, barbitonsor, sutor, & similes possunt ingredi ad moniales, quia iusta causa. Item si non potest commode sustentari in monasterio; sed potest sine penuria, receptio tenet; si non potest sine penuria, non tenet: & quid sit commode sustentari, vide ibi. & non tenet in monialibus, quia virorum receptio cum penuria tenet. Item si virgo dicat se meretricem, vt ingrediatur monasterium meretricum, receptio non tenet, & recognita est eijcienda.

CLEMENTIN. LIB. III.

DE STATV MONACHORVM, & Canonicorum Regularium. Tit. X.

1568 *Cap. I.* Ne in agro.

MOnachis nigris interdicit superfluum ornatum, & cultum vestium, & describit modum vestiendi. Item singulis mensibus, saltem semel, confiteantur, & communicent in prima Dominica, nisi eis ex iusta causa interdicatur. Regula in Capitulo legatur vulgariter, & nouitijs detur fidelis instructor. Item non venentur, nec aucupentur, nec eis intersint, nec canes ad hoc habeant per se, vel per alios in monasterio; & si quis contra fecerit, priuetur, & puniatur. vide ibi. Item euntes ad curias, vt suis prælatis, vel monasterijs noceant, sunt excommunicati ipso facto: similiter arma tenentes intra septa monasterij, sine licentia Abbatum. Item agit de ætate Priorum, & sacerdotum, & professione, & habitatione, ordinatione, & studijs, & innouat *c. cum ad monasterium, & c. in singulis, eod.* *Trid. sess. 25. Ref. 10.*

1569 *Cap. II.* Attendentes.

MOniales exemptæ, vel non exemptæ visitentur auctoritate Apostolica, & visitatores illas reformēt. Item Abbatissæ, quæ solent benedici infra annū, benedicantur à tempore suæ confirmationis, aliter cadant de iure suo, & prouideatur de alijs; & Visitatores eant cum octo personis honestis: vide. Item visitentur mulieres quæ dicuntur canonicæ sæculares, quæ tamen non approbantur. Item si quis præsumpserit impedire Visitatores, & monitus non desistit, ipso facto est excommunicatus.

DECRETALIVM LIB. III.

DE RELIGIOSIS DOMIBVS, VT *Episcopo sint subiectæ*. Tit. XXXVI.

1570 *Cap. I.* Nunc autem. *Greg.*

QVando est cōsecranda aliqua ecclesia posita inter duos episcopatus, & dubitatur quis Episcopus debet cōsecrare, ille Episcopus consecrabit, ad quem antequam ecclesia ædificaretur, incolæ loci concurrebant pro baptismo, & consignatione annuatim: quia diœceses non definiuntur terminis, vt proprietate locorum, sed collatione horum duorum sacramentorum.

Glos. Per collationem spiritualium probatur cui subsit ecclesia, vel populus, non per limites locorum, idest vbi limes certas parochias nō distinguit; secus, si distinguit, & nō est præscriptio cōtraria.

1571 *Cap. II.* Quia.

QVando Papa vnit vnam ecclesiam, quæ est in vna diœcesi, monasterio quod est in altera, iurisdictio illius ecclesiæ remanet penes Episcopum primæ diœcesis, quia vult iura sua singulis Episcopis inuiolata seruari sine præiudicio.

Glos. De hac materia vide *c. 1. ne sede vacante, & c. cum olim, de consuetud. c. ex tuarum, de vsu pallij. c licet, de offic. ord.*

1572 *Cap. III.* De xenodochijs.

Trid. sess. 25. Ref. 1. XEnodochia, & alia pia loca ordinentur ab Episcopo loci, in quo sunt, ad finem, ad quem sunt instituta.

Glos. Monasteria, & alia pia loca pertinent ad Episcopum loci de iure communi, nisi ostendat exemptionem.

Cap.

1573 *Cap. IV.* Ad hæc. *Urb.iij.*

LOcus destinatus auctoritate Episcopi ad vsum hospitalitatis, & pauperum non debet deputari mundanis vsibus, quia est religiosus; sicut nec vestes, vasa, & alia vtensilia, ad cultum Religionis per Pontificem deputata.

Glos. Priuatus non facit locum sacrum, sed requiritur auctoritas Pontificis. Item Deo dicata non sunt conuertenda ad vsum profanum. *c. mancipia, de rer. permut. c. seq. c. ligna. c. vestimenta, de consecr. d.* 1. Secus in ecclesiasticis possessionibus, quæ non sunt spirituales; possunt enim alienari, si expedit. 12 *q.* 2. *sine exceptione.*

1574 *Cap. V.* Inter quatuor. *Innoc.iij.*

MOnasteria sunt ordinanda per Regulares, nec possunt transferri ad clericos sæculares, nisi regularibus deficientibus.

Glos. Episcopus in ecclesia regulari non potest ponere canonicos sæculares, nec præbendarios. *c. ea, quæ, de statu monach.* sed ponantur saltem homines alterius Religionis, vel strictioris vitæ. *c. relatum, ne clerici, vel mon.* sed si non possunt haberi, tunc ponantur sæculares, vt hic.

1575 *Cap. VI.* Constitutus.

EPiscopus concedens alicui monasterio iura episcopalia alicuius ecclesiæ, & etiam omne temporale, retinens sibi aliquam pensionem, idest censum, non est simoniacus, & ecclesia sita in diœcesi Episcopi debet soluere censum Episcopo.

Glos. Quid sit ius episcopale, vide *c. conquerente,* & *c. dilectus, de offic. ordin.* Item Episcopus non potest aliquam ecclesiam in totum eximere à iure episcopali. *c. pastoralis, de donat.* Item etsi potest conferre priuilegia, non tamen in præiudicium aliorum, nec rem vnius ecclesiæ dare alteri ecclesiæ, clericis inuitis. Item in dubio interpretatur contractum potius non esse simoniacum.

1576 *Cap. VII.* Cum venerabilis.

EPiscopus petens aliquam ecclesiam in spiritualibus, & temporalibus ad se pertinere, si probat illam esse in diœcesi, eo ipso obtinet spiritualia, si non appareat exempta: si non probat pro temporalibus, vel probat per instrumentum corrosum, & suspectum, succumbit pro temporalibus.

1577 *Cap. VIII.* Cum dilectus.

MOnasterium est subiectū Episcopo in diœcesi, cuius est situm, nisi probetur exemplum saltem per legitimam præscriptionē. Item excommunicatio, suspensio, interdictum lata in exemptos, vel post appellationem non ligant. Item si Abbas circumuentus præstat obedientiam Episcopo sine consensu fratrum, non tenet, si erant exempti, & potest appellare.

Glos. Duas exemptiones contrarias non potest quis simul proponere excipiendo, vt priuileg. & præscript.

1578 *Cap. IX.* Ne nimia.

NEmo religionem nouam inueniat, ne inducatur confusio in ecclesia Dei: sed si vult esse religiosus, ingrediatur vnam de approbatis. Item vnus Abbas non præsideat duobus monasterijs, nec vnus monachus locum habeat in diuersis. Item qui vult fundare nouam domum religionis, sumat regulam, & institutionem de approbatis.

Glos. Potest cum auctoritate Papæ, sine qua nec noua dignitas. *c. cum olim de consuetud.* nec nouus Sanctus, vel reliquiæ, *c. 1. & 2. de reliq.* Item de iure nullus potest præfici diuersis ecclesijs sæcularibus. *c. de multa*, nec simul habere præbendam, & dignitatem, *de concess. praben.*

IN SEXTO LIBER III.
DE RELIGIOSIS DOMIBVS.
Tit. XVII.

1579 *Cap.* Religionum.

NEmo nouum ordinem vel Religionem inueniat, vel habitum nouum religionis assumat; & reuocantur omnes ordines, & religiones mendicantium facti post Concilium Later. sub Innoc. III. sine facultate sedis apostolicæ. Item illi ordines mendicantium confirmati post dictum Conc. qui non possunt per regulam habere redditus, vel possessiones, &c. non recipiant in posterum aliquos ad professionem, nec de nouo domum vel aliquem locum acquirant, nec acquisita possunt alienare; & illis extinctis Sedes Apostolica disponat de bonis; & quidquid secus fit, est irritum, & contra facientes sunt excommunicati, & personæ talium ordinum non possunt prædicare, audire, confessiones, vel sepelire: prædicti religiosi possunt transi-

transire ad alios ordines. Ista constitutio non comprehendit Prædicatores, Mendicantes, Augustinianos, Heremitas, & Carmelitanos.

CLEMENTIN. LIB. III.

DE RELIGIOSIS DOMIBVS, VT Episcopo sint subiectæ. Tit. XI.

1580 *Cap.* Cum de. *Greg.x.*

MVlieres sub pœna excommunicationis latæ sententiæ non assumant statum beguinarũ; & religiosi ad hoc illas inducentes sunt excommunicati. Possunt tamen deuotæ mulieres pœnitentiam agere in proprijs hospitijs, cum spiritu humilitatis, licet moderate, *c. sancta, eod.*

1581 *Cap.* Quia contingit.

HI ad quos de iure, vel de statuto fundationis locorum, vel de auctoritate Papæ pertinet, vt sunt collatores, studeant reformare hospitalia secundum fundationem eorum; & occupata, deperdita, alienata indebite faciant reduci ad statum debitum, & vt inseruiant pro receptione, & sustentatione miserabilium, & ad hoc compellant rectores, & si ipsi fuerint negligentes, vel deficiant, tunc Episcopi per se, vel per alios exequi faciant prædicta etiam in exemptos, tamquam delegati Sedis Apostolicæ, non tamen quoad alia facto præiudicio exemptis eisdem. Contradictores, & præbentes eis auxilium, consilium compescant per censuram ecclesiasticam cum alijs remedijs. Item hospitale non detur in beneficium alicui clerico, non obstante quacumq. consuetudine, nisi aliter in fundatione fuerit constitutum, & rector esset eligendus per electionem: sed gubernatio eorũ detur personis idoneis; quæ personæ curent vt tutores conficiant inuentaria, & singulis annis reddent rationem ordinarjs, vel alijs, quibus hæc loca subsunt, vel deputandis ab eis; & si quid secus est attentatum, caret omni robore. & prædicta non extenduntur ad hospitalia religiosorũ, & ordinum militiarum, sed eorum rectores prouideant eis secundum instituta ordinum, & antiquas obseruationes, quos ad hoc cogant Superiores, non obstante quacumque cõsuetudine. Itẽ in prædictis hospitalibus quoad altaria, cęmeteriũ, administrationẽ sacramentorũ seruentur antiquæ consuetudines.

Glos. Solus Papa potest conuertere in alium vsum, ea quæ sunt donata, vel relicta à fidelibus ad vsum vnum.

EXTRAVAG. IOAN. XXII.
DE RELIGIOSIS DOMIBVS. Tit. VII.

1582 *Cap.* Sancta.

PRohibetur sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, ne quis sectetur statum, siue sectam, & ritum assumptum, vel de nouo assumere præsumat, eorum, qui vulgariter vocantur fraticelli, seu fratres de paupere vita, bizochi, seu biquini, vel alijs nominibus. Item Episcopi, vel alij Superiores, qui sine licentia Papæ concedunt prædictum ritum viuendi, & habitum, sint ipso iure excommunicati.

EXTRAV. COMM. LIB. III.
DE RELIGIOSIS DOMIBVS.

1583 *Cap.* Ratio.

FÆminæ beguinæ honestæ, quæ in suis, vel parentum, vel conductitijs domibus simul habitantes honeste viuunt, obedientes Ordinarijs, & Parochis sine scandalo, & errore, non comprehenduntur in cap. 1. Clem. & Episcopi non debent eos molestare; vigilent tamen super eas.

DECRETALIVM LIB. III.
DE CAPELLIS MONACHORVM, & aliorum Religiosor. Tit. XXXVII.

1584 *Cap. I.* In ecclesijs. *Vrb. iij.*

Trid. sess. 25. Ref. 11.

MOnachi qui habent populum siue ecclesiam cum populo, non habeant curam populi, sed capellanus sæcularis instituatur ab Episcopo per consensum monachorum, qui populum regat: cuius tamen ordinatio, depositio, & totius vitæ conuersatio pendeat à solo arbitrio Episcopi.

Gloss. Hoc cap. loquitur de monacho claustrali, vt *c. monachi, de statu*

statu monach. & non de monachis, qui præficiuntur parochis per Episcopum, vel eliguntur à populo. *16.q.1.c.doctos, c.vos autem,* & *c. in parochia.*

1585 *Cap. II.* Dilectus. *Innoc.iij.*

QVando vna ecclesia non cathedralis petit, & vendicat sibi plura iura in alia ecclesia, solum obtinebit quoad ea, quæ probabit sibi deberi, vel præscriptione, vel alio legitimo modo, non quoad alia.

Glos. In eodem libello potest quis multa intentare, vt possessorium, & petitorium super diuersis articulis, vel super eod. Item confessio sindici, vel procuratoris præiudicat ecclesiæ. Item obedientia probatur per hoc, quod quis vocatus venit ad Capitulum. Item est necessaria protestatio, ne factũ proprium noceat ecclesiæ. Item scrutinia vocantur etiã cathechismi, & exorcismi pro baptismo. Item aliqua de iure episcopali possunt præscribi.

1586 *Cap. III.* Ex parte. *Honor.*

MOnachi non possunt singuli commorari in prioratibus etiam de priuilegio Sedis Apostolicæ, nisi in eo fiat mentio de Conc. Lateranen. *c.monachi, de statu monach.*

Glos. Litteræ in patente contra aliquod ius, vel Concil. si non faciunt mentionem de ipso iure, vel Conc. non valent. *c. nulli, de rescript.* & *c. eam te, de ætate, & qualit.*

1587 *Cap. IV.* Ad audientiam.

ORdinarius debet compellere censuris Abbates, vt Monachos habitantes singulares in prioratibus, vel reuocet, & ibi ponat clericos sæculares, vel adiungat socios monachos, cum quibus possint regulariter viuere.

Glos. Et ita Episcopi debent compellere Abbates, ne monachos solos per villas dimittant.

IN SEXTO LIBER III.
DE CAPELLIS MONACHORVM. Tit. XVIII.

1588 *Cap.* Presbyteri. *Bonif. viij.*

PResbyteri qui à monachis præsentantur pro cura populorum in ecclesijs sibi subiectis, & ab Episcopo sunt instituti, debent esse

esse perpetui, nec possunt à monachis amoueri, non obstante quocumque priuilegio, vel consuetudine. Sed si subsit causa rationabilis, vt amoueantur, debent amoueri ab Ordinario.

Glos. Hoc cap. declarat c. primum, supra eod. Item consuetudo præscripta reuocat statutum non priuilegium: vnde si monachi haberent priuilegium, possent remouere curatum sine Episcopo, non autem ex consuetudine, vel statuto. Item curatus non debet remoueri à beneficio ab Episcopo pro leui causa. *c. inuentum. 16. q. 7.* & *c. satis peruersum, d. 56.* & *c. 1. d. 68.* imò nec pro causa graui, quæ ad notitiam populi non peruenit. *c. vlt. 30. q. 1.* & *c. sacerdotes, d. 50.*

DECRETALIVM LIB. III.

DE IVRE PATRONATVS. Tit. XXXVIII.

1589 *Cap. I.* Perlatum.

SI inter patronos sit talis discordia, vt non possit sacerdos fungi officio suo; si aliter prouideri non potest, Episcopus præcipiat, vt in ea non celebrentur Missarum solemnia, donec patroni concordent, & ecclesia habeat suum sacerdotem liberum, quia ecclesia diuidi non debet.

Glos. Iuspatronatus apud vnumquemque hæredum est in solidum quoad omnem eius effectum, præter sacerdotis præsentationē, quæ est apud omnes, ita vt sit apud nullum, vt *hic*, & *c. 2.* sic electio est indiuisibilis, & transit ad quemlibet hæredem in solidum. vide *Clem. plures, de iurepatr.* Item si hæredes non concordent, possunt inter se pacisci, vt alternis vicibus præsentent. Item hodie non sunt relinquenda Missarum solemnia, si aliquo modo sine scandalo possit ecclesia ordinari. *infra c. quoniam.*

1590 *Cap. II.* Quæcumque.

VLtra prædicta in cap. præcedenti, Episcopus tollat etiam inde reliquias, claudat tamen ostium, donec eligant vnū idoneum.

Glos. Non loquitur de reliquijs, quæ sunt in altari, sed extra in capsulis.

1591 *Cap. III.* Quoniam.

Trid. sess. 14. ref. 12. sess. 25. R. 9

SI patroni dissentiant, & diuersi diuersos præsentent, qui habet maiora merita, & vota plura, præfertur: si hoc non potest fieri sine

ſine ſcandalo, Epiſcopus ordinet prout melius iudicauerit. Idem faciat Epiſcopus, quando inter aliquos naſcitur quæſtio de iurepatronatus, quæ inter quatuor menſes non definitur.

Gloſ. Ex fundatione eccleſiæ acquiritur iuspatronatus, non ex reparatione, vel refectione, niſi omnino, & funditus ſit eccleſia deſtructa, vel monaſterium; tunc enim qui de conſenſu Epiſcopi reędificat, acquirit iuspatronatus, quia eſt, ac ſi de nouo ædificaret. *c. cõſuluit de Iudæis*. An per ſolam donationem acquiratur iuspatronatus? videtur non. An ſi ex eadem materia reædificetur eccleſia, primus patronus remaneat patronus. Item qui à pluribus patronis eſt præſentatus, non eſt neceſſe, vt ſit maioris meriti; ſufficit ſi ſit idoneus, licet alter ſit melior. Item propter ſcandalum receditur à iure. *c. cum teneamur, de præben. c. ad aures, de temp. ordin.* Item Epiſcopus ordinet, ideſt ponat rectorem intra quatuor menſes. *infra c. cum propter*, & *c. eam te, eod.*

1592 *Cap. IV.* Præterea.

PAtroni laici, qui ſine auctoritate Epiſcopi inſtituunt clericos, vel remouent, vel bona eccleſiaſtica pro ſua voluntate diſtribuunt, ſunt excommunicandi. Item clericus qui recipit eccleſiam per laicos ſine auctoritate Epiſcopi, eſt priuandus communione; & ſi perſtiterit, deponatur à miniſterio eccleſiaſtico, & ab ordine.

Gloſ. Laicus ſe intromittens in ſpiritualibus, vel temporalibus iurispatronatus non eſt ipſo iure excommunicatus, ſed excommunicandus; & clericus accipiens non eſt ſuſpenſus, ſed ſuſpendendus. Item clericus conſentiens ſuæ electioni laicorum fit ineligibilis. *c. quiſquis, de electione*.

1593 *Cap. V.* Quod autem. *Alex. iij.*

SI patronus præſentat idoneum pro eccleſia, & Epiſcopus illum non admittit, ſi deinde præſentat alium idoneum, & Epiſcopus admittit, primus præſentatus, & non admiſſus non poteſt agere, nec eſt præferendus, quia ante approbationem Epiſcopi non eſt rata præſentatio, & melior eſt conditio poſſidentis. Item laicus patronus ſine conſenſu Epiſcopi non poteſt eccleſiam donare alicui clerico, vel collegio; & ſi daret, donatio non teneret.

Gloſ. Iſte caſus, quod ſecundus præferatur primo, & melior ſit conditio poſſidentis, valet quando laicus præſentat, non quando præſentat perſona eceleſiaſtica, quia non poteſt variare. *c. cum autem, eod.* Sed Epiſcopus punitur. *c. paſtoralis*. Item ſi laicus præſentans vnum non variaſſet, tunc præſentatus ab eo remoueret quemlibet

bet

bet institutum. *c.cum Bertoldus de iureiur.* Item habetur pro non dato id quod donatur ab illo, qui iure donare non potest: sed si accedit consensus Episcopi, valet talis donatio. *c.illud. c.nullus eod.* & tunc dant vel ecclesiasticum, si sunt in tali possessione dandi, vel dant quod suum est, ne delusoria intelligatur donatio.

1594 *Cap. VI.* Quia.

QVi emit iuspatronatus, vel alio modo acquirit, vt præsentet suos filios vel nepotes, spoliabitur illo iure.

Glos. Qui emit ius per se tantum, quia est spirituale annexum, sed cum vniuersitate, potest obligari. Dices, cui applicabitur ius? Resp. aliqui dicunt ecclesiæ, cui facta est iniuria simoniæ; alij dicunt quod remanet apud patronum, quia venditio non tenuit: vnde in tex. pœna punitur emptor non venditor. Item iuspatronatus in iure vocatur aduocatio, vicedominatus, vel custodia, siue guardia, *c.præterea eod.* ius frequentationis, vel possessionis. *c.piæ mentis. 16.q.7.* dicitur gratia. *c.si quis Episcoporum 16.q.1.*

1595 *Cap. VII.* Ex litteris.

IVspatronatus transit cum Vniuersitate, nisi specialiter excipiatur, etiamsi vniuersitas detur conductori solum ad firmam, idest quoad vtile dominium: vnde si conductor præsentat ante motam litem super iurepatronatus, præsentatio tenet; post motam litem nihil innouandum.

Glos. In contractibus quod non nominatim excipitur, concessum videtur. *c.cum apud, de sponsal.* An lite pendente supra iurepatronatus possit patronus præsentare, & præsentatus institui? res est dubia; videtur non.

1596 *Cap. VIII.* Illud.

Trid. sess. 14. Ref. 13. LAicus non potest concedere ecclesiam non vacantem inconsulto Episcopo alicui loco religioso: vnde si post talem concessionem ecclesia vacet, & laicus nominet clericum, quem Episcopus instituit, secunda electio, & institutio est valida & firma: nam prima fuit nulla, tum quia fuit de ecclesia non vacante, tum quia laicus sine consensu Episcopi non potest ecclesiam alicui dare: bene tamen potest dare iuspatronatus alicui loco pio.

Glos. Si instituatur aliquis sine præsentatione fratrum, institutio est irritanda. Item ecclesia non vacans licet non posset concedi priuatæ personæ, potest tamen de consensu Episcopi concedi loco pio. *c.consummationibus.* Item an de consensu Episcopi iuspatronatus dari

dari possit laico? videtur sic. *cap ex insinuat. eod.* Resp. ibi non fuit donatio, sed renunciatio.

1597 *Cap. IX.* Querimoniam.

PAtroni qui succedunt, vel variantur, non possunt mutare ordinem Ecclesiarum.

Glos. Quia patroni non possunt disponere de Ecclesia, vel de rebus Ecclesiæ; possunt tamen defendere Ecclesiam,& denunciare excessus Sacerdotum Episcopo. *cap. præterea, eod.*

1598 *Cap. X.* Cum laici.

LAici non possunt propria auctoritate ordinare clericos in ecclesijs iurispatronatus: vnde si concedunt ecclesiam alicui sine licentia Episcopi, deinde præsentant alium Episcopo, quem Episcopus instituit, valet eius institutio, quia prima concessio est nulla. Trid. sess. 14. Ref. 13.

Glos. Quando aliquid de iure non valet, est licitum pœnitere, & contra suum factum venire: excipiuntur aliqui casus ibi. Item prima electio, quæ est nulla, non impedit secundam. *cap. bona memoriæ.* & *cap. congregatio, de elect.* & exponitur *cap. auditis, de elect.* Item, vt non laici, sic nec clerici possunt ecclesiam ordinare. *cap. vlt. eod.*

1599 *Cap. XI.* Cura pastoralis.

NVllus religiosus potest acquirere, vel retinere ecclesias concessas laicis sine consensu diœcesani, nisi propter legitimam præscriptionem, vel subsequentem consensum Episcopi: quia laici non possunt transferre nisi ius quod habent.

Glos. An isti monachi potuerint præscribere? videtur non, quia mala fides, nec bona, cum ignorantia iuris non excusat. Item acquiritur alicui titulus non idoneus. Item ratihabitio retrotrahitur. Item tempus præscriptionis contra ecclesiam est quadraginta annorum.

1600 *Cap. XII.* Si vero.

SI patroni dissentientes de iurepatronatus inter quatuor menses non præsentant, Episcopus instituat aliquem idoneum, vt post litem, qui vicerit præsentet iam institutum.

Glos. Vt sic accipiat possessionem,& ne institutus molestetur.

1601 *Cap. XIII.* Cum sæculum.

QVando exemptis, & religiosis transfertur iuspatronatus, non minuitur ius Episcopale in illa ecclesia, v.g. parochiali.

Glos.

Glos. Religiosi viri non habent plus iuris in ecclesijs, in quibus habent iuspatronatus, qnam habeant alij, etiā laici. Item Iuspatronatus transfertur cum venditione vniuersalitatis, nisi excipiatur specialiter, & transfertur successione ad hæredes sanguinis, vel non sanguinis, & donatione cum consensu Episcopi, & permutatione.

1602 *Cap. XIV.* Ex insinuatione.

SIne consensu patroni nullus potest occupare ecclesiam.

Glos. Patronus potest dare ius præsentandi alicui particulari de consensu Episcopi; vel potius quando sunt duo patroni in solidū, vnus potest concedere alteri liberā præsentationē totius beneficij.

1603 *Cap. XV.* Consuluit.

PAtroni non possunt vel sibi retinere, vel alijs concedere ecclesias sine consensu Episcopi.

Glos. In ecclesia non debet esse successio hæreditaria. Item pater potest præsentare filium, sed nemo se ipsum: sed si essent plures patroni, possent vnum ex se ipsis præsentare. *c. cum in iure, de elect.*

1604 *Cap. XVI.* De iure vero.

IVspatronatus per se vendi non potest, cum sit spirituali annexum; & si vendatur, contractus non tenet.

Glos. Annexum spirituali non potest emi, vel vendi, vt hoc ius. *c. quanto, de iudic.* potest tamen vendi cum vniuersitate. *c. cum seculum*, & obligari, *c. ex literis*. imo non potest redimi, *c. querelam de simonia*: quia non recipit æstimationem. Quod si ab ignorante ematur, agetur de interesse ex contractu. Item quis habebit illud ius? nūquid ille qui vendidit, hoc ipso quo vendidit? *c. quia clerici eod.*

1605 *Cap. XVII.* Nullus.

PAtronus non potest dare canonicis vel monasterijs decimas vel ecclesias, vel aliud pertinens ad ius spirituale sine consensu Episcopi: & si quis Episcopus consentit causa auaritiæ vel improbitatis, denuncietur Papæ, cuius licentia, quod offerendum est offerat.

Glos. Laicus non potest dare ecclesiam, potest tamen dare Iuspatronatus, *c. illud eod.* ex Host. Sed alij negant. *ibid. & cap. eod. in 6.* Si tamen laicus conferat, & postea Episcopus cōsentiat, tenet, *c. cura pastoralis. c. quid autem? c. suggestum eod.*

1606 *Cap. XVIII.* Significasti.

SI aliquis Episcopus habet ius præsentādi in aliena ecclesia, & præsentat idoneum, est admittendus.

Cap.

1607 *Cap. XIX.* Consultationibus.

QVando quis possidet iuspatronatus, & præsentat idoneum, quem Episcopus instituit, si deinde in lite patronus perdit iuspatronatus, & alius vincit, præsentatus, & institutus non est remouendus ab ecclesia.

Glos. Qui est in quasi possessione cum bona fide, acquirit titulũ, licet qui præsentauerit, non fuerit patronus re vera. *c. querelam de elect. c. cum olim de causa possess. & propr.* Nam aliquando plus valet quod est in opinione, quam in veritate: sed credulitas sine possessione non iuuat. Item quod legitimè factum esset, nõ debet reiterari, licet veniat ad eum casum, à quo incipere non potuit, nec meretur pœnam. An qui est in quasi possessione præsentandi, si moueatur quæstio proprietatis, possit iterum præsentare ante sententiam.

1608 *Cap. XX.* Suggestum.

COncessio ecclesiæ facta prius à patrono sine consensu Episcopi cedit cõcessioni factæ auctoritate patroni, & assensu diœcesani.

Glos. Quod ab initio non erat validum, per subsequentem consensum validatur. *c. cura eod. c. cum nos de his quæ fiunt à præl.* licet contra, *Si pastoralis, de donat.* Item litteræ, quæ possunt elidi per exceptionem, non impediunt secundas literas, licet de primis non faciant mentionem, *c. bonæ de confirm. ven.*

1609 *Cap. XXI.* Relatum.

CLericus qui obtinuit beneficium, vel ecclesiam sine consensu Episcopi, si monitus illud non resignat, ab ordinario suspendatur ab officio, & beneficio. Item prohibetur sub excommunicatione ne laici spolient ecclesias suis bonis; & si contemnunt, excommunicentur.

Glos. Si quis consentiat electioni de se factæ per abusum laicorũ, fit ineligibilis, nec potest promoueri sine dispensatione, *c. quisquis de elect.* Item actor debet sequi forum rei. Item prohibitus sub excommunicatione non est excommunicatus, sed excommunicandus: quod si dicat, cum interpositione excommunicationis, vide ibi. An si ecclesia agat contra laicos coram Iudice laico, & laicus vellet reconuenire ecclesiam coram suo, an inquam possit.

1610 *Cap. XXII.* Eam te.

SI inter patronos est lis de patronatu, & vacante ecclesia lis intra sex menses non terminatur, Episcopus ordinet personã idoneã.

Glos.

Glos. Si oreretur magnum ſcandalum inter patronos, tunc Epiſcopus tollat reliquias, claudat oſtia, *c. ſi plures* & *c. conſiderandum.* 15.q.6. Sed hodie non ſeruatur,ſed expectet ſex menſes. Item *c. quoniam*,& *c. cum propter* dantur ſex menſes pro laicis; ſed ſi eſſet lis inter Epiſcopum, & patronos, cum Epiſcopus dicit, *præſentatus eſt indignus*, tunc Epiſcopus ponat œconomum pro fructibus conſeruandis, donec lis expediatur. *c. cum vos de officio ordin.* Item ſi Epiſcopus nolit expectare ſex menſes,poteſt ordinare eccleſiam poſt quatuor menſes, *c. quoniam*, & *c. cum propter eod.*

1611 *Cap. XXIII.* Præterea. *Lucius iij.*

PAtroni, Vicedomini, cuſtodes, guardiani non poſſunt propria auctoritate alienare iuſpatronatus. nec grauent eccleſiam,nec aliquid exigant, niſi antiquos redditus moderatos, quos Epiſcopi in fundatione inſtituerunt, & hoc ſub pœna excommunicationis; & contractus alienationis factus ſit nullus.

Glos. Iuſpatronatus quomodo poteſt transferri, *c. ſæculum eod. c. Clerici de iure eod.* Item non poteſt, ſed ante conſecrationem eccleſiæ poſſunt ſtatui redditus patrono vice tributi,& penſionis;ſed ante, & poſt conſecrationem poſſunt ſtatui,vice beneficij. Item patroni non debent plus habere, quam ſit de iure permiſſum.

1612 *Cap. XXIV.* Cum autem.

SI patronus laicus præſentet plures ſuceſſiue idoneos, non excludens primum, Epiſcopus poteſt eligere quem vult ex præſentatis, & ſic datur locus gratificationi. Si puero præſentans ſucceſſiue eſt perſona eccleſiaſtica,vel collegium,tunc primus eſt inſtituendus: quia in hoc caſu qui prior eſt tempore, eſt etiam potior in iure.

Glos. Patronus laicus poteſt variare in præſentando antequam inſtituatur; ſed clericus, vel collegium non poteſt.

1613 *Cap. XXV.* Nobis. *Clem. iij.*

QVi de conſenſu Epiſcopi ſolus extruxit eccleſiam, efficitur patronus. Item patronus non poteſt intereſſe electioni faciendę de prælato eccleſiæ, ſed poſt electionem poſtulatur eius aſſenſus, niſi patronus habeat ſpecialem facultatem intereſſendi electioni:ſecus eſt in capella, quia tantum patronus eligit, & præſentat Epiſcopo. Item patrono detur honor proceſſionis: & ſi patronus vergat ad inopiam, eccleſia ſuccurrat illi modeſte ſecundum iura.

Glos. Habito reſpectu ad facultates eccleſiæ & qualitatem perſonæ. Item ius eligendi prælatum in eccleſia collegiata non cadit in

patro-

patrono laico. *c. sacrosanctam, & c. Messana, de elect.* nec valet contraria consuetudo, nec Episcopus potest concedere, sed Papa solus: sed patronus clericus potest hoc ius habere ex consuetudine, vel ex concessione Episcopi. An capella iurispatronatus possit fieri collegiata ecclesia, cum sic amittat præsentationem.

1614 *Cap. XXVI.* Per nostras. *Innoc. iij.*

NVllus, etiam clericus idoneus, doctus & benemeritus habens iuspatronatus in aliqua ecclesia, potest se præsentare, quia nullus debet se ingerere officijs ecclesiasticæ prælationis.

Glos. Qui se ingerit, hoc ipso tamquam ambitiosus debet repelli. Item debet esse differentia inter præsentantem, & præsentatum, vt inter dantem, & recipientem, *c. cum ad nostram, de instit.* Hinc persona electa non videtur computanda inter eligentes, vt augeat numerũ eligentiũ, quia à seipso oriri non debet. *c. didicimus. 24. q. 8.*

1615 *Cap. XXVII.* Cum propter.

SI sit quæstio inter patronos de iurepatronatus, & inter quatuor menses non definitur, Episcopus instituat personam idoneam, nec ex hoc fiat præiudicium præsentationis in posterum.

Glos. Vide cap. quoniam, & cap. eam te, eod.

1616 *Cap. XXVIII.* Cum dilectus.

QVando patronus præsentat vnum, & non instituitur ab Episcopo, si præsentat alium, & instituitur, tunc primus non habet ius ad ecclesiam, licet præsentans fuerit clericus; si tamen præsentauit vt laicus, idest ratione patrimonij. Item quando vna ecclesia est patrona alterius ecclesiæ, Legatus à latere potest sibi reseruare illam ecclesiam non vacantem; & cum vacat, eam conferre inconsulto patrono: secus si patronus est laicus, & si est clericus vt patronus ratione patrimonii. Item qui non possidet ecclesiam canonice, tenetur eam relinquere, & fructus restituere.

Glos. Clericus patronus ratione sui patrimonii potest variare in electione, quia in hoc non reputatur clericus; præsentatus, si non est institutus, non habet plenum ius.

1617 *Cap. XXIX.* Pastoralis.

PRæsentatus à patrono laico si reiicitur ab Episcopo, & appellat ad Papam, si interim patronus alium præsentat, & instituitur, iste secundus obtinebit, quia inter præsentatos à laico est melior cõditio possidentis. *c. cũ autem, eod.* Item Eps qui malitiose præsentatũ *Trid. sess. 24. Ref. 19.*

idoneum recuſauit, compellatur prouidere illi de beneficio competenti.

Gloſ. Quomodo probabitur malitia Epiſcopi? Reſp. debet Epiſcopus oſtendere quod ille non ſit idoneus, quia quilibet præſumitur bonus, ſi non probetur malus. Item eo ipſo probatur malitia, quia eum repellit nulla facta de ipſo examinatione.

1618 *Cap. XXX.* Poſtulaſti.

SI Rector eccleſiæ parochialis præſentet aliquos ordinandos ad Tit. ſuæ eccleſiæ non requiſito patrono, & ordinentur, non præiudicat patrono, quia ipſe, cum vacat beneficium, poteſt alios præſentare relictis iſtis ordinatis, & titulatis, ſi non conſenſerat eorum præſentationi, & inſtitutioni: ſecus ſi conſenſit.

Gloſ. Vel ſi patrono præſente intitulantur, & non contradicit, videtur conſentire: quod nec eſt verum. Quare patronus debet & rectorem, & clericum præſentare, ſi non eſt collegiata.

1619 *Cap. XXXI.* Tranſmiſſæ. *Greg. ix.*

PAtronus non poteſt conferre, ſeu concedere, & inſtituere eccleſiam, ſed ſolum præſentare. Quare ſi vni confert eccleſiam, & mox præſentat alium Epiſcopo, licet primus appellauerit ad Papam, tamen Epiſcopus poteſt inſtituere hunc præſentatum.

IN SEXTO LIBER III.

DE IVRE PATRONATVS.

Tit. XIX.

1620 *Cap.* Si laicus. *Boniſ. viij.*

LAicus poteſt ſine conſenſu Epiſcopi dare ſuum iuſpatronatus eidem eccleſiæ, in qua eſt ius, vel alteri eccleſiæ, vel alij loco pio: & licet hæc donatio teneat, tamen non præiudicat iuri Epiſcopi, qui non conſentit: vnde Epiſcopus debet inſtituere præſentatum ab eccleſia. Item quamuis laicus, quando erat patronus, habuerit quatuor menſes ad præſentandum, vacante eccleſia, tamen nunc eccleſia, vel monaſterium, cui fuit donatum ius, habebit ſex menſes, quia eccleſia quantum ad præſentandum reputatur patronus, non laicus, ſed eccleſiaſticus.

Gloſ. Iuſpatronatus conſiſtit in præſentatione, quia patronus poteſt eligere, & præſentare perſonam idoneam. Item in proceſ-

ſione

sione quando patronus venit ad suam ecclesiam, clerici processionaliter debēt ire,& eum recipere, si status suæ personæ sit talis, vt hoc requirat, vt si esset Rex, vel Dux; alias non. Item patronus in ecclesia est præ ceteris honorandus in sessione & sepultura. Item si veniat ad inopiam, est alendus de bonis ecclesiæ. Item hic habetur expresse quod patronus laicus habet quatuor menses tantum ad præsentandum, clericus sex; sed clericus non potest variare præsentatum, laicus potest. Item ad hoc, vt clericus patronus præsentans nequeat variare, non sufficit dare litteras, vt se præsentet, sed requiritur præsentatio corporalis coram Episcopo: vnde si posterior habens litteras prius se præsentat corporaliter Episcopo, Episcopus tenetur illum instituere. Item si patronus cessit ius ecclesiæ non habenti nisi vnum presbyterum, & vacat, præsentabit episcopus. *c. omnes basilicæ*, 16. *q* 7. Quid si ius donetur Episcopo? Item qui succedit in ius alterius, non vtitur eod. iure, in isto casu, contra regulari iuris. sunt etiam ibi aliæ exceptiones. Quid si ecclesia, & patronus laicus simul habeant ius præsentandi, an habeant sex, vel quatuor menses? Resp. sex.

CLEMENTIN. LIB. III.
DE IVRE PATRONATVS.
Tit. XII.

1621 *Cap.* Vt constitutio.

Patroni clerici, vel religiosi,& exempti, qui præsentant aliquem ad ecclesiam, debent intra terminum præscribendum ab Episcopo assignare congruam portionem de prouentibus ecclesiæ, vt portet onera ecclesiæ:& si intra terminum præscriptum patroni negligunt assignare, Episcopus præsentatum instituat, & deinde ipse assignet moderatam portionem, remota omni passione; & compellet patronos, etiam religiosos, censura ecclesiastica. Si vero patroni, siue clerici, non obstantibus quibuscumque, siue religiosi præsentantes in eisdem ecclesijs ipsimet supportant onera plene, tunc non est assignanda portio, nec procedit casus prædictus: sed sufficit presbyteros, & Vicarios congrue, & decenter tractare, & sustentare.

Glos. Prælatus inferior diœcesano licet posset instituere, tamen non potest cogere, vel prædicta præstare pro assignanda portione Vicario perpetuo: sed si currat casus, recurrat ad diœcesanum.

An ſi contra hanc inhibitionem Ordinarius admittat præſentatum non facta aſſignatione, valeat collatio? An ſi aliqua onera ſuſtinent patroni, aliqua Vicarius? Reſp. fiat aſſignatio pro rata, ſed de iure onera non eſſent diuidenda.

1622 *Cap.* Plures.

QVando vnus patronorũ moritur relinquens plures filios, omnes filij relicti habentur pro vna voce in iurepatronatus; quia iuſpatronatus competit per ſtirpes, & non per capita. Item patroni poſſunt conuenire inter ſe libere de præſentando rectore ab eis alternis vicibus. Item poſſunt patroni præſentare plures perſonas ad vnam eccleſiam; & Epiſcopus eligat vnam ex his.

Gloſ. Si ſint laici, vel clerici ex patrimonio. Item patroni habentes plures eccleſias poſſunt conuenire vt vnus præſentet vnam, alter alteram. Item iſta vox, multorum, habet difficultates inextricabiles, quas vide.

DECRETALIVM LIB. III.

DE CENSIBVS, EXACTIONIBVS, & procurationibus. Tit. XXXIX.

1623 *Cap. I.* Sancitum.

PRo dote Eccleſiæ fundandæ dandus eſt manſus, ideſt quantitas terræ, quæ ſufficiat pro duobus bobus in anno ad laborandum, & ſit liber ab omni ſeruitio & onere ſæculari, & presbyteri poſiti in ea non faciant aliquod ſeruitium pro decimis, oblationibus, domibus, areis, hortis poſitis prope eccleſiã, nec pro manſo integro propter ſeruitium eccleſiaſticũ: ſed ſi quod amplius habuerint, impendant debitum ſeruitium ſenioribus.

Gloſ. Ideſt dominis etiam temporalibus, quoad feudalia, & ſeruitia rebus annexa. *c. 1. de maiorit. & obed.* Item ſeruitium, ideſt cenſum. Item ſi manſus prius ſoluebat decimas eccleſiæ parochiali, ſoluet etiam poſtquam datur in dotem alteri eccleſiæ, quia eſt eccleſiaſticum.

1624 *Cap. II.* Omnis anima.

Solutio tributi eſt probatio ſubiectionis.

Cap.

1625 *Cap. III.* Scientes.

EPiscopus non debet imponere nouas consuetudines vel census monasterio, nisi fuerit ab initio impositum.

Glos. Initio potest imponi census à patrono cum consensu Episcopi, *c. præterea, tit.* 38. postea non potest nec impositus augeri. *c. probibemus.*

1626 *Cap. IV.* Licet.

COecus non tenetur ad collectas, quia inhumanum est affligere grauatum.

Glos. Spectat ad ecclesiam defendere miserabiles personas, ac pauperes.

1627 *Cap. V.* Peruenit. *Paschalis.*

CEnsus, cuius causa ignoratur, non est soluendus; sed sciendum est quorsum, & quando debet solui.

Glos. Qui petit aliquid, debet allegare causam petendi. An census, vel simile seruitium possit præscribi tempore?

1628 *Cap. VI.* Cum Apostolus.

QVi visitant parochias, non excedant certum numerum equorum & euectionum, pro diuersitate prouinciarum, & facultatibus ecclesiarum: nec sint odiosi subditis; & Archiepiscopi non excedant numerum 40. vel 50. Episcopi 20. vel 30. Cardinales 25. Archidiaconi 5. vel 7. Decani 2. nec ducant canes venatorios, nec sumptuosas epulas quærant; sed accipiant quæ honeste, & competenter ministrantur, & in omnibus quærant Christum. Item Prælati non præsumant grauare subditos talijs, & exactionibus, sed cũ causa manifesta, & rationabili possunt petere moderatum auxiliũ. Item Archidiaconi, & Decani non præsumant exercere exactiones, vel talias. Item ex tolerantia numeri equorum prædictorum, quæ toleratur solum, vbi redditus Ecclesiæ sunt ampliores, non conceditur, vt vbi solebant vti paucioribus, vtantur modo pluribus, sed stent consuetudini.

Glos. Archiepiscopus debet prouinciam visitare, & procurationes à subditis suffraganeorum exigere. Item procuratio in superfluis potest denegari à subditis. An causa sit rationabilis pro subsidio, standum est arbitrio Superioris, idest Archiepiscopi. Item Archidiaconi, & Diaconi cum rationabili causa possunt petere subsidium vt Episcopi.

1629 *Cap. VII.* Prohibemus.

EPiscopi, Abbates, & alij Prælati non imponant ecclesiasticis nouos census, nec veteres augeant, nec præsumant appropriare suis vsibus partem redditaum; & si quid contra prædicta fit, est irritum.

Glos. Noui census, idest qui à principio non fuerunt positi. *c. scientes*, & *c. 2. & 3.* & qui ab alijs ecclesijs non soluuntur. *c. ecclesiis, eod.* Item procuratio cum iusta causa, & auctoritate Episcopi potest de nouo imponi, & augeri, quia non est proprie census, sed pensio. *c. præterea, eod.*

1630 *Cap. VIII.* Præterea. *Alex. iij.*

PEnsio sine auctoritate Episcopi imponi non potest: & si moriatur ille, qui soluebat pensionem, non est amplius soluenda sine auctoritate Episcopi.

Glos. Cap. cum clerici, eod.

1631 *Cap. IX.* Ecclesijs.

EPiscopus si eriperet, seu liberaret ecclesiam de manibus laicorum, præter cathedraticum, & alia iura quæ habet in antiquis ecclesiis, non debet imponere maiorem exactionem.

Glos. Consuetudo ecclesiarum debet seruari. *c. super, eod. c. cum olim de consuet. c. constitutus, de relig. dom. c. præterea, de iurepatr.*

1632 *Cap. X.* Innouamus.

QVi præsumit statuere nouas pedagiorum exactiones sine consensu Episcopi, & monitus nō desistit, careat Christiana communione, donec satisfaciat.

Glos. Nisi ex consuetud. immemorabili exigantur. *c. super quibusdam, de verb. signif.*

1633 *Cap. XI.* Cum clerici.

QVi per collusionem, v.g. clerici, constituunt ecclesias censuales religiosis sine licentia Episcopi, vt post mortem ecclesia ad præsentationem religiosorum transeat ad filios, vel nepotes ipsorum; remouentur ab ijs ecclesijs postposita appellatione.

Glos. Collusio est inter reum, & actorem occulta, & illicita pactio, per quam alter in iudicio permittit se superari. *c. præterea, eod.* Item Episcopus cum iusta, & honesta causa potest imponere nouum censum, seu pensionem. *c. probibemus. eod.*

Cap.

1634 *Cap. XII.* Ea quæ.

ARchidiaconi non debent facere collectas per suos Archidiaconatus grauando ecclesias, vel parochias: alioquin auferatur ab eis id, quod habent.

Gloſ. Qui abutitur poteſtate ſibi permiſſa, meretur amittere priuilegium.

1635 *Cap. XIII.* Significauit. *Lucius iij.*

QVi iurat ſoluere cenſum de nouo poſitum, etiam cum auctoritate Epiſcopi, huic creditores cogendi ſunt relaxare iuramentum: ſi vero cenſus non fuit de nouo impoſitus, & cum auctoritate Epiſcopi, tunc iurans non eſt moleſtandus ab ordinario.

Gloſ. Epiſcopus cum rationabili, & iuſta cauſa poteſt imponere nouum cenſum. *c. prohibemus. c. praterea, eod. c. auaritia, de praben. c. ad audientiam, de eccl. ædifican.* Item quando quis cogitur iurare Abbati in caſu in quo non tenetur iurare, & Epiſcopus mandat non ſeruari iuramentum; tunc iurans licet habeat probabilem cauſam ſeruandi iuramentum, debet tamen obedire Epiſcopo: quia in iuramento intelligitur, niſi aliquid rationale impediat, & præſumptio eſt contra Abbatem. Item cenſus dicitur nouus, qui non eſt poſitus in fundatione eccleſiæ. *c. praterea, de iurepat.* vel in exempt. *c. conſtitutus, de relig. dom.* vel præſcriptione, licet ſecundum aliquos contra cenſum non præſcribatur.

1636 *Cap. XIV.* Sopitæ.

MOnaſteria de iure communi debent ſoluere procurationes Epiſcopo ſecundum facultates quas habent; & multo magis, ſi ſoluiſſent prædeceſſoribus. Trid. ſeſſ. 21. Ref. 8. ſeſſ. 25. R. 20.

Gloſ. Ius commune *d. c. decernimus Epiſcopum* 10. q. 1. & *c. placuit.* Item exempti non tenentur. *c. luminoſo* 18. q. 2. Item Epiſcopus, quando accedit cauſa correctionis, vel viſitationis, accipiat procurationes, non autem pro alijs negotijs. *cap. procurat. eodem.* etiam ſi per illam diœceſim iret ad aliam viſitandam cap. Romana, eodem.

1637 *Cap. XV.* Grauis. *Clem. iij.*

PAtroni eccleſiaſtici, qui dum vocant aliquem ad regimen eccleſiæ, nouum cenſum imponunt, vel antiquum augent, & pro ſolutione cogunt vel iurare, vel dare cautionem, cogantur dimitte-

re iuramentum, & cautionem, & puniantur canonice.

Glos. Iuramenta contra formam canonum sunt illicita, & periuria. *c. sicut nostris, de iureiuran.* nec tenet fideiussio, quæ est accessoria ei, quæ non tenet. *c. vlt. de rerum permut.* & *c. inter dilect. de fid. instrumen.* Item constitutiones extenduntur tantum ad futura. *c. cognoscentes, de const.* nisi in illis dicatur quod respiciunt præterita. *c. vlt. de const.* Item absolui à iuramento, idest absolutos nunciari. Item pœna in isto casu est priuari ecclesia: sunt etiam aliæ pœnæ. *c. nihil est, de elect.*

1638 *Cap. XVI.* Quanto.

SI de consensu patroni in fundatione imponitur census, seu procuratio indeterminata soluenda alijs, hæc non debet crescere, sed secundum modum solitum solui, nisi facultates ecclesiæ ita notabiliter creuerint, vt non esset grauamen soluere maiorem procurationem ad fratrum numerum ampliandum.

1639 *Cap. XVII.* Cum instantia.

OMnes ecclesiæ tenẽtur soluere procurationes Legatis, & Nuncijs Sedis Apostolicæ sine exceptione, nisi ex speciali priuilegio eiusdem Sedis liberentur: nec valet præscriptio contra procurationem. Item in soluendis procurationibus quæratur modus quod nemo grauetur, sine tamen præiudicio Legatorum, qui possunt immediate exigere procurationem à singulis: & si quis fuerit, grauatus, potest petere ab alijs: contradicentes sunt excommunicandi.

Glos. Romana Ecclesia neminem solet priuilegiare contra se, & in tali procuratione non currit præscriptio. *cap. cum ex officijs, de præscript.* Item procuratio est exhibenda secundum facultates ecclesiæ, & pauperes nihil soluant. *cap. cum Apostolus. cap. nuper. cap. ex parte, eod.*

1640 *Cap. XVIII.* Ex parte.

QVi vota consueuerunt soluere semper ad vnam, & eamdem mensuram, non possunt illam variare: qui vero ad varias, & diuersas mensuras, possunt soluere, si volunt ad minorem illarum; & non sunt cogendi ad maiorem, quia cum vota fuerint gratiosa ab initio, sunt benignius exigenda ab ecclesijs, ne videantur inhiare temporalibus lucris.

Glos. Successor tenetur soluere quod antecessor consueuit solue-

re, &

re; & minor pars debet facere id, quod maior pars. *cap. sopitæ, eod.* & *cap. dilectus, de capell. monach.* & in dubijs seruanda est consuetudo vicinorum. *cap. cum olim, de consuet.* Item in dubijs mediocritas est sequenda. *cap. quanto, eod.* vel id, quod est minus. *cap. in obscuris, de regul. iuris in 6.*

1641 *Cap. XIX.* Cum olim.

EO ipso quod ecclesia est in territorio diœcesis Episcopi, debet ei respondere de procurationibus de 4. decimarum, & alijs episcopalibus; & eo ipso quod quis impugnat, v. g. compositionem, non debet ex ea aliquod commodum reportare.

Glos. Quando in aliqua scriptura repetitur de finibus episcopatus, est standum illi, donec contrarium probetur, licet illa scriptura principaliter sit facta ob aliud. *c. illud, de præsumpt.* Item confines episcopatus probantur per antiquos libros. *c. cum causam, de probat.* Item superioribus episcopalibus potest fieri compositio. Item tacita renunciatio præiudicat. Item contraria proponens non est audiendus.

1642 *Cap. XX.* Olim.

SOlutio census, v. g. synodatici, est facienda in illa moneta, in qua fuit institutum; vel si non esset in vsu, soluatur secundum æstimationem illius, nisi facta fuerit legitima præscriptio, idest quadraginta annorum, non obstante protestatione.

Glos. Protestatio non prodest cum quis venit contra suam protestationem. *cap. cum M. eod. de constitut.* & *c. sollicitudinem, de appellat.* Item confessio Aduocati, nisi fuerit reuocata, præiudicat. *cap. cum causa, de appellat.* Item solutio est facienda in antiqua moneta, licet noua sit melior; & si modo non est in vsu, soluatur valor.

1643 *Cap. XXI.* Cum venerabilis.

EPiscopus, qui remisit seruitia alicui ecclesiæ, & statuit eidem ecclesiæ alia seruitia non imponere; hoc non obstante quando causa correctionis illam visitat bis in anno, potest accipere procurationem moderatam ab ea. Trid. sess. 24. Ref. 3. sess. 21. R. 8. sess. 25. Ref. 20.

Glos. Licet semel in anno sit visitandum. *cap. mandamus, de offic. Archid.* tamen causa correctionis potest, si opus fuerit, bis in anno visitare.

1644 *Cap. XXII.* Super eo.

QVando aliqua ecclesia est de nouo conuersa ad iurisdictionem alicuius Episcopi, debet seruare quoad procurationem, & alia ea, quæ seruant vicinæ prouinciæ, & ecclesiæ.

Glos. In procurationibus, & alijs seruitijs si certum est quod non sit statutum, vel ex consuetudine, debet seruari consuetudo vicinarum ecclesiarum, *cap. ecclesiæ. c. sopita, eod. c. 2. de capell. monach. cap. cum olim, de consuetud.* secus quando est propria consuetudo, vel statutum.

1645 *Cap. XXIII.* Procurationes.

Trid. sess. 24. Ref. 3. PRocurationes, quæ ratione visitationis debentur Prælatis, non exigantur absque causa necessaria, & manifesta, nisi quando personaliter visitant, & cum mediocritate, *cap. Apostolus, eod.* Legati, & Nuncij Apostolici, si necessariò diu morantur in vno loco, ne ille vnus locus nimium grauetur, accipiant procurationes ab alijs locis moderatis: & si vna ecclesia non sufficit per se ipsam, coniungantur plures ecclesiæ ad procurationem, ita tamen vt numerus procurationum non excedat numerum dierum, quibus ibi morantur. Item qui contra hoc statutum venire tentauerit, reddat duplum, idest quod accepit; & tantundem reddat ecclesiæ, quam grauauit.

Glos. Quadruplex est procuratio: vna nomine visitationis, vt *hic c. cum venerabilis.* Secunda, ratione consuetudinis. 18. *q.* 2. *c. seruitium.* Tertia, ratione pacti appositi in fundatione. *c. præterea, tit.* 38. *&* 18. *q.* 2. *c. Eleuterius.* Additur & quarta, ratione priuilegij, *c. accedentibus, de excessib. prælat.* Item si ipse non potest esse per totam diœcesim, potest visitare per alium, & accipere procurationem. *c. inter cetera, de officio ord.* & *c. cum venerabilis, eod.* Item qui grauat ecclesias in procuratione, punitur in duplum; qui grauat in xenijs, punitur in quadruplum, *c. quoniam. dist.* 18.

1646 *Cap. XXIV.* Venerabili. *Honor. iij.*

MOnasterium, siue ecclesia, quæ est in territorio Episcopi, licet numquam soluerit, tenetur tamen soluere procurationem suo Episcopo visitanti, nisi aliud rationabiliter obstet.

Glos. Puta priuilegium, *c. cum instantia, eod.* vel probent præscriptionem factam ab alio Episcopo. *c. cum ex offic. de præscript.* vel allegent magnam paupertatem, quia tunc suis sumptibus debet visitare. *c. cum instantia, eod.* Item contra procurationem, quæ debetur

betur ratione visitationis,non præscribitur, *c.cum ex officij,de præscript.* Sicut nec contra ipsam visitationem : tamen alius prælatus posset præscribere vtrumque contra Episcopum.*ibidem*: sed in alijs procurationibus currit præscriptio, *cap.seruitium*, 18.*q*.2.

1647 *Cap. XXV.* Cum nuper. *Greg.ix.*

ARchiepiscopus cum visitat suam prouinciam, potest exigere debitas procurationes, & potest excommunicare eos, qui eas denegant.

Gloss. Archiepiscopus in quibus casibus potest se intromittere propria auctoritate in subditos suffraganeorum, vide *c. pastor, de offic.ordin.*

1647 *Cap. XXVI.* Cum canonicis.

PEnsio antiqua est soluenda secundum antiquam monetam : & si non est in vsu, est soluenda secundum valorem illius monetæ.

Gloss. Licet aliquot annis verificetur, idest in duobus annis : tamen hic exigitur legitimum tempus, *c.peruenit.eod.* Item idem valor monetæ dandus,*c.cum olim,eod.* nam si minus nunc valeret,nollet eam recipere ; & si non esset in vsu,non tenetur eam recipere.

1647 *Cap. XXVII.* Auctoritate.

REligiosi licet aliquando celebrent in oratorijs,quæ habent in grangijs suis,non tamen debent soluere procurationem visitationis.

Gloss. Quia hæc oratoria non visitantur.

IN SEXTO LIB. III. *DE CENSIBVS, EXACTIONIBVS, & procurationibus.* Tit. XX.

1648 *Cap. I.* Romana.

ARchiepiscopus,qui vult visitare Prouinciam,prius debet plene visitare Capitulum suæ Ecclesiæ, ciuitatem, & diœcesim propriam, & sit intentus erga ecclesias, tum maiores, tum minores, tum ecclesiasticos, tum populum : & si commode ipse non potest ad vnamquamque accedere, saltem vocet clericos, & laicos de pluribus locis ad vnum, vt eos visitet: deinde visitata sua diœcesi visitet vel totam, vel partem prouinciæ, visitando diœceses, ciuitates,

tates, suffraganeos, eorum subditos, capitula cathedrarum, & aliarum ecclesiarum monasteria, ecclesias, alia loca pia, religiosa, cleros, populos; & accipiat procurationes tantum à locis visitatis. Item si Archiepiscopus cœperit visitare vnam diœcesim, non poterit illam dimittere, & mox ad eamdem reuerti, nisi prius visitauerit omnes diœceses prouinciæ, vel in toto, vel in parte, quas securè potest visitare, & etiam suam visitauerit. Sed si aliqua diœcesis, vel aliqua Ecclesia indigeat visitatione plus alijs, si à diœcesano illius ecclesiæ, vel à communi consensu maioris partis suffraganeorum fuerit requisitus; tunc intermissa visitatione aliarum reuertatur ad eandem: sed si hoc malitiose difficultant, tunc Archiepiscopus petat licentiam à Sede Apostolica confidenter. Finita visitatione Prouinciæ si vellet denuo visitare, debet prius requirere consensum suffraganeorum, & coram eis dare suam definitionem in scriptis, vt possit etiam esse nota alijs, & mox iterare visitationem Prouinciæ, modo prædicto, etiam sine consensu suffraganei; & incipiat visitare illas ecclesias, vel populos, qui non fuerunt visitati in prima, nisi opportunius esset alios visitare. Item visitator proponat verbum Dei, quærat de vita, & conuersatione ministrantium in ecclesijs, & alijs locis deputatis diuino seruitio, & de ceteris spectantibus ad officium ipsum, absque coactione, & exactione iuramenti, intendens ad emendationem ipsorum per salubria monita, siue leuia, siue aspera, prudenter. Item si contra eos orta fuerit infamia de aliquibus, si iudicauerit expedire, denunciet ordinario, vt inquirat solemniter super his: sed notoria crimina, quæ examinatione non indigent, libere corrigat, infligendo pœnam debitam, quia præsumitur negligentia ordinarij. Item nec ipsi, nec famuli accipiant procurationem in pecunijs, sed in moderatis expensis victualium. Item nec ipse, nec quisquam suorum quodcumque munus accipere præsumat, qualitercumque sit oblatum. & si quis acceperit, non absoluatur, nisi duplum restituat, & euitetur quælibet fraus. *c. statutum, de rescript in 6.* Item supradicta forma visitandi est etiam seruanda ab omnibus Episcopis, & Prælatis visitantibus suos subditos, saluis tamen rationabilibus, & approbatis religiosorum consuetudinibus, & regularibus institutis.

Glos. Si non potest per se, potest visitare per alium. *c. inter ceterа, de offic. ord.* Item laici non soluant procurationes; quos separatim visitet, si qualitas negotij hoc exposcat. Item qui allegat fraudem, debet illam probare. Item scriptura requiritur in his casibus. Primo, cùm Archiepiscopus definit visitare. II. cùm quæritur de antiquissimo facto, quod testibus probari non potest. III. in pri-

in priuilegijs. IV. in dimissorijs. V. in redeundo ab hæresi. VI. in profitente. VII. in electione. VIII. in emphyteusi. IX. in alienatione rei ecclesiasticæ. X. quando appellatur ab interlocutoria. XI. quando quis variat constitutū circa procurationem. XII. quando agitur vt non valeat contractus, nisi redactus in scriptis. XIII. in sententia excommunicationis. XIV. in requisitione transcripti sententiæ excommunicationis. XV. in casu *c. vt circa, de elect.* XVI. in casu *cap. si canoniam, de off. ord. in 6.* XVII. in casu *c. fundamenta, de elect. in 6.* XVIII. in donatione, quæ excedit quingentos aureos. XIX. in fideiussore. XX. in minore iurante per maiorem. XXI. Si pactum fiat cum aduocato de re mobili sibi danda. XXII. in solutione debiti in instrumento publico contenti. XXIII. Si quis caueat de debito in scriptis ex causa antecedenti, & vult probare. XXIV. in testamento in scriptis redigendo. XXV. in delegato Papæ. XXVI. in libello criminali, vel ciuili. XXVII. in causa. XXVIII. in diffinitiuis. XXIX. in eleemosinarum quæstoribus. XXX. in casu *extrauag. proinde. Bonif.* XXXI. in *extrauag. iniunctæ, eiusdem.* XXXII. in casu *c. in causam, de elect.* XXXIII. in casu *clem. dudum. de iudic.* XXXIV. in casu constit. *Execrabilis, Ioan. xxij.* Nota: non tamen requiritur scriptura necessaria in omnibus prædictis.

1649 *Cap. II.* Exigit *Greg. ix.*

QVia præcedens cap. non seruabatur, addit pœnas, idest: Qui ratione visitationis pro procuratione exigit pecunias, etiam à volente, vel recipit munera, vel à non visitatis recipit procurationem, vel aliud cum præsumptione; teneatur infra mensem reddere duplum accepto, illi ecclesiæ, à qua acceperat. Et si non restituent infra mensem, Patriarchæ, Episcopi, Archiepiscopi sunt interdicti ab ingressu ecclesiæ; inferiores verò sunt suspensi à beneficio, donec plenarie restituat ecclesiæ; nec possunt iuuari remissione, liberalitate, vel gratia dantium.

Glos. Si ista egeant pecuniæ v.g. pro vecturis, & ferraturis equorū, vt sine ea visitatio impediretur, possunt exigere pecuniam. Item qui modicum esculentum, vel poculum accipit, quod veri similiter neminem mouet, nec donantem facit pauperiorem, non cadit in pœnas. *c. statutum de rescript. c. vlt. de donat. inter vir. & vxor.* Intellige si accipiat non ad tunc consumenda, sed pro itinere; melius tamen facit, si etiam ab his abstinet. Item ad duplum tenetur etiam familia de eo, quod accepit, & Episcopus tenetur de facto ipsorum, *c. generali de elect. in 6.* Item interdicti ab ingressu ecclesiæ si moriātur in eo, non sepeliuntur in cœmeterio; & si celebrant in ecclesia

in suo

in suo officio, vti prius, fiunt irregulares. *c. is cui, de sent. excom.* Similiter suspensi si celebrent in ecclesia in suo officio, fiunt irregulares à solo Papa dispensandi. *c. cum ceterum, de re iud.* & *c cum medicinalis, de sent. excomm.* Item statim post satisfactionem sunt absoluendi sine alia sententia.

1650 *Cap. III.* Felicis.

VIsitans ex officio potest accipere in pecunia procurationem vnam in vna die, si sic voluerint visitati, etiamsi vna die plura loca visitauerit, quorum qualitatibus esset sufficiens pro procuratione integra; tamẽ accipiat solum vnã procurationẽ: & in hoc derogatur *c. exigit.* supradicto, reliquis vero manẽtibus in suo robore.

Glos. Hodie prælati habent facultatem à Papa visitandi vna die plura loca, & accipere plures procurationes, non tamen sine causa. Idem possunt facere qui visitant ex delegatione.

1651 *Cap. IV.* Quamquam.

ECclesia, & personæ ecclesiasticæ pro se, & pro rebus suis proprijs, quas non causa negociandi deferũt, vel deferri faciunt, vel transmittunt, nõ tenẽtur soluere pedagia, vel guidagia. Qui ergo pro personis, vel rebus exigit, vel extorquet per se vel aliũ suo vel alieno nomine, vel compellat ad soluendum; si sit persona singularis cuiuscumq. dignitatis, conditionis, vel status, sit excommunicatus; si collegium, vel vniuersitas, eius locus sit interdictus ipso facto, nec absoluatur, vel relaxetur ab interdicto, nisi plene restituerit exacta, & competenter satisfecerit de transgressione, non obstante quacumque consuetudine contraria, quæ potius corruptela dicenda est.

Glos. Vide *c. 1. de immunit. eccles.* Item si clerici se tranferant de loco ad locum causa negociationis, non debent soluere gabellas pro personis; nec si transferant res beneficiorum: sed si transferant fructus patrimoniales causa negociationis, tenentur pedagia, & alias exactiones soluere, secus si pro necessitate sua. Item in *clem. præsenti eod. tit.* præcipitur ordinarijs sub pœna excommunicationis, ne sint negligentes in publicandis his pœnis, & publicent eos, qui in illas inciderunt. Item vt quis absoluatur, non sufficit restituere, sed requiritur etiam pœnitentia, *c. sicut dignum, de homic.* & *c. quicumque, de hæret.*

1652 *Cap. V.* Perpetuo.

ARchiepiscopus libere potest suam Prouinciã visitare, licet eius suffraganei non sint negligentes, & reiterare visitationẽ eamdem,

dem, & accipere procuratores à locis visitatis, non obstante consuetudine contraria. Item potest, dum visitat, audire confessiones subditorum suffraganeorum, & absoluere cum salutari pœnitentia, non obstante *c.1. eod. in 6.* Item potest per Prouinciam dare litteras Indulgentiarum.

CLEMENTIN. LIB. III.

DE CENSIBVS, EXACTIONIBVS, & procurationibus. Tit. XIII.

1653 *Cap. I.* Cum sit.

OMnes Religiosi tenentur soluere onera, vt sunt procurationes Legatorum Sedis Apostolicæ, iura episcopalia, & alia solita dari pro ecclesijs vel monasterijs antequam venissent ad eos, quocumque modo, vel titulo, nisi excusentur priuilegio Apostolico, exceptione vel alia iusta causa. Quæ tamen causæ, & priuilegia non extenduntur ad ecclesias acquisitas post Concilium Viennense, quod fuit anno 1311.

Glos. Vicarij constituti in beneficijs spectantibus ad monachos non tenentur ad onera, nisi religiosi darent pensionẽ Vicario, vt substineret hæc onera. Item ecclesia potest transire ad religiosos multis titulis. Vide.

1654 *Cap. II.* Ad nostrum.

PRælati si ad monasterium Cistercienſium venerint, non causa visitationis, sed hospitalitatis, non grauent illa, sed tantum accipiant victualia, quæ gratiose, & ex charitate eis ministrantur: si veniant causa visitationis, accipiant procurationes debitas de iure vel consuetudine; & si velint, possunt comedere carnes, non tamen intra septa monasterij, vel saltem nõ intra portam regularem; & reliquias possunt dare pauperibus, nec in alio monasteria grauentur.

Glos. Episcopi non possunt habere plures procurationes in vna die, nisi ex priuilegio Sedis apostolicæ, etiam si visitent plura loca. *c. felicis in 6.* Item licet nec visitatio nec procuratio tolli possit per compositionem, tamen potest componi de modo procurandi, & de numero procurandorum: v. g. quando veniam, dabitis alimenta pro me, & 6. vel 8. *c. quicumq. 16. q 7.* Idem quod dicitur de Cisterciensibus, ex identitate rationis intelligitur de omnibus regularibus.

Cap.

1655 *Cap. III.* Præſenti.

DIœceſani locorum omnino publicent, vel publicari faciant excommunicationem,& interdictum à iure latum contra eos, qui ſuo, vel alieno nomine exigunt, vel extorquent pedagia ab ecc leſijs, vel perſonis eccleſiaſticis pro earum rebus proprijs,quas non negociandi cauſa deferunt, vel deferri faciunt, vel tranſmittunt,donec exacta reſtituantur,& tranſgreſſores ſatisfecerint competenter, de quo in *cap.quamquam,eod.in 6.*

Gloſ. Prælati,qui non ſeruant hanc clement. peccant mortaliter, quia dicit, *Iubemus*. Item laici pro rebus quas portant ad vſum proprium,non ſoluunt vectigalia.Vide ibi & alios caſus. Item ſi naſcatur quæſtio inter exactores pedagij,& portatores, v.g. an ſit clericus, an res ſit ſua, an feratur ad negotiandum, ſtabitur iuramento deferentium,vel ſuorum nunciorum,niſi qualitas perſonarum aliter ſuadeat, vel fides de contrario ſit in promptu. *c.fin. de iureiur.* Item quoad perſonam ſufficit, ſi ſit in habitu, & tonſura clericali. *c.ſi iudex, de ſent. excom.in 6.* Item poſtquam tranſgreſſores reſtituerunt, & ſatisfecerunt, adhuc indigent abſolutione,& relaxatione interdicti. Item quando dicitur *reſtituatur*, intelligitur, *plene reſtituatur*, nec ſufficit cautio.

EXTRAV. COMM. LIB. III.
DE CENSIBVS, EXACTIONIBVS, & procurationibus.

1656 *Cap.* Vas electionis. *Benedictus xij.*

Trid.ſeſſ. 24. Ref. 3. TAxat procurationes,& dicit quod ſtandum eſt conſuetudini,vel conuentioni circa quantitatem ſoluendam minore taxata: & vbi non eſt conſuetudo, nec conuentio,non excedant taxatam quantitatem in iſto cap. quam vide, quia breuitatis cauſa omitto: v.g. in inſulis, & partibus vltramontanis, & tranſmarinis, vt in Italia, Sicilia, Patriarchæ, & Archiepiſcopi à ſuis, & ab eccleſis ſuorum ſuffraganeorum pro procuratione vnius diei,ſiue in victualibus, ſiue in pecunia, à volentibus non vltra ſexaginta, à monaſterijs,& alijs eccleſijs habentibus collegium 12. & plurium non vltra 50. ab habentibus minus collegium, & alijs eccleſijs non vltra 40. Epiſcopi à Cathedralibus eccleſijs non vltra 50. à monaſterijs,& alijs eccleſijs collegiatis 12. vel plurium non vltra 40. ab habentibus collegium minus

minus duodecim, & alijs ecclesijs non vltra triginta: Abbates à suis monasterijs, vel Prioratibus duodecim, vel plurium, non vltra viginti; ab habentibus minus duodecim, & alijs locis non vltra sexdecim: Archidiaconi quoquo modo non vltra decem, & sunt secundum valorem argenti Turonensis. Si autem prædicti omnes ex priuilegio Apostolico possint per alios visitare, & procurare in pecunia numerata, tunc Patriarchæ, & Archiepiscopi in primo loco non vltra quadraginta; in secundo, non vltra triginta; in tertio loco, non vltra viginti octo. Episcopi in quocumque loco, non vltra viginti. Abbates non vltra decem in quocumque loco. Archidiaconi non vltra quinque Turonenses argenteos. Item in prouincijs, & insulis Franciæ taxa est maior. Item maior, & varia in Alemania, Anglia, Vngaria, Polonia, Suetia, &c. Item in Hispania est minor. Et prædicta intelliguntur, nisi consuetudo, vel conuentio sit de minori: quia tunc non est soluenda taxa, sed hoc minus. Item si prælati, vel familiares eorum, ipsis prælatis scientibus, vel ratum habentibus, aliquid vltra taxationem acceperint etiam à volente, teneantur restituere duplum eisdem ecclesijs infra duos menses post receptionem, vel huiusmodi scientiam. Ad idem etiam tenentur si per alios visitent; aliter prælati post dictos duos menses sunt interdicti ab ingressu ecclesiæ: illi vero qui pro prælatis visitarunt, sunt suspensi ab officio, & beneficio, donec plene satisfaciant locis grauatis: & si quis familiaris Episcopi aliquid vltra acceperit in suo Episcopatu, restituat duplum de suo intra duos menses: si secus, & est clericus, est suspensus ab officio, & beneficio; si laicus, est interdictus ab ingressu ecclesiæ, & suspensus à communione ecclesiæ, donec de duplo satisfaciat. nec valeat pro recipientibus remissio, liberalitas, vel gratia. Item prædictas taxationes debent soluere loca, quæ possunt; quæ non possunt, non sunt grauanda vltra vires. Item qui ex priuilegio petunt ab ecclesijs charitatiuum subsidium, non possunt petere vltra taxam positam, quando prælati per alios visitent. Item duodecim Turonenses valent vnum florenum auri, boni, puri, & legalis ponderis, ac cunei Florentini. Item sub hac constitutione comprehenduntur Abbates Cistercienses visitantes monasteria sui Ordinis.

DECRETALIVM LIB. III.

DE CONSECRAT. ECCLESIÆ, vel Altaris. Tit. XL.

1657 *Cap. I.* Ad hæc. *Alex. iij.*

SI altare moueatur, vel lapis continens sigillum frangatur, vel diminuatur, debet de nouo consecrari altare, non tamen ecclesia: quia hoc non est consuetum, licet id canones innuere videantur.

Glos. Licet altare in mensa altaris moueatur quoad formam, ita vt formam amiserit per diminutionem, vel augmentum, & tabula consecrata non moueatur de loco ad locum, tunc enim iterum non consecratur. Item si mensa altaris enormiter fracta est, consecrandum est altare. *c. quod in dubijs*, & *c. ligneis*, *eod.* nam consecratio altaris præcipue intelligitur in coniunctione mensæ, idest lapidis superioris, & structura interioris. Et si mensa remoueatur, vel aliquis lapis mensam tangens, est iterum consecrandum altare: secus, si aliquid addatur altari, quia sacrum trahit ad se non sacrum. *c. si motum, de consecrat. d.* 1. in qua altare vocatur mensa, & ecclesia vocatur altare.

1658 *Cap. II.* Tua. *Innoc. iij.*

ECclesia potest consecrari diebus festis, & non festis.

Glos. Sic etiam altare, sic etiam virgines propter necessitatẽ.

1659 *Cap. III.* Quod.

QVando tabula consecrata mouetur, vel enormiter frangitur, altare debet iterum consecrari. Item oleum non consecratum potest misceri consecrato.

Glos. Et dicitur totum consecratum. sic in reficiendis sacris vestibus potest apponi filum non consecratum, & pannus non consecratus, nec erit opus noua consecratione.

1660 *Cap. IV.* Proposuisti.

QVando ecclesia est polluta propter homicidia, vel vulnera hominum, debet reconciliari per aquam benedictam cum vino, & cinere.

Glos. Ecclesia primo si dubitatur an sit consecrata, est consecranda;

da; idem de altare. *c. ecclesia, vel altaria, de consecrat.* Si est exusta tota, vel maior pars, est iterum consecranda; secus si tectum corruit, & parietes manserunt. Tertio, si tota, vel maior pars similiter fuerit destructa, est consecranda: si successiue, non; sed sufficit aspersio aquæ benedictæ. Sed si remoueatur, vel enormiter frangatur altare, vel sanguine, vel semine polluatur, non est consecranda ecclesia, sed reconcilianda, vt in textu.

1661 vsq. ad 1672 *Cap. V.* Cum sis.

IN vna ecclesia, & vna Missa possunt plura altaria, complur esq. Episcopi consecrari.

Glos. An Missa sit de substantia consecrationis, vide *cap. quod sicut, de elect.*

1672 *Cap. VI.* Ligneis.

SI corruat totum tectum, & parietes sint illæsi, & tabula, vel mensa altaris non sit mota, nec enormiter læsa, licet in sua extremitate sit modicum fracta, nec ecclesia, nec altare debet denuo consecrari.

Glos. Ecclesia consecratur in parietibus, in quibus fiunt cruces, & inunctiones, & non in tecto: ideo si stant, non consecratur, nec si successiuè reparati essent. *can. de fabrica, de consecrat. d. 1.*

1673 *Cap. VII.* Consuluisti.

SI corpora excommunicatorum sepeliantur in cœmeterio, polluitur cœmeterium, & est reconciliandum aspersione aquæ solemniter benedictæ, vt fit in dedicatione ecclesiæ.

Glos. Idem de ecclesia: & corpora si discerni possunt, sunt prius exhumanda, & extra cœmeterium, vel ecclesiam eijcienda. *cap. si ciuitas, de sentent. excommun. in 6. cap sacris, de sepult.*

1674 *Cap. VIII.* Cum sicut.

ECclesia non est consecranda, nisi prius ei fuerit prouisum de dote; & qui eam facit consecrare, tenetur eam dotare.

Glos. Ecclesia non est fundanda, nisi prius fuerit ei dos data, v. g. à patrono. *can. nemo, de consecrat. d. 1.* & si hoc fuit ommissum in fundatione, non debet prius consecrari, quàm dos fuerit consignata. *cap. pia mentis, 16. q. vlt.* Item quanta debeat esse dos, vide ibi. Item si Episcopus consecrat, vel fundat ecclesiam non assignata dote, tenetur ipse dotare eam, sicut debet alere or-

dinatum sine titulo, si potest hoc facere sine læsione suæ ecclesiæ, vel si habet proprium. Item fundator, vel eius hæres potest cogi ad donationem.

1675 *Cap. IX.* Aqua.

SImplex sacerdos cum aqua per Episcopum benedicta, etiam de mandato Episcopi non potest reconciliare ecclesiam pollutam, sed debet ipsemet Episcopus: quia licet possit committere, quæ sunt iurisdictionis, non potest ea quæ sunt ordinis: & consuetudo contraria est corruptela.

Glos. Reconciliatio quæ nulla est, per tolerantiam Papæ fit valida. *cap. quanto, de translat. Episcopi.* Item consuetudo contra naturam iuris non prodest, nec præscribit contra illud ius. *c. inter vos. c. quanto. c. vlt. de consuetud.*

1676 *Cap. X.* Si ecclesia.

ECclesia non consecrata si polluatur effusione sanguinis, vel seminis, statim est lauanda aqua exorcizata, ne suspendantur organa diuinæ laudis; & quamcitius fieri poterit, est consecranda.

Glos. Ecclesia non consecrata gaudet eodem priuileg. quo consecrata. Quare si in non consecrata sepeliatur excommunicatus, vel paganus, non celebrabitur in ea nisi cadauer eijciatur. & prius aqua benedicta aspergatur; & parietes sunt radendi. *cap. ecclesia. can. vbi, de consecrat. dist.* 1. & *cap. penult. de immunit. ecclesiæ.* Vnde si quis in eam confugerit, debet ecclesia defendi, quia est locus Deo dicatus auctoritate Episcopi; & qui in eo delinquit, est sacrilegus, licet grauius peccet qui peccat in consecrata, quam qui in non consecrata. Item simplex sacerdos potest non consecratam purgare à pollutione cum aqua benedicta ab eo.

IN SEXTO LIBER III.
DE CONSECRAT. ECCLESIÆ, vel altaris. Tit. XXI.

1677 *Cap. XI.* Si ecclesiam.

SI ecclesia polluatur effusione sanguinis, vel seminis, censetur etiã pollutũ cœmeterium, si est illi contiguum; & in eo nõ potest quis sepe-

sepeliri, antequam sit reconciliatum: si est remotum ab ea, non censetur pollutum. Item si polluatur cœmeterium contiguum, non tamen ecclesia censetur polluta, quia minus dignum non trahit maius. Item quando sunt plura cœmeteria contigua diuisa vno pariete, licet ex vno in aliud per portam eatur, tamen si vnum polluatur, non censetur pollutum aliud.

Glos. Vt polluatur Ecclesia, effusio sanguinis debet esse iniuriosa, & humani: quare si me defendendo effundo sanguinem, vel aggressorem occido, non polluitur ecclesia, nec censeor irregularis. Item effusio sanguinis debet esse in magna quantitate, seu abundantia: quia si effundantur duæ vel tres guttæ, non dicetur polluta ecclesia. Item si in ecclesia occidatur homo sine sanguinis effusione, ecclesia est polluta, & reconcilianda. *cap. proposuisti, eod.* Item si extra ecclesiam vulneratur quis, & fugiat ad ecclesiam, & in ea sanguinem effundat, non polluitur; sed si intus vulneratur, & foris sanguinem fudit, vel colligit in vase, ecclesia est polluta: si supra tectum vir occidatur, vel sub ecclesia in spelunca vel cauerna, tunc probabiliter non est polluta, quia extra ecclesiam. *c. 2. de officio deleg. in 6.* Quid si martyr in ecclesia occidatur, est ne polluta? res est dubia: putat probabiliter quod sic, ex actione effundendi, non ex passione; sed locus sanguinis non lauatur, quia non polluit, sed potius consecrat. Item qui sanæ mentis irato animo vulnerat, vel interficit, polluitur ecclesia. Item licet Archidiaconus teneat effusionem seminis matrimonialis non polluere ecclesiam, tamen contrarium est verius ratione loci. Item quod dicitur de ecclesia, & cœmeterio ratione pollutionis, intelligitur etiam ratione interdicti. Item quando censetur pollutum cœmeterium, tunc reconciliata ecclesia censetur reconciliatum & cœmeterium absque alia reconciliatione. Item quando quis habet portam domicilij in vna Parochia, & reliquam domum in alia, censetur parochianus illius parochiæ in qua est domus, & non in qua est porta.

DECRETALIVM LIB. III.

DE CELEBR. MISSARVM, & sacramento Eucharistiæ, & diuinis officijs. Tit. XLI.

1678 *Cap. I.* Presbyter.

PResbyter dicto Matutino Officij dicat Horas, & Vesperas horis competentibus; & mane dictis horis visitet infirmos: mox si vult, exeat ad opus rurale ieiunus, vt deinde possit succurrere hospitibus, infirmis, defunctis, &c. vsque ad statutam horam pro qualitate temporis: nam Matutinum dicitur media nocte.

Glos. Clerico pauperi, qui ex beneficio viuere nequit, sed oportet vt exeat ad opus rurale, consulitur vt dicat omnes horas, etiam Vesperas mane, ne deinde propter occupationes aliquã relinquat; alias essent dicendæ suo loco, & tempore. *c. in causis, de elect.* Item clericus, cui non sufficit ecclesia ad victum, & vestitum, quærat ex suo artificio absque detrimento sui officij. *c. clericus, d. 9. & 21. q. 1. c. 1.* Item Missa potest celebrari vsque ad Nonam. *cap. solent, d. 1. de consecr.*

1679 *Cap. II.* Quidam.

NOn permittitur laicis, vt ex consuetudine audiant eamdem Missam votiuam, v. g. de Trinitate, vel de S. Michaele, nisi suo tempore, vel aliquando; sed audiant Missam currentem in illo die.

Glos. Loquitur in casu quando in ecclesia est tantum vnus presbyter, qui debet celebrare de die. Item aliquid prohibetur non quia malum, sed propter id quod sequi potest. *c. & si Christus, de iureiur. c. denique, d. 21.*

1680 *Cap. III.* Consuluisti. *Innoc. iij.*

SVfficit sacerdoti semel in die celebrare, nisi in Christi Natali, & in casu necessitatis.

Glos. Necessitas celebrandi pluries est, si postquam celebrauit moriatur aliquis, vel causa honestatis, vel vtilitatis, vt si superueniat aliqua magna persona, quæ velit Missam audire. *c. 1. & 2.*

1681 *Cap. IV.* Consilium.

IN diebus feriatis, seu profestis, idest procul à festis, quando dicitur Missa votiua, v. g. S. Spiritus, vel B. Mariæ, quamuis dicatur Præfatio propria, non tamen dicitur Symbolũ, neque Gloria, vt ostendatur differentia inter cõmemorationem, & solemnitatem.

1682 *Cap. V.* Ex parte.

SAcerdos postquam totum sacramentum Eucharistiæ accepit, debet semper infundere vinum, & accipere, nisi quando eodem die

die deberet Missam celebrare, quia tunc si infusum vinum acciperet, non posset amplius celebrare.

Glos. Celebrans, vt in *c. consuluisti*, debet esse ieiunus etiã à purificatione, & multo magis à medicina: an antequã cibus sit digestus possit sumi corpus Christi? *c. tribus, de consecr. d. 2.* dicit quod non.

1683 *Cap. VI.* Cum Marthæ.

VErba, quæ non sunt in Euangelistis, & sunt posita in canone Missæ, vt mysterium fidei eleuatis oculis in cælum æterni testamenti Apostoli acceperunt à Christo, & successores ab Apostolis, & multa alia: vt, *Beatius est dare quàm accipere. Visus est plusquàm quingentis fratribus simul, deinde visus est Iacobo*, & declarantur verba canonis ibi. Item in sacramento Eucharistiæ subtiliter tria distinguuntur: primò, forma visibilis, idest panis, & est sacramentum geminæ rei, sed non est res: secundo, veritas corporis, & est sacramentum, & res; sacramentum vnius, & res alterius: tertiò, virtus spiritualis, idest vnitatis, & charitatis; & est res gemini sacramenti, sed non sacramentum. Item quamuis sint opiniones, an aqua cum vino in sanguinem conuertatur; aliqui dicunt, quod aqua mutatur in aquam lateris, & vinum in sanguinem; aliqui, quòd aqua remanet circumfusa speciebus vini, sicut circumfunderetur vinum infusum in sanguinem Christi: sed probabilius est quod aqua cum vino in sanguinem transmutetur. Item non est orandum pro Sanctis, quia iniuriam facit Sancto, & Martyri qui orat pro Sancto, & Martyre, quia ipsi non indigent oratione nostra, sed nos egemus oratione illorum. Et quando dicitur, *hæc oblatio prosit, vel proficiat tali Sancto*, intelligitur vt magis, ac magis à fidelibus honorificetur in terris, licet secundum aliquos gloria Beatorum augeatur vsque ad diem iudicij.

Trid. sess. 13. de Eucharistia.

1684 *Cap. VII.* De homine.

GRauis peccat sacerdos qui in peccato mortali in Missa fingit se consecrare, & non consecrat, quam qui consecrat in peccato mortali.

Glos. Qui est in peccato mortali non debet celebrare, quia est suspensus quoad se, non quoad alios. *c. vlt. de cohab. cler. & mulierum*, & *c. sacerdotes, 1. q. 1.* Sed si sit simoniacus, vel notorius fornicator, est suspensus quoad se, & quoad alios, *32. dist. §. verum nullus*, & *c. præter hoc*, & *de sim. cap. tanta*: sed si sacerdos habeat prius contritionem in necessitate, potest celebrare. *c. de cetero.* & *c. à nobis, de sentent. excom.*

1685 *Cap. VIII.* In quadam.

DEclarat quod Christus fuit verus Deus contra Arrianos,& verus homo, non ex corpore phantastico contra Manichæum. Item determinat quod à latere Christi fluxit vera aqua, & non flegma, vel mistum: & sicut in sanguine relucet sacramentum redemptionis; sic in aqua sacramentum regenerationis.

1686 *Cap. IX.* Dolentes.

PRohibet sub pœna suspensionis, ne clerici, vel prælati vacent vsque ad mediam noctem commessationibus superfluis, vel fabulationibus illicitis, ne matutinum continuata sincopa transcurrant, Missis aliquando intersint, vel celebrent,& similia. Item præcipit in virtute obedientiæ, vt diuinum officium cum nocturnum, tum diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter, & deuote.

Glos. Qui canonis inobedientiam incurrit, cum eo mitius agitur, quam cum eo, qui incurrit inobedientiam Iudicis. *cap. si celebret, de cleric. excommun.*

1687 *Cap. X.* Sane. *Honor.iij.*

PRæcipitur vt sacerdotes conseruēt Eucharistiam in loco singulari, mundo, & signato honorifice, deuote, & fideliter. Item quilibet sacerdos frequenter doceat plebem suam, vt cum eleuatur Hostia in Missa, reuerenter se inclinent: idem faciat cum defertur ad infirmum, quam decenti habitu superposito mundo velamine, manifeste, & honorifice ante pectus cum omni reuerentia, & timore, semper lumine præcedente. Item prælati transgressores huius decreti grauiter puniantur.

Glos. Custodiatur sub clauibus. *c.1. de Eucharist.* Item vbicumque non statuitur certa pœna, punitur ad arbitrium Iudicis.

1688 *Cap. XI.* Cum creatura.

Trid. sess. 22. c.1. IN collegiatis ecclesijs celebrabuntur duæ Missæ solemnes conuentuales, vna pro anniuersarijs defunctorum, altera pro feria, vel festo currenti, secundum temporum congruentiam.

Glos. Licet anniuersarium dicatur quod est reuoluto anno à die mortis, tamen hic dicitur officium anniuersarium, idest quod fit quotidie pro defunctis à sacerdotibus conuentualiter, & singulariter cum paucis; nec si celebretur vna Missa feriæ solemniter, est relinquenda illa defunctorum.

Cap.

1689 *Cap. XII.* Te referente.

QVia valde felix est qui digne celebrat vnam Missam in die, ideo Episcopus solus in die cœnæ Domini debet Missam celebrare in sua ecclesia, ibi chrisma conficere.

Glos. Colligitur quod Missa sit de substantia confectionis chrismatis, sicut dicitur de collatione ordinum. Item melius est celebrare Missam de illo die, quàm aliam.

1690 *Cap. XIII.* Perniciosus.

IN sacrificio Missæ plus vini quam aquæ est ponendum; & contrarium non est permittendum tamquam perniciosum, quia est cōtra generalem consuetudinem ecclesię.

Glos. Generalis consuetudo ecclesiæ ab omnibus est seruanda. *cap. contra morem, d.* 100. vt est hæc ponendi plus vini, quam aquæ. sic attenditur consuetudo in baptismo. *c. de trina, de consecrat. d.* 4. sic consuetudo Missæ, & aliorū officiorum diuinorum ecclesiæ Metropolitanæ est seruanda ab omnibus ecclesijs suæ prouinciæ. *c. institutio, de consec. d.* 2. sic in matrimonio. *c. super eo, de coniug. spir.* sic etiam in ieiunio. *c.* 2. *de obseruat. ieiun.*

1691 *Cap. XIV.* Litteras.

PResbyter, qui ex mera malitia, vel nimia dissipientia celebrare præsumpserit in pane fermentato, vel scipho ligneo, vel sine igne, & aqua, est perpetuo deponendus ab officio, & beneficio.

Glos. Calix licet antiquitus fuerit ligneus; nunc debet esse argenteus. *c. vasa, de consec. d.* 1. & non de ære, vel de auricalco, nec de vitro, vel ligno, *c. vt calix, de consec. d.* 1. Item super idem crimen non est semel, & iterum quærendum. *c. de bis, de accusat.*

CLEMENTIN. LIB. III. DE CELEBRAT. MISSARVM, *& alijs diuinis officijs.* Tit. XIV.

1692 *Cap.* Graui.

SI Superiores locorum sint negligentes, eorum Superiores curent vt cathedralibus, regularibus, & collegiatis ecclesijs horis debitis deuotè psallatur, & in alijs conuenienter, & deuotè celebretur diuinum officium nocturnum, & diurnum, & curent per censuras,

ſuras, vel alia remedia, prout poterunt; compeſcant contradictores, & faciant vt ſeruentur canones in his, & in alijs quæ pertinent ad diuinum cultum, reformationem, & honeſtatem eccleſiarum, & cœmeteriorum. v. g. vt non recitent tranſcurrendo, imminuendo, immiſcendo extranea, vana, profana, inhoneſta colloquia, tarde veniendo ad chorum, ante finem officij exeundo ſine cauſa, aues portando, vel faciendo portari, canes venaticos ſecum ducendo, ſine habitu vel tonſura, vel nimis indeuotè, in cœmeterijs choreas diſſolutas faciendo, diebus feſtis canendo cantilenas inſolitas, &c. vel ſeruiendo cum vaſis, veſtimentis, & ceteris ornamentis indecentibus, penſatis eorum facultatibus, & ſimilia.

1693 *Cap.* Dignum.

CLerici etiam Religioſi, qui ſunt commenſales domeſtici Cardinalium, vel aliorum Pontificum catholicorum, poſſunt ſe commodare in diuinis officijs ſuis Prælatis, ideſt dicant idem officium quod dicunt ipſi; nec tenentur ad aliud dicendum.

Gloſ. Nomine Pontificum non veniunt electi in Epiſcopos, vel confirmatos, niſi ſint conſecrati; etiam in conceſſione priuilegiorũ. Item monachus Prælatus eccleſiæ ſecularis dicet officium clericale, non monachale. *d.*22.*q.*185.*ar.*8.

EXTRAV. COMM. LIB. III.

DE CELEBR. MISSAR.

1694 *Cap.* Diſcipulorum. *Ioan.xxij.*

INdicuntur preces dicendæ in Miſſa pro eccleſiæ neceſſitate, cum indulgentia 20. dierum.

DECRETALIVM LIBER III.

DE BAPTISMO, ET EIVS effectu. Tit. XLII.

1695 *Cap. I.* Si quis. *Alex. iij.*

SI omittatur, *Ego te baptizo*, licet ter immergatur, & dicatur, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, non eſt baptiſmus.

Gloſ.

Gloſ. Verbum (ego) non eſt de ſubſtantia formæ, quia vox hæc (baptizo) facit plenum ſenſum ſine (ego) *c. retulerunt, de conſecr. diſt.*4. Item quando in *c. à quodam, de conſecr. d.*4. dicitur valere baptiſmum in nomine Trinitatis, Trinitatis intelligitur explicite, & in nomine Chriſti virtualiter.

1696 Cap. II. De quibus.

QVando dubitatur an quis ſit baptizatus, eſt baptizandus ſub conditione, ideſt, ſi es batizatus non te baptizo: ſi non es baptizatus, ego te baptizo, &c.

Gloſ. De hoc *c. nullum, de conſecr. d.*4. *c. ſolemnitaies, d.*1. & in ordinatione *c. presbyteri diſt.* 68.

1697 Cap. III. Maiores.

BAptiſmus vtiliter confertur paruulis, licet actu non credant, nec intelligant, nec ament, quia remittit culpam originalem, & aperit cælum. Baptiſmus ſucceſſit circumciſioni, quæ non aperiebat cælum, & ſic dandus paruulis. Item dicere, quod ſit ſeruanda lex Moſaica, & Euangelica, hæreticum eſt. Item paruulis infunduntur virtutes. Item Iacobus: *Charitas operit multitudinem peccatorum*. & Luc. 7. *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, loquuntur de adultis. Item peccatum originale, quia contrahitur ſine conſenſu, remittitur etiam ſine conſenſu, vi ſacramenti. Peccatum actuale, quia committitur cum conſenſu, nec ſine conſenſu relaxatur: vt in adultis, qui ſi dormientes baptizentur, non iuſtificantur; & cum actuale non remittatur, eius pœna eſt gehenna. Nec remittitur originale, cuius pœna eſt carentia viſionis; Trid. ſeſſ. 5. alioquin videret Deum, qui cruciaretur in gehenna; ſed Dei perfecta ſunt opera. Item qui terroribus, & ſuppliciis violatur, trahitur; & ne aliud detrimentum incurrat, ſuſcipit ſacramentum Baptiſmi, vere eſt baptizatus habens characterem, & eſt cogendus ad obſeruantiam fidei Chriſtianæ, quia conditionaliter vult, licet abſolutè nolit, ſicut de eo, qui ficte accedit; & ſic intelligitur Conc. Tolet. *c. de Iudæis, d.*45. Qui verò numquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipit, & non erit baptizatus ſi baptizetur: ſicut qui contradicit, & reclamans cogitur violenter thurificare idolis, non eſt reus alicuius culpæ, nec eſt compellendus ad obſeruãtiam legis Chriſtianæ taliter baptizatus. Item ſi dormientes, & amentes baptizentur, antequam dormirent, vel inſanirent contradicebant, non recipiunt characterem, quia intelligitur propoſitum contradictionis durare in eis: ſi vero non contradi-

tradicebant sed erant cathecumeni cum proposito baptismi, tales: si baptizentur, vt consueuit Ecclesia baptizare, recipiunt caracterem quia non posuerunt obicem.

Glos. Voluntas coacta, voluntas est.

1698 *Cap. IV.* Debitum.

SI quis se ipsum baptizaret infundendo aquam supra se dicendo, *ego me baptizo*, non esset baptismus, sed esset denuo baptizandus, quia inter baptizatum, & baptizantem debet esse differentia. Matt. 10. *Ite baptizate omnes gentes, &c.* & Christus voluit baptizari: & sicut in carnali generatione alius est qui gignit, alius qui gignitur, sic & in spirituali oportet denuo nos nasci; & nisi quis renatus &c. tamen qui se ipsum baptizat non habens copiam alterius, si moreretur, saluaretur propter fidem sacramenti, non proter sacramentum fidei, idest ob sacramentum in voto.

1699 *Cap. V.* Non vt.

IN quocumque casu deest in baptismo materia, vel forma, idest verbum, vel elementum, non est baptismus.

1700 *Cap. VI.* Licet græcos.

PRæcipitur Græcis ne baptizent eos qui fuerunt baptizati à Latinis, sub pœna excommunicationis & depositionis ab officio & beneficio; nec debent reputare coinquinata altaria, super quibus Latini celebrarunt, & consequenter nec lauare antequã sacrificent.

Glos. Qui hoc faciunt, sunt ipso iure excommunicati.

CLEMENTIN. LIB. III.
DE BAPTISMO, ET EIVS effectu. Tit. XV.

1701 *Cap.* Præsenti.

PRæcipitur vt baptismus conferatur in ecclesijs, in quibus sunt fontes ad hoc specialiter deputati; & prohibetur ne fiat in aulis, vel cameris, vel alijs priuatis domibus. Excipiuntur duo casus: primo nisi sint filij Regum, vel Principum: secundo, quando esset talis necessitas, vt sine periculo non posset ad ecclesiam duci. Qui secus facere præsumpserit, vel suam in hoc præsentiam exhibuerit, ita castigetur ab Episcopo, vt alij id attentare non præsumant.

Glos.

Glos. Nomine Principis intelligitur pro notabili Potentato merito comparando Regiæ dignitati; vnde hoc decretum non extenditur ad Marchionem, Comitem, Ducem, Baronem, nec ad Tyrannos, licet sint in Regia potestate. Idem dicitur de nepotibus natis ex filijs Regum, & Principum descendentibus ex masculis, & naturalibus, quia text. dicit, liberi, & non, filij: nam nomine filiorum non veniunt nepotes.

DECRETALIVM LIB. III.

DE PRESBYTERO NON baptizato. Tit. XLIII.

1702 *Cap.* Si quis. *Innoc. iij.*

SI Presbyter cognoscitur non fuisse baptizatus, denuo baptizetur, & iterum ordinetur.

Glos. Baptismus est ianua, ideo ordo non tenuit.

1703 *Cap.* Apostolicam.

PResbyter non baptizatus si moriatur, saluatur: quia perseuerantia in fide, & confessione Christi, etiam baptismus in voto, quando non potest in re, soluit peccatum originale, ex Augustino & Ambrosio: & sic possumus offerre sacrificia, & preces in ecclesia pro eo.

1704 *Cap.* Veniens.

LIcet aliqui putarint non baptizatum, si ordinetur, accipere characterem, quia & si non per sacramentum baptismi, saltem per fidem factum est membrum Christi habens in se fundamentum, idest Christum, præsertim quia sine hoc sacramento potest sumi sacramentum coniugij, ergo & ordinis: tamen quia Conc. in *c. si quis præsbiter eod.* determinat oppositum, tamquam tutius, ideo presbyter non baptizatus est iterum baptizandus, & ordinandus; nec dicetur reiteratũ, quod ambigitur esse factum; nec male de sacramento sentitur, cum ex necessitate, non ex contemptu relinquitur. Item qui est natus ex parentibus Christianis, & inter Christianos est fideliter conuersatus, ita præsumitur esse baptizatus, vt hæc præsumptio sit habenda pro certitudine, donec euidentissimis argumentis forsan contrarium probaretur.

Glos. Cathecumeni licet non sint adhuc baptizati, possunt tamen

men accipere Eucharistiam. *Sot.in 4.dist.12.q.1.* 43. Item quando certum est quod non sit baptizatus, est simpliciter baptizandus. Si dubium, sub conditione. Item violenta præsumptio admittit probationem in contrarium.

DECRETALIVM LIB. III.
DE CVSTODIA EVCHARISTIÆ, chrismatis, & aliorum sacramentorum. Tit. XLIV.

1705 *Cap. I.* Statuimus. *Innoc.iij.*

Trid. sess. 13. c. 6. CHrisma & Eucharistia debent fideliter sub clauibus custodiri: & si is ad quē spectat custodia, incaute illa relinquit, suspendatur ab officio tribus mensibus; & si pro eius incuria nefandum quid acciderit, puniatur grauiori pœna.

Glos. Idem *de celeb.miss.c.sane*. Item Eucharistia non debet ferri ad infirmos per laicos, sed per presbyteros, *c. peruenit de consecrat. d.* 2. vel per Diaconum, si necesse sit. *c. presente* & *c.diaconus. d.*33. Item qui facit culpam, tenetur ad ea omnia quæ sequuntur ex culpa. *c.de neptis* 31. *q.*2. Item hæc pœna erit ad arbitrium Iudicis, quia non determinatur hic. *c.de causis de officio delegat.*

1706 *Cap.* Relinqui.

PRohibet ne supellectilia clericorum, vel laicorum admittantur in ecclesijs, nisi propter hostiles incursus, aut repentina incendia, aut alias vrgentes necessitates; & cessante necessitate res ad pristina loca reportentur. Item præcipit vt oratoria, vasa, corporalia, vestimenta, pallæ altaris, munda, & nitida conseruentur: quia nimis videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in prophanis.

Glos. In ecclesijs potest, & debet iudicium ecclesiasticum exerceri. *c. præceptum* 2. *q.*2. Sed non sæculare *c.*1. *de immun. eccles.*

DECRETALIVM LIB. III.
DE RELIQVIIS, ET VENERAT. Sanctorum. Tit. XLV.

Cap.

1706 *Cap.* Audiuimus. *Alex. iij.*

NOn licet alicui venerari aliquem pro Sancto, etiam si fierent miracula super eum, sine auctoritate Papæ, & multo minus si in ebrietate fuerit occisus.

Glos. Assidua ebrietas est peccatum mortale. *cap. nullus, de consecrat. dist. 5.* & *cap. ea demum, dist. 25.* & *cap. Episcopus, dist. 35.* alioquin est veniale. *D. Thom. 2. 2. q. 150. art. 2.*

1707 *Cap.* Cum ex eo.

ANtiquæ reliquiæ extra capsam nullatenus ostendantur, nec exponantur venales. Item reliquias de nouo inuentas nemo venerari præsumat, nisi prius auctoritate Ro. Pont. fuerint approbatæ. Item prælati non permittant eos, qui ad eorum ecclesias causa venerationis accedunt, varijs figmentis, vel falsis documentis decipi, vt fieri solet in pluribus locis, occasione quæstus.

Glos. Nec spiritualia, nec spiritualibus annexa vendi possunt. *cap. querelam, de simon. cap. de iure, de iurepatr.* & qui vendit spiritualia, committit capitale crimen cum simonia. *cap. qui studet, 1. q. 1.*

IN SEXTO LIB. III.
DE RELIQVIIS, ET VENERAT. *Sanctorum.* Tit. XXII.

1708 *Cap.* Gloriosus.

FEsta duodecim Apostolorum, quatuor Euangelistarum, & quatuor Doctorum SS. Gregorij, Augustini, Ambrosij, & Hieronymi, præcipitur annis singulis in perpetuum per vniuersas mundi ecclesias sub duplici officio solemniter celebrari.

Glos. Est licitum cuique orare in secreto aliquem defunctum, quem sanctum credit, vt pro se intercedat apud Deum, quamuis solemniter publicè non liceat. Item ad canonizandum sanctos multa sunt inquirenda, quæ vide ibi.

CLE-

materia peccare mortaliter, errat; & libri de hac materia scripti sunt reprobati à Sede Apostolica: & qui in sermonibus, aut quomodolibet audet affirmare prædictas propositiones reprobatas à Papa esse veras, vel posse teneri libros, ipso facto est excommunicatus, & reseruatus Papæ. Item iisdem pœnis, & censuris supponitur qui audet dicere, esse hæresim, vel peccare mortaliter eum qui credit, & tenet contrariam opionionem: & pro incurrenda hac excommunicatione reuocantur priuilegia etiam de verbo ad verbũ. Item transumpto manu publici notarij contecto, & authenticato sigillo alicuius Prælati ecclesiastici est standum, sicut litteris originalibus, si exhiberentur.

DECRETALIVM LIB. III.

DE OBSERVAT. IEIVNIORVM. Tit. XLVI.

1712 *Cap. I.* Ex parte. *Innoc. iij.*

QVando aliquod festum venerit in die Lunæ, eius vigilia ieiunabitur in Sabbato. Item vigilia S. Matthæi Apostoli debet ieiunari.

1713 *Cap. II.* Consilium.

VIgiliæ omnium Apostolorum sunt ieiunandæ præter vigilias SS. Philippi, & Iacobi, & S. Ioannis Euangelistæ, quia celebrantur in solemnitate Paschali, & Natalis Domini. Item ieiunium Aduentus agebatur Romæ. Item festum S. Bartholomæi celebretur secundum consuetudinem loci. Item qui propter necessitatem, idest ne pereant, in quadragesima carnes comedunt, non peccant, nec sunt puniendi: bene quidem est orandum pro ipsis, ne Deus imputet hoc, quia bonarum mentium est ibi timere culpam, vbi minime reperitur. Item seruetur consuetudo loci, dummodo non emergat periculum infirmis, & debilibus circa comestionem carnium. Item quando infirmi tempore ieiunij petunt vesci carnibus, cum vrgens necessitas exigit, debet concedi, vt euitetur in eis maius periculum.

Glos. Tempore festiuitatis Paschalis nullum ieiunium est necessitatis. *can. ieiunium. d. 76.* nisi Rogationes, & Pentecostes. *can. Rogationes, de consecr. d. 3.*

1714 *Cap. III.* Explicari. *Honor.iij.*

SI Natiuitas Christi venerit feria vj. est licitum omnibus vesci carnibus secundum consuetudiné ecclesiæ generalis. Excipiuntur illi, qui habent votum, vel regularem obseruantiam in contrarium. Si vero aliqui ob deuotionem velint illa die abstinere à carnibus, non sunt reprehendendi.

Glos. Qui vouerunt non comedere carnes, & nihil exceperunt, tenentur etiam in die Natiuitatis abstinere, *cap.quia circa,de priuileg.* Item consuetudo generalis ecclesiæ est seruanda tamquam lex. *cap. perniciosus,de celebrat. Missar.*

DECRETALIVM LIB. III.

DE PVRIFICATIONE POST partum. Tit. XLVII.

1715 *Cap.* Volens. *Greg.iij.*

MVlier post partum potest statim ingredi ecclesiam, quia euanuit vmbra legis,& illuxit veritas Euangelij. Si tamen ex veneratione aliquandiu velit abstinere, non est improbanda eius deuotio.

DECRETALIVM LIB. III.

DE ECCLESIIS ÆDIFICANDIS, vel reparandis. Tit. XLVIII.

1716 *Cap. I.* Quicumque.

Trid. sess. 7. Ref 8.

HAbens beneficium ecclesiasticum contribuere omnino tenetur, vel adiuuare ad reparationem, vt ad tecta restauranda, vel ecclesias emendandas.

Glos. Intelligitur quando quarta ad hoc deputata non sufficit. *cap. vnio, 10. quæst.3.*

1717 *Cap. II.* Cum dicat.

VBi aliqui leprosi congregantur sub communi vita,permittitur eis construere sibi ecclesiam cum cœmeterio, & habere proprium presbyterum,sine iniuria tamen veterum ecclesiarum: quod enim eis ex pietate conceditur,non debet redundare in aliorum iniuriam.

iuriam. Item de hortis, & nutrimentis animalium suorum non cogantur soluere decimas.

Glos. De alijs tenentur, nisi sint religiosi. Item sex vel pauciores sufficiunt, dummodo velint ecclesiam dotare. Item veteres ecclesiæ per nouas non debent lædi. ***cap. quicumque***, ***16. q. 1.*** Item nullius inopia est releuanda cum iactura alterius; & si Princeps concedit alicui ædificare in loco publico, intelligitur sine damno alterius; & beneficia Principis sunt interpretanda, vt incipiant non esse iniqua.

1718 *Cap. III.* Ad audientiam. *Alex. iij.*

QVando aliqua villa valde distat ab ecclesia Parochiæ, vt sit incommoda, potest ædificari ecclesia in illa, & dotari, & prouentus illius villæ, ac dos dentur sacerdoti eligendo à persona maioris ecclesiæ, dummodo maior ecclesia habeat sufficientes redditus præter eos villæ. Et si Rector illius Parochiæ, vel maioris ecclesiæ sit negligens in eligendo, Episcopus eligat, & seruetur debitus honor villæ erga matricem.

Glos. Vel vt detur aliquid annuatim parochię arbitrio Episcopi, vel vt veniant ad scrutiniũ, & baptisma, & cap. & simile; vel seruetur illi sepultura, vel simile. Itẽ Rector præsentet eum cũ consensu patroni. Item ex iusta causa potest cõstitui ecclesia in parochia, & in vita cũ conditionibus prædictis: iusta causa erit difficultas. Item in tali causa Episcopus non potest dare huic nouæ ecclesiæ decimas loci.

1719 *Cap. IV.* De his.

REctores ecclesiarum parochialium possunt compelli, vt de bonis Ecclesiæ, quæ eis supersunt, conferant ad reparationem, & institutionem ecclesiarum, vt eorum exemplo alij inuitentur.

1720 *Cap. V.* Ad audientiam. *Vrb. iij.*

COnceditur à Papa cuidam petenti, vt in ecclesia cathedrali cũ consensu Ordinarij possint institui Canonici Regulares: verum clericis secularibus, qui supersũt in illa ecclesia, nullũ fiat præiudiciũ: sed dũ vixerint, prouideantur de necessarijs. Itẽ de iure non conceditur priuilegium nõ existẽtibus adhuc canonicis, v.g. Regularibus.

Glos. Hæc indulgentia valet, vt clericis inuitis possint institui Regulares, dummodo illis prouideatur, quia sine licentia Papæ possent institui cum consensu Episcopi, & clericorum. Item prouisio potest fieri etiam alibi ab Episcopo, & honestius. Item gratia non conceditur cum præiudicio tertij *c. cum dicat, eod.* Item non datur priuilegium rei, quæ non est; & sic non dicitur rescriptum ante lites.

eorum fautores. Item si Episcopus, & Clerus videant tantam necessitatem, vel vtilitatem, vbi laicorum non suppetunt facultates, possunt absq. vlla exactione dare subsidia per ecclesias.

Glos. Etiam inspecta necessitate, per Episcopum non possunt aliquid conferre sine consensu Papæ. *cap. aduersus, eod.* Item possunt conferre ad releuandum, vt alij possessores, ad iter faciendum pontem ædificandum, vel reficiendum. Item admoniti si non satisfecerint intra mensem, sunt excommunicati. *cap. aduersus, eod.*

1726 *Cap. V.* Cum ecclesia,

PRohibetur sub pœna excommunicationis ne Iudices sæculares agitent causas, vbi de effusione sanguinis, vel pœna corporali agitur, in ecclesia vel cœmeterio: quia vbi est constituta tutela refugij, absurdum, & cludele est ibi iudicium sanguinis exerceri.

Glos. Maxime prohibetur causa sanguinis, quia nec aliæ causæ sæcularium possunt tractari, *cap. 1. eod.* secus de ecclesiasticis, etiam si essent interdicti. Idem de cœmeterijs, quia gaudent eod. foro. *cap. consuluisti de consec. ecc.* Item sunt excommunicandi, non excommunicati.

1727 *Cap. VI.* Inter alia. *Bonif. viij.*

REus cuiuscumq. maleficij, si confugerit ad ecclesiam, non est inde violenter extrahendus, nec inde damnandus ad mortem, vel pœnam corporalem, sed Rectores ecclesiæ obtineant vitam, & membra. Potest tamen aliter legitime puniri, v. g. in pecunijs, duobus casibus exceptis. Primo si fuerit publicus latro: secundo nocturnus depopulator agrorum, qui obsidet itinera frequentata, & publicas vias insidijs aggressionis. Si vero seruus fugiat ad ecclesiam, tunc Dominus iuret clericis de impunitate serui, & reddatur Domino etiam inuitus.

Glos. Præter illos duos casus, & si Iudæus confugeret ad ecclesiam, non est dandus.

1728 *Cap. VII.* Aduersus.

IN necessitatibus, & vtilitatibus Ciuitatum, vel aliorum locorum etiam, cum non suppetunt facultates laicorum, clerici non possunt conueniri, vt dicebatur *supra cap. non minus*, nisi prius consulatur Papa. Item constitutiones, & sententiæ, quibus laici imponunt collectas vel onera clericis, sunt nullæ, & nullo vmquam tempore valituræ. Item excommunicatus ob prædicta, nisi satisfecerit etiam si relinquat officium, remanet excommunicatus; & qui suc-

cedit officio, si intra mensem nõ satisfaciat, remanet excõmunicatus.

Glos. Requiritur monitio, vt in *cap. non minus*. Item sententia lata ab excommunicato est nulla.

1729 *Cap. VIII.* Quia plerique.

PRælati qui pro procuratione, vel seruitio impendendo Legato, vel alteri plus extorquent à subditis, quàm impendāt, si præsumpserunt, restituant extorta, & tantundem cogantur dare pauperibus. Item Superior, apud quem fit querela, si est negligens pro executione huius statuti, puniatur canonice.

Glos. In isto casu datur pauperibus tantundem, quantum vltra quam debuit, extorsit. *c. procurationes, de cens.* datur eidem ecclesiæ simile. *cap. ad liberandam, de Iudæis*.

1730 *Cap. IX.* Ecclesiæ.

ECclesia licet non consecrata, si in ea diuina officia celebrantur, gaudet immunitate, quia dedicata obsequijs diuinis non est prophananda vsibus temerarijs.

Glos. Si in ea non celebrantur diuina officia, non gaudet nec dicitur in ea committi sacrilegium; nec aspergenda est, si quid in ea turpe commissum sit, nisi velint in ea celebrari. Item ecclesia non consecrata si in ea celebrentur diuina officia, gaudet immunitate; & si sit polluta sanguine, vel semine, antequam in ea celebretur, debet aqua exorcizata lauari. *c. vlt. de consecrat. eccl.* & *c. ecclesia, de consecrat dist.* 1. & fugientes in eam gaudent immunitate. *cap. inter alia, eod.* Item quidquid est Deo consecratum, non debet redire ad vsus prophanos, & humanos. *cap. mancipia de rer. permut.* & *c. ad hæc, de relig. domibus*.

1731 *Cap. X.* Immunitatem.

QVi sub spe immunitatis in ecclesijs, vel cœmeterijs delinquūt, non gaudent immunitate, quia reddiderunt se ea indignos.

IN SEXTO LIBER III.

DE IMMVNIT. ECCLESIARVM, & aliorum locorum religiosor. Tit. XXIII.

1732 *Cap. I.* Quia nonnulli.

NOn licet laicis habentibus iurisdictionē temporalem, vel temporalem iustitiam exercentibus, vel communijs, imponere colle-

collectas, talias, vel quascumque exactiones ecclesijs, vel personis ecclesiasticis; vel exigere ab eijsdem pro bonis legitime acquisitis, vel in posterum acquirendis, etiam si huiusmodi bona sint in ipsorum districtu. Item non liceat eis coarctare ecclesias, vel ecclesiasticas personas ad distrahendum, vel alienandum, vel extra manum suam ponendum dicta bona iam acquisita, vel acquirenda.

Glos. Si ecclesiæ tradatur prædium tributarium, ecclesia soluet tributum, quia transit cum onere suo. ***cap. cum tria, de decimis***, & ***cap.*** **1.** ***de censibus***.

1733 *Cap. II.* Decet domum. *Greg. x.*

AD ecclesias sit humilis, & deuotus ingressus, in eis quieta conuersatio, Deo grata, hominibus placita; reuereantur nomini Iesu, quando nominatur in Missa, saltem capitis inclinatione: orent: & in illis nemo excitet seditionem, conclamationem, impetum, cessent ibi vniuersitatum consilia, & parlamenta, vana colloquia, confabulationes, & omnia quæ possunt turbare diuina officia, vel Deum offendere. Item in ecclesijs, & cœmeterijs cessent negociationes, nundinæ, & tumultus, fori, strepitus iudicij sæcularis, & omnis causa maxime criminalis. Item ordinarij faciant prædicta obseruare per alios deputatos, vt contrafacientes timeant vltra peccatum mortale, pœnas, ac censuras ecclesiasticas. Item processus Iudicum sæcularium, & sententiæ sunt nullæ.

Glos. Nota quod Iudex ecclesiasticus potest sedere pro tribunali in ecclesia. ***cap. qua fronte, de appellat.*** Item non debent fieri contractus in ecclesia; & qui contrahit, peccat, licet contractus teneat: quia in textu tantũ initantur processus, & sententiæ iudicum: constitutio autẽ non extendenda, quia pœnalis. ***c. in pœnis, de reg. iur.***

1732 *Cap. III.* Clericis. *Bonif. viij.*

PApa dolet quod ecclesiastici timentes vbi non erat timendum, & quærentes pacem temporalem, acquiescunt laicis imponentibus tallias, & alia onera ecclesiasticis. Item omnes ecclesiastici, qui tallias soluunt, vel promittunt, vel consentiunt se soluturos sub prædictis, vel alio quouis titulo, prætextu, & colore, necnon etiam laici, qui ista imponunt, exigunt, vel recipiunt, aut faciunt arrestari, vel occupari; & dantes auxilium, consilium, vel fauorem sunt excommunicati reseruati Papæ. Vniuersitates vero sunt interdictæ Papæ, non obstantibus quibuscumque priuilegijs sub quacumque forma. An sit reuocatum, vide ibi.

1735 *Cap. IV.* Quoniam.

QVi in causis ecclesiasticis, vel ad forum ecclesiasticum ratione personæ, negocij, vel rei pertinentibus de iure, aut antiqua consuetudine impedit ne quis impetret litteras Apostolicas, vel litiget coram Iudice ecclesiastico, vel delegato tam indirecte, quam directe per se, vel per alium, est excommunicatus, sicut dantes, auxilium, consilium, vel fauorem, donec Iudici ecclesiastico, & parti impeditæ satisfecerint. Nota casum, in quo faciens iniuriam laico est ipso iure excommunicatus.

Glos. Turbans iurisdictionem ecclesiasticam quamuis caueat de satisfaciendo tum iudici ecclesiastico, tum parti turbatæ in prosecutione sui iuris, non debet absolui nisi prius effectualiter satisfecerit. Idem de excommunicato pro manifesta offensa. *c. ex parte, de verb. signif.* & idem pro manifesta contumacia. *cap. venerabilibus. §. secus, inf. de sentent. excommun.*

1736 *Cap. V.* Eos qui.

DOmini sæculares interdicentes suis subditis ne contractus cum ecclesiasticis faciant, vel communia obsequia exhibeant, sunt excommunicati ipso facto.

CLEMENTIN. LIB. III.
DE IMMVNIT. ECCLESIARVM.
Tit. XVII.

1737 *Cap.* Quoniam.

REuocat *c. clericis, eod. in 6.* & eius declarationes, & pro infectis vult haberi quicquid ex eo sit factum, & vult seruanda esse omnia iura antiqua.

EXTRAV. COMM. LIB. III.
DE IMMVNIT. ECCLESIARVM.

1738 *Cap.* Quod olim.

CApit. *clericis in 6.* quod fuit reuocatum *in Clem. quoniam*, habet locum quantum ad pœnas in exigentibus tantum, & ad id dantibus consilium, auxilium, fauorem; non item in soluentibus

etiam

etiam sponte. Ceterum clerici non dent nisi in casu necessitatis, vel vtilitatis, quando facultates laicorum non sufficiunt; & de licentia Papæ aliquid contribuere possunt. *c.non minus.c.aduersus,eod.*

DECRETALIVM LIB. III.

NE CLERICI, VEL MONACHI, secularibus negotijs se immisceant. Tit. L.

1739 *Cap. I.* Multa sunt.

PRohibetur ne clerici, vel monachi se immisceant negotijs secularibus; & enumerat quædam; v.g. plus iusto accipere, munera iniusta percipere, vel dare, conducere aliquem pretio pro aliquo sæculari quæstu clericis prohibito, amare lites, rixas, contentiones, in placitis sæcularium disputare, (excipitur tamen defensio orphanorum, aut viduarum) & esse procuratores, aut conductores rerum secularium, ioculatorem, idest non sit ioculator turpis, verbi vel facti, iocum secularem diligere, aleas amare, ornamentum inconueniens quærere, in delicijs velle viuere, gulam vel ebrietatem sequi, pondera iniusta vel mensuras habere, negocium iniustum exercere, (iustum autem negocium potest facere propter necessitatem) habere canes, vel aues ad venandum, interesse causis superfluis. & similia.

Glos. Clericus succedens conductori potest in conductione remanere. *arg. l. Decurio, ff. de decur.*

1740 *Cap. II.* Sacerdotibus. *Eugenius.*

CLerici non sint ministri negociorum, nec procuratores laicorum. Quod si moniti præsumpserint deinde facere oppositum, & deprehendantur in fraude in re pecuniaria occasione negociorum, ecclesia ijs non subueniat.

Glos. Ecclesia non adiuuat clericum in fraude commissa cum pecunia, vel alio auxilio; & postquam ter monitus est, habeatur alienus ab ecclesia; non tamen sic, quod laicus possit illum simpliciter capere.

1741 *Cap. III.* Non magnopere.

REligiosi professi non permittuntur exire ad legendum Physicam, vel mundanas leges audiendum; & si exierint, & intra duos

duos menses non reuertantur ad claustrum, sunt euitandi tamquam excommunicati; & si velint patrocinari, in nulla causa audiantur; & reuersi habeant vltimum locum in Choro, capitulo, mensa & cœteris; & amittant spem promotionis.

Glos. Quot modis possit fieri compensatio, & in quibus.

1742 *Cap. IV.* Sed nec.

Clericus si præsumit accipere procurationes, aut iurisdictiones sæcularium, vt iustitiarius fiat illorum, est deponendus ab ecclesiastico ministerio; & si fuerit religiosus, strictius puniatur.

1743 *Cap. V.* Clericus.

Clerici in sacris constituti non iudicent in causa sanguinis, nec per se nec per alios mutilent. Contra facientes autem ab officio, & beneficio sunt priuandi. Item sacerdos non habeat officium Vicecomitis, aut Præpositi secularis; & qui præsumpserit contra facere, & admonitus non emendatur, est excommunicatus.

Glos. Clericus habens iurisdictionem temporalem, ipsemet non iudicet, vel consulat, vel consentiat, vel dictet, vel intersit: alioquin fit irregularis. *c. sententia eod.* Sed committat generaliter laicis, vt vindicent de malefactoribus; & si reus appellet ad ipsum, iterum deleget alteri, quia ipsi per se non licet.

1744 *Cap. VI.* Secundum.

Svb excommunicatione prohibetur ne monachi clericiue causa lucri negocientur. Item monachi nomine proprio non conducant possessiones à Clericis vel à laicis; nec laici teneant ecclesias sub titulo conductionis.

Glos. Non causa lucri, sed causa necessitatis possunt negociari. *c. 1. eod.* sicut etiam possunt nomine monasterij necessitatis causa conducere possessiones.

1745 *Cap. VII.* Relatum.

Monachi, qui sæculariter viuunt, & sunt incorrigibiles, expellantur, & in monasterium introducantur reformati, vel eiusdem ordinis sint, vel saltem alterius, appellatione remota, *c. reprehensibilis, de appellat.*

Glos. Facit hoc Episcopus auctoritate sua, *arg. c. Abbates 18. q. 2.*

1746 *Cap. VIII.* Sicut.

Clericus in sacris per beneficiorum subtractionem compellendus est vt ab officio Tabellionis desistat.

Glos

Glos. Clericus neque in ecclesiastica causa, & coram Iudice ecclesiastico potest esse tabellio.

1747 *Cap. IX.* Sententiam. *Innoc.iij.*

CLericus non dictet nec proferat sententiam sanguinis, nec vindictam sanguinis exerceat, nec vbi exercetur intersit, nec literas dictet vel vlli scribat pro vindicta sanguinis, neq. viris sanguinũ præponatur, nec clericus in sacris exerceat artẽ chirurgiæ, quæ adustionem vel incisionem inducit; nec impendat ritum consecrationis, vel benedictionis purgationi aquæ feruentis, vel frigidæ, vel ferri candentis, saluis prohibitionibus de duellis, vel monomachijs.

Glos. Clericus si intersit vbi fit vindicta sanguinis, licet non fiat irregularis, nec deponendus sit; tamen quia facit contra hoc cap. debet alias puniri.

1748 *Cap. X.* Super specula. *Honor. iij.*

QVod dicitur supra in *c. non magnopere*, Religiosos extra claustra exeuntes ad audiendas Leges, vel Physicam, nisi intra duos menses reuertantur, tamquam excommunicatos habendos cum alijs pœnis, extenditur hic ad excommunicationem ipso facto; ita vt Episcopi tum proprij, tum locorum, vbi student, publicent tales incurrisse pœnas *d.c non magnopere*. Insuper vt studium Theologiæ amplietur, idem cap. cum suis pœnis extenditur ad Archidiaconos, Decanos, Plebanos, Præpositos, Cantores, & alios clericos personatus habentes, & ad presbyteros.

Glos. Spatium præscriptum, duo menses, sunt numerandi à tempore publicationis huius capituli. Cum autem hodie sit iam publicatum, nullus iam potest se excusare. Episcopus tamen potest hos clericos absoluere, & dispensare, vt promoueantur, ex quo conditor huius constitutionis non reseruauit sibi absolutionem; & ideo alijs relicta videtur. *cap. nuper, inf. de sent. exc.*

IN SEXTO LIB. III.
NE CLERICI, VEL MONACHI secular. negocijs se immisceant. Tit. XXIV.

1749 *Cap.* Statutum. *Bonif. viij.*

CApitulum, *Super specula, eod. tit. in decretal.* non extenditur ad clericos, qui habent parochiales ecclesias, nisi sint ecclesiæ pleba-

plebaniæ, in quibus sint capellæ, ad quas clerici sint perpetuo instituti; ita vt sine rationabili causa ab illis amoueri non possint. Nota quod Rectores ecclesiarum, qui sub se non habent capellã, in qua instituitur Vicarius perpetuus, vt est Archipresbyter, possunt audire Leges, vel Physicam etiam intra tempus quo non fiunt sacerdotes, licet postea teneantur ordinari.

Glos. Non debet audire Physicam sub specie curandorum languentium fratrum, idest medicinam. Item sæpe cum alijs dispensat Papa, vt audiant leges. ***cap. cum ex eo de elect. in 6.***

1750 *Cap.* Vt periculosa.

Religiosus professus, qui temere habitum relinquit, vel sine licentia sui prælati vna cum consensu sui Conuentus, vel maioris partis eiusdem, ad quæcumque studia accedat, est ipso facto excommunicatus. Item Doctores, seu Magistri, qui scienter docent, aut in solitis suis scholis præsumpserint retinere religiosos suo habitu dimisso, audientes Leges, vel Physicã, eo ipso sunt excõmunicati.

Glos. Notat quod si excommunicatus non vult exire à scholis, debet Doctor exire à schola.

1751 *Cap.* Episcopus.

Clericus habens iurisdictionem temporalẽ, si in sua iurisdictione committatur delictum dignum morte, & ipsa delegat seu iniungit alicui vt veritatem inquirat, & iustitiam exequatur; si delegatus mutilat talem, clericus non fit irregularis; eo quia, licet clericus non possit agitare causam sanguinis, tamen in sua iurisdictione temporali potest illam delegare sine irregularitate. Nota ex hoc cap. quod clericus habens iurisdictionem potest dare officialem non solum generalem, sed etiam specialem ad talem causam sanguinis; dummodo non dicat vt talem interficiat, sed vt circa hoc exequatur iustitiam bonam: & si officialis magis excitatus ex iussione Principis illum interficiat, Princeps non erit irregularis.

Glos. Clerici iniuriam passi quomodo conqueri possint, vide. ***cap. Prælatis de homicid.*** Item si clericus mandat officiali vt iustitiam exequatur, & ille delinquat in executione, non imputatur clerico, nec dicitur esse in culpa.

FINIS LIBRI TERTII.

DE-

DECRETALIVM
LIBER QVARTVS.
DE SPONSALIBVS, ET Matrimoniis. Tit. I.

1752 *Cap. I.* De Francia.



I Matrimonium quis contrahat, non secundum leges, & consuetudines illius loci, matrimonium tenet: & si prima dimissa aliam ducit, debet secundam dimittere, & reuerti ad primam; & subijciatur pœnitentiæ, quia primam dimisit, & secundam accepit.

Glos. Quia solus consensus facit matrimonium, etiam si omittantur solemnitates iuris, vel consuetudinis: ideo spectanda est potius intentio contrahentium, quam verba.

1753 *Cap. II.* Præterea. *Innoc.iij.*

QVi contrahunt sponsalia, seu matrimonium de futuro, pure sine conditione, fide hinc inde data; si deinde ad inuicem nolint contrahere, sunt admonendi, vt datam fidem seruent: Sed deinde non sunt cogendi, sed tolerandi, ne quid deterius contingat, cùm eam ducit, quam odio habet; sicut qui contrahunt societatem data fide, & postea eam ad inuicem sibi remittunt.

Glos. Si iurassent, videntur compellendi. *c.ex litteris eod.* sed contra, *c. requisiuit eod.* & melius, &c.

1754 *Cap. III.* Iuuenis. *Eugenius.*

IVuenis, qui duxit puellam, quæ non erat septem annorum, si dubium est, quod tentauerit id quod explere non potuit, contraxit impedimentum publicæ honestatis, & non potest contrahere cum consobrina; & si contrahat, est separandus, quia in dubijs debemus tenere quod certius existimamus.

Glos. Tentauit, quia malitia supplebat ætatem.

1755 *Cap. IV.* Ad audientiam. *Alex.iij.*

EX sponsalibus contractis inter consanguineos, etiam si nulla sint, nascitur impedimentum publicæ honestatis, ita vt mor-

tuo

tuo sponso nô possit mulier accipere fratrem sponsi mortui, etiam si intercesserit iuramentum, quod si primus frater eam non habeat, habeat secundus; quia est illicitum: & agat pœnitentiam pro tali illicito iuramento; & potest censuris compelli, quamuis secundus frater, sit alterius matris, & non consanguineus sponsæ.

Glos. Nisi ante septennium contracta essent sponsalia. *c. litteras. c. accessit. c. duo pueri. tit. prox.* Item an hæc sponsalia cùm sint nulla, impediant. Item quilibet potest compelli ad satisfactionẽ pro quolibet crimine; & corrigere quemlibet Christianum de quolibet peccato pertinet ad ecclesiam. *c. nouit, de iud.*

1756 *Cap. V.* De illis. *Idem.*

QVando præstito iuramento aliquis promisit mulieri eam ducere de futuro, & postea discedens ab ea terra, se transfert ad aliam partem; mulier, si non præcessit consummatio, potest alteri nubere; & si per eam stetit quo minus matrimonium consummaretur, agat pœnitentiam de periurio.

Glos. Sponsa de futuro non tenetur sequi sponsum vagabundum, & secundum leges post tres annos potest nubere. Item in quibus casibus soluantur sponsalia, vide ibi.

1757 *Cap. VI.* De muliere. *Idem.*

QVando quæsitum non est certum, non potest dari responsio. Item non omnis vis annullat matrimonium. Item post eam si sequitur consensus, valet.

Glos. In quæsito incerto poterat responderi distinguendo, inter vim, & vim, id est, inter metum cadentem, & non cadentem in constantem virum, vt *c. consultationi, & c. veniens, infra.*

1758 *Cap. VII.* Ex litteris. *Idem.*

QVando duo contrahunt sponsalia, seu matrimonium, ita vt alter non intelligat quod alter proponit, tunc Iudex prius videat, si contrahentes matrimonium sint idonei scientia, & ætate, deinde reccurrat ad communem intelligentiam illorum verborum, & cogat vtrumque seruare verba secundum sensum communem recte intelligentium.

Glos. In contrahentibus requiritur discretio, seu scientia: vnde furiosus non potest contrahere, nisi per interualla dilucida laboraret. Item ætas, id est. 12. annorum in muliere, & 14. in viro. *c. attestationes. c. continebatur, tit. prox.* vel vt malitia suppleat ætatem. *c. de illis, inf. & c. vlt. tit. prox.* Item si actor adhibet dolum, verba sunt

sunt intelligenda prout reus intelligit; si reus dolum fecit, verba sunt intelligenda vt actor intelligit; si vterque, tunc, vt hic dicitur, sunt intelligenda secundum modum communem intelligendi. Item non est recedendum à significatione verborum, nisi quando constat testatorem aliud voluisse. Item ambiguitas verborum, vel incidit in iudicijs, & in principio litis plus creditur actori; vel in contractibus, & pactis; & tunc, &c. vide ibi multa.

1759 *Cap. VIII.* Sponsam. *Idem.*

NVllus consanguineus potest accipere sponsam alterius consanguinei. Trid. sess. 24 c.3.

1760 *Cap. IX.* Ex parte. *Idem.*

QVando duo inuicem sibi promittunt, quod ex eo tempore se habebunt pro coniugibus, & fidem inuicem seruabunt; est vere matrimonium. Item ex causa fornicationis manifesta licitum est dimittere vxorem; sed ipsa viuente debet vir continere, & non aliam ducere.

Glos. Ex causa fornicationis manifesta, idest probata coram iudice, & per sententiam definita; alioquin non licet. *c. porro de diuor.*

1761 *Cap. X.* Ex litteris. *Idem.*

QVando quis iurat accipere aliquam vxorem, & postea vult aliã accipere, prius ab Episcopo est monendus, vt seruet iuramentum, idest accipiat primam; & si monitis hoc acquiescat, est compellendus censuris, vt eam accipiat, & maritali affectione tractet, si tamen rationabilis causa non obstet.

Glos. Quando parentes iurant coniungere filios in matrimoniũ, licet iuramentum de facto alterius non obliget, tamen promiserunt factum suum, idest procurare bona fide, vt filij contrahant; & si per eos non stat, non sunt periuri, nec puniendi. Item iuramentum impuberum ad testificandum non tenet, sed ad alia, si sint doli capaces, tenet. *c. pueris de delic. puer.* Aliquis iurauit accipere in vxorem vnam de filiabus Titij, deinde dormit cum vna filiarum, an sit compellendus ad hanc accipiendam, cùm alias non possit. Resp. non est compellendus ex vi sponsaliorum, quia debuisset consentire cum aliqua certa filia, nam indeterminata sponsalia non sunt sponsalia; sicut cùm dico, exhæredo vnum filium, nullus filiorum est exhæredatus; sed esset compellendus ratione iuramenti, nisi deterius inde contingeret. *c. præterea infra.* Item, an sit compellendus. Item antequam quis sit periurus, potest excommunicari, quia Ecclesia non

non solum potest punire peccata commissa, sed etiam prohibere committenda, & excommunicatio est medicina. Item sponsalia possunt contrahi per verba generalia, & iuramentum impuberũ tenet.

1762 *Cap. XI.* Non est nobis. *Idem.*

PAter iniuste detinens vxores filiorum est compellendus intra certum tempus restituere illas, alioquin possunt interdici terræ vbi vxores sunt.

Glos. Pro delicto vnius interdicitur tota prouincia; erat enim Rex, & cum Rege mitius agitur. Item secus, quando vxor volens, & non inuita detinetur. Item quando suspensio, vel interdictum est iuris cum determinatione temporis; vt hic, elapso tempore sine absolutione potest ibi celebrari, quia non erat terra interdicta, sed organa. Item tempore interdicti non possunt celebrare submissa voce, & ianuis clausis, nisi priuilegiati. *c. quod nonnullis, de priuil.* & Episcopi *ibid.* & in ecclesijs conuentualibus bini singulariter possunt dicere horas quasi legendo, non cantando. *c. quod in te, de pœn. & remiss.* Item in quolibet interdicto sacramenta necessitatis administrantur; idest baptismus paruulorum, & pœnitentia morientium, & viaticum. *c. quod in te de pœn. & remiss.* peregrinis etiam datur pœnitentia, ibidem,

1763 *Cap. XII.* Præterea. *Idem.*

Trid. sess. 25 Ref. c. 1 QVando vnus tantum dicit adesse impedimentum, impedit matrimonium contrahendũ, non iuratum: v.g. si consanguineus volentis contrahere dicat se cognouisse carnaliter illam mulierem, etiam si hoc nolit publicè confiteri propter metum, & potentiam mulieris.

Glos. Si iuramentum interuenit propter confessionem vnius secretam, non prohibetur matrimonium, nisi aliter probaretur: si vero iuramentum non interuenisset, matrimonium contrahendum impeditur ad dictum testimonium vnius, siue ad famam. *c. super eo, de test. c. super eo, de consanguin & affinit.* Item si publice confiteatur, ei non creditur, tum quia vnius confessio in alieno facto est nulla, tum quia suam turpitudinem confitetur.

1764 *Cap. XIII.* Veniens. *Idem.*

MVlier, quæ matrimonium contrahere cum aliquo iurauit, deinde inuita, & reclamans à parentibus alteri traditur, & nunquam consentit, nec sinit se ab eo cognosci; si iudicio ecclesiæ constet, non potuisse contrahere cum primo ob impedimeutum consanguini-

guinitatis (etiamsi mulier diceret se fuisse ab illo primo cognitam) potest cum aliquo tertio valide contrahere; & matrimonium sic contractum impedientes sunt excommunicandi.

Glos. Matrimonium reclamante muliere contractum est nullũ. *c. 1. & 2. 31. q. 7. c. proprio eod.* sed si deinde mulier consentiat, tenet, nec potest amplius reclamare. *c. 1. inf. de eo qui dux. in matr. quam poll per adult.* & *c. insuper inf. qui matr. accus. poss.* Item omnes impedientes iurisdictionem Iudicis possunt excõicari. *c. 1. de off. del.*

1765 *Cap. XIV.* Cum locum. *Idem.*

QVando est quæstio de matrimonio puellæ, & timetur, ne metus, vel coactio inferatur puellæ ad consensum, iudex debet puellam constituere in loco tuto, & honesto, vbi nihil timeat, donec causa finiatur, & indagandus est liber consensus ab ea, quia matrimonium fit solo consensu. Trid. l. 24. Ref. c. 9.

Glos. Metus cadens in constantem virum *c. veniens, & c. consultationi eod.* minor metus magis excusat fœminam quam virum. Item officium iudicis est assignare partibus locum securum, & honestum; & si requisitus non facit, potest ab eo appellari, etiam si fuit datus appellatione remota.

1766 *Cap. XV.* Veniens ad nos. *Idem.*

QVi contraxit sponsalia de futuro cum vna, & deinde cum alia de præsenti, debet remanere cum secunda, nisi cum priorem habuerit, vel cum secunda ex metu cadente in constantem virum contraxerit.

Glos. Qui metu se excuset, vide *c. cum dilectus. c. Abbas de his quæ vi, metusue causa fiunt.* Item licet culpa mea inciderem in metum, tamen metu excusor.

1767 *Cap. XVI.* Commissum. *Idem.*

QVi dedit fidem contrahendi cum aliqua, & iurauit, si vult ingredi religionem, tutius est prius cõtrahere cum illa, vt seruet iuramentum, & postea ante copulam migrare ad Religionem.

Glos. Sine peccato potest intrare religionem, & non contrahere; sed dicit tutius contrahere, quia sine peccato vtrumq; seruare potest, idest iuramentum, & religionem, nisi periculum consummandi obstet; vel tutius, idest secundum opinionem hominum, ne de facto dicatur periurus. Item non frangit iuramentum, qui in melius illud commutat. *c. peruenit, de iureiur. c. scripturæ, de voto, & voti red.* Item quid si vouisset ingredi religionem? vide.

1768 *Cap. XVII.* Requisiuit. *Lucius iij.*

MVlier, quæ iurauit nubere alicui, postea non vult, monenda est potius quam cogenda, quia matrimonia debent esse libera; & coacta sæpe habent exitus difficiles.

Glos. Exponit potius, idest prius monenda, deinde cogenda; de qua coactione *sup. c. ex litteris. eod.* An si cogatur quis ad contrahendum matrimonium, ad quod iure iurando se astrinxit, liberum sit tale matrimonium. Resp esse liberum, quia non dicitur inuitus, qui vrgetur ad solutionem propter voluntariam promissionem. 12.*q.2.c.quicumque*. Item propter delictum præcedens, quandoque quis compellitur ad matrimonium. *c. 1. de eo qui duxit in matrim. quam poll. per adult.* ergo. Vide.

1769 *Cap. XVIII.* Cum in Apostolica. *Vrban. iij.*

LIte matrimoniali pendente, si litigans ante sententiam iudicis accipit aliam vxorem ignorantem facti; postea si feratur sententia de nullitate matrimonij, tenet secundum matrimonium, licet fuerit contractum pendente lite; sed viro iniungatur pœnitentia, & vt abstineat à coniuge per tempus pœnitentiæ &c.

Glos. Licet in facie Ecclesiæ primum haberetur matrimonium, si reuera in se non est; si secundo contrahat secundum, tenet, etiam sciente secunda vxore primum matrimonium. Item etiam si fuisset verum matrimonium cum prima; tamen si moriatur prima, secunda non debet priuari marito, si erat facti nescia. *c. 1. de eo qui dux. in matr.* Ideo etiam non punitur in petitione debiti, quia nescia erat; nec priuatur viro, si illa voluerit, & vir cõpelletur propter dolum, & requiritur nouus cõsensus. Si vero scienter contraxit cũ vere vxorato, secundum matrimonium est nullum, nec esse potest etiam post mortem primæ. *c. ex tuarum & c cum haberent de eo qui dux.*

1770 *Cap. XIX.* In præsentiam. *Clemens iij.*

MVlier licet iuuenis, & incontinens, cuius vir est absens septennio, vel quocumque numero annorum, nec potest certificari de morte, vel vita, siue sit captiuus, siue peregrinus, non potest secundo nubere, nec canonice potest hoc concedi, donec recipiat certum nuncium de morte viri.

Glos. Contra matrimonium non currit præscriptio, licet currat contra alia iura. Item quinquenniũ legum, quo solo debebat mulier expectare, hic tollitur. Item vbi verisimiliter præsumitur de morte, si mulier nubit, excusatur; si primus vir reuertitur, & ipsa non statim

tim redit ad virum, est notanda de adulterio; si dubitat de morte, non exigat debitum, sed reddat; si certificatur de vita, recedat. *c. dominus.de secundis nupt.* Item si vir fuit in exercitu, & non est reuersus, nec potest certificari, expectet donec certificetur.

1771 *Cap. XX.* Inter opera. *Idem.*

PVblicam meretricem extrahere ex lupanari,& accipere in vxorem, est opus misericordiæ,& proficit in remissionē peccatorū.

Glos. Meretrix quæ non vult continere, non est accipienda,nec retinenda,ne videatur maritus patronus turpitudinis. *32.q.1.c.1.*

1772 *Cap. XXI.* Ad id quod. *Idem.*

SI mulier etiam xj. annorum inuita traditur viro,cum quo spontanee postea cohabitat per aliquod tempus,vt per annum cum dimidio, censetur tacite consensisse, & sic coactio transit in consensum; & si mulier velit inducere testes ad probandam coactionem, non sunt admittendi; sed compellantur coniuges affectu maritali se tractare, nisi velint pariter ad Religionem conuolare: quod si interim vterque ad alienos, & illicitos concubitus transiuit, pro hoc agant pœnitentiam, antequam ingrediantur Religionem.

Glos. Mulier xj. annorum, si malitia supplet ætatem, potest contrahere. *c.de illis,tit.prox.* Item matrimonium, quod ab initio non valuit,tractu temporis conualescit; & contra hanc præsumptionem non admittitur contraria probatio. *c. is qui, eod.* præsertim quia hæc, de qua in textu, erat corrupta,ac proinde non poterat probare per aspectum corporis quod eam vir non cognouisset. Item paria adulteria compensantur. *c.penult.& vlt. de adult.*

1773 *Cap. XXII.* Sicut ex litteris. *Innoc. iij.*

QVi contrahit sponsalia de futuro cum vna, & iurat, deinde cum alia contrahit de præsenti; hoc cognito iudex compellat seruare secundum matrimonium, & iniungat pœnitentiam viro pro fractione fidei, nisi forsan in iuramento præscripsit certum tempus contrahendi, & per eum non stetit in illo tempore: si vero cum vtraque contraxit de futuro, compellatur seruare primum, & agat pœnitentiam, vt periurus de secundo. Quod si de his non constat, tandiù cognoscatur de causa, donec sufficienter iudex super his instruatur.

Glos. Et hoc in causa matrimoniali, in qua secundo inducuntur testes super eod.art. post publicationem. *c. causam matrimonij, de probat.* & *c.ex litteris,de consanguin.*

1774 *Cap. XXIII.* Cum apud ſedem. *Idem.*

QVicumque non prohibetur, per conſequentiam admittitur ad contrahendum; & ſic mutus, & ſurdus poſſunt contrahere, quia ſufficit conſentire ſignis, & nutu, licet non verbis.

Gloſ. Cap. tuæ eod. & c. qui ſpiritualem 30. q. 4. & c. inter corporalia, de tranſlat.

1775 *Cap. XXIV.* Dilectus. *Idem.*

QVando aliquis eſt perpetuo furioſus, non poteſt contrahere matrimonium, quia non poteſt eſſe conſenſus, & eſſet ſeparandus ſi coniungeretur.

Gloſ. Si quando contraxit non erat furioſus, matrimonium tenet; ſi quando contraxit erat furioſus, & poſtea ſanatur, licet in principio non tenuerit, tamen per ſubſequentem conſenſum tenet.

1776 *Cap. XXV.* Tuæ fraternitatis. *Idem.*

PEr ſolum conſenſum legitimum contrahitur matrimonium, ſed verba exprimentia conſenſum de præſenti requiruntur reſpectu eccleſiæ: vnde ſurdi, & muti per conſenſum mutuum ſine verbis poſſunt contrahere, & pueri ante ætatem per verba ſola non contrahunt, quia non intelliguntur conſentire.

Gloſ. Licet ſine verbis contrahatur matrimonium cum ſolo conſenſu, tamen in his qui loqui poſſunt, non contrahitur ſine verbis exprimentibus conſenſum, vel ſaltem ſine aliquo alio, puta ipſo facto, per quod dicuntur conſentire: vt ſi parentes contrahant pro filijs præſentibus, & ſcientibus, ſufficit taciturnitas pro nutu. *c. honorant,* 32. *q.* 2. Idem dicendum de ijs qui per alios contrahunt cum annuli ſubarrhatione; & ſic in mutis non ſufficit ſolus conſenſus, ſed requiruntur ſigna exprimẽtia conſenſum. Item ſecus in matrimonio præſumpto, vbi ipſo facto præſumptiue contrahitur. *c. is qui, eod.*

1777 *Cap. XXVI.* Tua nos. *Idem.*

QVi verbis æquiuocis, aut falſis decipit mulierẽ, & ſine animo cõtrahẽdi cõtrahit, & cognoſcit carnaliter, re vera nõ eſt matrimoniũ, quia deeſt cõſenſus; ſed hoc in foro exteriori vix poteſt probari.

Gloſ. Eſt verum quòd ſi vterque non conſentit, non fit matrimonium; tamen ſi quis proteſtetur coram pluribus, quod omnia quæ facit, vel dicit, non ſunt animo contrahendi, & poſtea publice dicit, *Conſentio in te*, Eccleſia iudicat hoc eſſe matrimonium, quia talia verba ſunt intelligenda ſecundũ communẽ intelligentiã, nec poſſunt

ſeruire

seruire suæ intentioni, *c. ex litteris eod.* Item potuit mutasse sententiā post protestationem; patet ex facto publico. Et si dicat tēpore contractus fuisse in eadē sententia negatiua, nō creditur ei, qui dolū fecit. *c. ex litteris eod.* Item quæ sit materia & forma matrimonij, vide.

1778 *Cap. XXVII.* Cum in tua. *Idem.*

QVando aliquæ personæ volunt contrahere, & est fama, quod interfit impedimentū consanguinitatis, & contrahentes volunt producere iuramenta maiorum, quod nulla sit propinquitas; tunc iudex, si ei persona grauis, & digna fide denunciet eos esse consanguineos, & de fama vel scandalo doceat, vel si iudex per se ipsum possit certificari de plano; tunc iudex non recipiat iuramenta parentum, & compellat contrahentes, vt desistant à tali contractu, vel exhibeant iuramenta propinquorum contra famam dictam pro arbitrio iudicis. Sed si denuncians non est talis, & grauis, vel non potest docere de fama, vel scandalo, iudex potest monere, vt desistant, sed non compellere contrahentes. Trid. sess. 24. Ref. c. 1

Glos. Qui denunciat, debet esse persona honesta, & grauis, quia criminosa non admittitur. *c. præterea, de testib.* Sed quādo impedimentum oritur à persona denunciante, persona turpis admittitur. *c. præterea, eod.* Item quando denunciatur fama, quæ affert priuatū impedimentum, & de ea fama non cōstat, debet prius inquiri de illa fama, & requiritur alia probatio: sed quando constat de fama consanguinitatis, interdicitur matrimonium. *c. tua, de cohabitat cler. & mulier. c super eo de consanguin. & affinit.* vbi sola fama impedit, sicut impedit & vnus testis, si ipse testificetur. *c. super eo de testib.* sed denunciatio sine fama non impedit, & fama potest probari, & summaria cognitio, seu de plano sufficit. *c sicut olim, & cap. olim de accusat.* Item matrimonium impeditur propter scandalum. *c super eo, de consang.* Item si quis probauit me esse malæ famæ, ego possum probare me esse bonæ famæ. *c. presbyter, & c. simili 2. q. 5.* Item his omnibus consideratis relinquitur arbitrio iudicis.

1779 *Cap. XXVIII.* Consultationi. *Honorius iij.*

MVlieres quando veniunt cum sponsis ad benedictionem, & dicunt se nunquam consensisse matrimonio, & sponsi legitime probant contrarium cum idoneis testibus, non sunt audiendæ. Sed si post benedictionem, & ante copulam fugientes dicunt se metu consensisse, & non veraciter, debet inquiri diligenter de metu illarum: & si est cadens in constantem virum, sunt audiendæ.

Glos. Idest separandæ. Item simpliciter asserentibus contra testes

non creditur; sed si velint probare, sunt audiendæ: tamen non possunt probare negatiuam, ideſt non consensisse; possunt affirmatiuam ex vi. Item causæ matrimoniales sunt committendæ iurisperitis ecclesiasticis. *c. ex litteris, de consang. & affinit.*

Trid. sess. 24 de Ref. c. 12. & 9.

1780 *Cap. XXIX.* Gemma. *Greg. ix.*

MAtrimonia debent esse libera: ideo parentes non possunt imponere pœnam in sponsalibus filiorum; & si ponatur, altera pars non potest exigere pœnam, & est sub excommunicatione prohibenda ne exigat.

Glos. Multo minus teneret pœna, si sponsalia non tenerent defectu ætatis. Item licet pœna apposita in sponsalibus non teneat, tamen arrham datam pro sponsalibus perficiendis amittit, qui rescindit sine iusta causa. *l. vlt. C. de sponſ.* licet sit eadem ratio, & hoc secundum leges.

1781 *Cap. XXX.* Is qui. *Idem.*

SPonsalia per carnalem copulam transeunt in matrimonium, & contra hanc præsumptionem non admittitur probatio, nec potest alia duci.

Glos. Præsumptio quadruplex. Prima, iuris, & canonis, siue legis, siue de iure, quod idem est; & hæc non admittit probationem in contrarium: secunda est hominis: tertia naturæ: quarta facti, & hæc admittunt. vide ibi.

1782 *Cap. XXXI.* Si inter virum.

SPonsalia de præsenti non soluuntur per secundum matrimonium, etiam copula consummatum, & iuratum; sed primum in suo robore permanet.

Glos. Sponsalia de futuro etiam iurata soluuntur per secundum matrimonium de præsenti: sed frangenti fidem primæ est iniungenda pœnitentia.

1783 *Cap. XXXII.* Adolescens.

SPonsus per verba de futuro, si sæpe nititur habere copulam, & non habet, si contrahat cum secunda de præsenti, valet secundum matrimonium, quia in primo non fuit consensus de præsenti, nec præsumptus, quia conatus non habuit effectum.

Glos. Conatus siue voluntas sine effectu non nocet, vt *hic*, & *de pœnit. dist.* 1.

IN

IN SEXTO LIBER IV.

DE SPONSALIBUS, ET MATRIMONIJS. Tit. I.

1784 *Cap.* Ex sponsalibus. *Bonif. xviij.*

EX sponsalibus puris, idest non sub conditione; & certis, idest de certa persona, & non vaga, & cum consensu, oritur impedimentum publicæ honestatis, licet illa sponsalia essent nulla ex alio capite: v. g. causa consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, religionis, seu professionis, non tamen defectu consensus. Item qui contrahit sponsalia cum vna pure, & determinate, & postea contrahit sponsalia cum eiusdem consanguinea, debet accipere primam, quia ex secundis non oritur impedimentum publicæ honestatis contra primam. Item qui contrahit sponsalia cum aliqua sub conditione, & ante impletam conditionem contrahit sponsalia de præsenti cum consanguinea primæ, est matrimonium cum secunda; quia ex sponsalibus conditionalibus ante conditionem non nascitur impedimentum publicæ honestatis. Trid. sess. 24 de Ref. c. 3.

Glos. Idem dicendum, si cum secunda contrahit de futuro. Item qui contrahit sponsalia cum vna sorore de futuro, deinde contrahit de præsenti cum altera sorore, debet remanere cum prima, quia erat impedimentum pro secunda. Sed si cognouit secundam, neutram potest ducere; non primam ratione affinitatis, quæ licet non dirimat matrimonium, si post illum contractum sequatur, tamen dirimit sponsalia; non secundam ratione publicæ honestatis. Item qui contrahit sponsalia conditionata, ante impletam conditionem potest contrahere sponsalia, vel matrimonium cum secunda sorore, quia conditio suspendit sonsalia, nisi fuerit turpis, quia habetur pro non adiecta, & remanent sponsalia pura. Item qui contrahit sponsalia cum vna, & postea contrahit sponsalia cum altera sorore, tenetur accipere primam, quia ex secundis sponsalibus non nascitur impedimentum. Item conditiones tacitæ non faciunt obligationem conditionalem, expressæ vero sic.

DECRETALIUM LIB. IV.

DE DESPONSAT. IMPUBERUM. Tit. II.

1785 *Cap. I.* Tua fraternitas. *Hormisda.*

Trid. sess. 24. Ref. 9. PAter pro filio non adulto potest contrahere sponsalia, quæ cũ filius adoleuerit, tenetur omnino adimplere; sed pro filio adulto non potest, nisi filius consentiat.

Glos. Filius non adultus, licet possit cogi à patre ad sponsalia, non tamen postea ad patrimonium, sicut nec adultus. Item si filius coactione paterna ductus consentiat in aliquam, quam alias non esset ducturus, est matrimonium.

1786 *Cap. II.* Vbi non est. *Nicolaus.*

QVando vnus, vel ambo non sunt in ætate, prohibitum est ne contrahant sponsalia, nisi adsit aliqua vrgentissima causa, vt pro bono pacis.

1787 *Cap. III.* Puberes.

PVberes, seu apti ad matrimonium dicuntur, & sunt qui ex habitu corporis ostendunt pubertatẽ, & generare possunt; & puerperæ sunt, quæ in annis puerilibus pariunt: & sic pubertas pro matrimonio non consideratur ex numero annorum.

Glos. Secus quoad tutelam, & curam. Item qui iam compleuit xiv. annos, & apparet quod nullo modo potest generare, si contrahat, non tenet matrimonium; sed contrarium verius. *vide illis, eod.*

1788 *Cap. IV.* Litteras. *Alex. iij.*

Trid. sess. 24. Ref. 3. QVando quis adultus contrahit sponsalia cũ minore septennio, non nascitur impedimentũ publicæ honestatis, imò potest accipere matrem puellæ in vxorem: sed si postquam puella compleuit septennium, illam duxit in matrimonium, nõ tenet matrimonium, & sunt separãdi, quia cùm ex tunc sponsalia consueuerunt placere, iam sunt valida; & si cognouit matrem, non potest cognoscere filiam.

Glos. Sponsalia ante septennium contracta sunt nulla, sed post septennium valent sola ratihabitatione; vt si simul cohabitant, & non contradicunt; si seorsim habitant, & dant aliquod signum consensus saltem facto, vt si eam visitet, vel det munuscula, *argum. cap. accessit, eodem.*

1789 *Cap. V.* Accessit. *Idem.*

QVando sponsalia contrahuntur cum aliqua puella, quæ non compleuit septem annos, si postea adueniente septennio puella non vult consentire, sponsus potest accipere matrem puellæ in vxo-

vxorem, præcipue si fuerit à tali desponsatione ab Episcopo absolutus; secus est, si sponsalia contrahat cum puella, quæ septem annos iam compleuit: tunc enim licet puella nolit consentire, & fit sponsus ipso iure absolutus, tamen ob honestatem non potest accipere matrem in vxorem, &c.

1790 *Cap. VI.* Continebatur. *Idem.*

SI puella inter nubiles annos fit tradita in vxorem alicui, & traducta ab ipso; postea vero in ætate dicat se numquam consensisse, & velle alterum, si vir iuret eam cognouisse, creditur viro, & non puellæ. Si vero sit proxima ætati, vt in xj. vel circa xij. annum, & cum suo consensu desponsata, & cognita à viro, non debet separari; præsertim si parentes eius dicant eam fuisse in ætate legitima. Item si infra nubiles annos puella est desponsata, non licet sponso accipere consanguineam sponsæ, nec sponsæ consanguineum sponsi.

Glos. Mulier in xj. anno dicitur proxima nuptijs, si malitia suppleat ætatem. Item creditur viro iuranti se cognouisse. *c. si quis acceperit vxorem.* 33. *q.* 1. *§.* 1. non tamen si probatur virginitas per aspectum corporis. *c. proposuisti.* & *c. causam de probat.*

1791 *Cap. VII.* De illis. *Idem.*

QVi post septennium contrahunt, & postulant separari ante annos aptos ad matrimonium, non sunt audiendi: si alter ipsorum perueniat ad legitimos annos matrimonii, & alter non; & qui peruenit ad annos, petat separari, non est audiendus: si vero alter deinde perueniens ad ætatem, petat etiam separari, sunt separandi: si vero quando contraxerunt sponsalia, vnus erat in ætate matrimonij, alter non; & qui erat in ætate petat separari, non est audiendus, nisi minor cum peruenerit ad ætatem, petierit separari.

Glos. Qui in minoribus annis contrahunt, non possunt ante legitimam ætatem resilire. Item maior debet expectare minorem. Item sponsalia debent dissolui iudicio Ecclesiæ tantum, nisi maius vinculum superuenerit, vt matrimonium, vel votum solemne. Item contrahentes sponsalia licet sint impuberes, si sint doli capaces, & iurant, si deinde nolunt, sunt compellendi ratione iuramenti. *cap. ex litteris*, & *cap. sicut*, *tit. prox.* Si vero non interuenit iuramentum in sponsalibus, & quando perueniunt ad ætatem, vterque, vel alter non vult, non sunt cogendi. *cap. ex litteris, de sponsal.*

Cap.

1792 Cap. VIII. A nobis. *Idem*

QVi infra annos nubiles contrahunt sponsalia, non debent separari, antequam perueniant ad pubentatem; & tunc si simul esse nolunt, separentur, nisi intercesserit copula, cùm malitia supplet ætatem.

Glos. Quando ante legitimam ætatem duo contrahunt per verba de præsenti, non contrahitur inter illos matrimonium, sed sola sponsalia. *argum. c. atteslat. eod.*

1793 Cap. IX. De illis qui. *Idem.*

QVi sunt minores, sed proximi ætati, & malitia supplet, idest quod possint copula carnali coniungi; si desponsantur, & traducuntur, non sunt separandi; secus si intercessit violentia, nisi post violentiam accedat consensus.

Glos. Siue talis consensus sit expressus, vel præsumptus, puta vel per mutuam cohabitationem. *c. ad id quod, supra tit prox.* vel per carnalem copulam subsequutam. *c. significauit, de eo qui dux. in matrim. quam pol. per adult.*

1794 Cap. X. Attestationes. *Vrban. iij.*

SI iuuenis ante ætatem, v.g. in xij. anno contrahat, & nitatur mulierem corrumpere; si non corrumpit, & mulier non probat iuuenem consensisse circa xiv. annum suæ ætatis; accepto iuramento ab ipso, quòd in ætate legitima non consenserit, si modo non vult, est liberandus ab impetratione mulieris, & potest vterque ad secunda vota transire.

1795 Cap. XI. Ex litteris. *Idem.*

PVella in ætate, à parentibus iurata, & desponsata cum viro non habente ætatem, deinde inuita traducta in domum sponsi, à quo post annum recedit ad domum propriam non cognita; si non vult expectare, donec vir habeat ætatem, potest alteri nubere.

1796 Cap. XII. Duo pueri. *Clem. iij.*

PVblica honestas impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum. Item soluuntur sponsalia, quando quis contrahit cum alia de præsenti. Item propter scandalum est iniungenda pœnitentia. Item incœstus impedit matrimonium contrahendum. Item qui sine iudicio ecclesiæ vxorem dimittit, est puniendus.

Glos. Quia est pœna, & nulli inferẽda nisi per iudicẽ. *c. porro, de diu.*

Cap.

1797 *Cap. XIII.* Ad dissoluendum. *Innoc.iij.*

MAtrimonium, vel sponsalia, quæ nō sunt, vt si infra septennium contrahatur, non possunt accusari; potest tamen denunciari consanguinitas, vt interdicatur matrimonium contrahendum, & tunc assignabitur terminus ad probandas denunciationes, saluis exceptionibus: & si interim aliquid attentatur in præiudicium puellæ, est irritum.

Glos. Vnus solus denũcians potest impedire matrimonium. *c. praeterea, tit. prox.* & valet denunciatio in principio, quia iam dicuntur malæ fidei possessores; & in matrimonio contrahendo, quod certius est, tenendum est. Ad hanc denunciationem non admittitur nisi grauis, & honesta persona. *c. cum in tua, tit. prox.* & admittuntur etiam, qui denunciant famam, *ibid.* & de auditu. *c. hoc videtur, 22. q. 5.* & quilibet tenetur ad hanc denunciationem. *c. tua nos, de cogn. spir.* & hoc sine aliqua admonitione præmissa, quod nō fit in alijs denunciationibus. *c. si peccauerit. 2. q. 1. c. nouit, de iudicijs.*

1798 *Cap. XIV.* Tuæ nobis. *Idem.*

QVando contrahitur matrimonium de præsenti, & puella non est in ætate, vel malitia non supplet ætatem, licet vir dederit ei arrham, non est matrimonium, sed sponsalia.

IN SEXTO LIBER IV.
DE DESPONSAT. IMPVBERVM.
Tit. II.

1799 *Cap. I.* Si infantes. *Bonif. viij.*

QVando duo, & ambo infantes, vel vnus est intra septennium, & contrahunt; sponsalia sunt nulla; & si deinde veniunt ad ætatem, non conualescunt, nec inducunt impedimentum publicæ honestatis, nisi in septennio exacto cognoscatur de nouo consensisse expressè, vel tacitè, vt verbo, vel facto, vel cohabitatione. Item quando vnus pubes cum impubere, vel ambo impuberes non proximi pubertati, in quibus malitia non supplet ætatem, inuicem contrahunt per verba de præsenti, non est matrimonium, sed ex interpretatione iuris sunt spōsalia de futuro, quæ adueniente pubertate non transeunt in matrimonium, nisi sit sequuta copula carnis, vel alia via constet, quod sponsi, eadem voluntate perseuerante peruenerunt ad pu-

ad pubertatem; aderat tamen impedimentum publicæ honestatis. Itē sponsalia, quę parentes pro filijs puberibus, vel impuberibus contrahunt, non obligant filios, nec ex eis nascitur impedimentum publicæ honestatis, nisi ipsi filij expresse consenserint; vel tacite, vt si sint præsentes, & non contradicant; vel si sint absentes, & postea quando sciunt illa, ratificent.

Glos. Licet regulariter tacens non habeatur pro consentiente, secus est in matrimonio, licet sit onerosum. Item sponsalia de futuro etiam si sint in ætate, per amplexus, oscula, & similia, imo & per nixum, non transeunt in matrimonium, nisi per copulam; sed sponsalia quæ verbis, & mente contrahentium sunt de præsenti, sed defectu ætatis, & interpretatione iuris sunt de futuro, bene transeunt in matrimonium per oscula, amplexus, & similia post pubertatem, etiam sine copula.

DECRETALIVM LIB. IV.

DE CLANDESTINA DESPONsatione. Tit. III.

1800 *Cap. I.* Si quis.

Ex Concil. Arelaten. QVando quis clam desponsauit mulierem, & vir, vel mulier negat desponsationem, probatio incumbit viro.

Concil. Tridēt. sess. 24. Ref c 1. *Glos.* Dicit seruari: quod si mulier negat matrimonium, viro incumbit onus probandi; si vero neget vir, incumbit mulieri.

1801 *Cap. II.* Quod nobis. *Alexand. iij.*

DE clandestinis matrimonijs non iudicat ecclesia; sed si contrahentes volunt in ecclesia publicari, sunt recipienda, & comprobanda.

1802 *Cap III.* Cum inhibitio. *Innoc. iij.*

PRohibentur clandestina matrimonia, & nullus presbyter illis intersit, sed proponantur publicè in ecclesia, & præfigatur terminus ad impedimenta reuelanda, quæ etiam ipsi presbyteri inuestigent. Si autem reueletur probabilis coniectura contra copulam, interdicatur contractus, donec manifestius appareat, quid agendum; & si quis præsumpserit talia clandestina, vel interdicta inire in gradu prohibito, etiam ignoranter, proles erit illegitima; similiter si ambo

ambo parentes scienter, etiam in conspectu ecclesiæ contrahant in gradu prohibito, filij sunt illegitimi.

Glos. Quid si vnus tantum sciat impedimentum? Resp. filios esse legitimos: vide. Item parochus, qui non prohibet tales coniunctiones, & quilibet etiam regularis. qui interesse præsumpserit, suspenditur ab officio per triennium, & ijs, qui contrahunt contra hanc formam, imponatur pœnitentia; & qui obtulit impedimentum malitiose, canonice puniatur.

DECRETALIVM LIB. IV.

DE SPONSA DVORVM. Tit. IV.

1803 *Cap. I.* Duobus modis. *Aug.*

QVi dat mulieri fidem pactionis, idest promittit sponsalia de futuro cum pacto, vt nunc eam cognoscat, non debet aliam ducere: sed si ducit, tenet matrimonium; agat tamen pœnitentiam de fide mentita. Si vero dat fidem consensus, idest ducit de præsenti, tenet matrimonium; & si aliam ducit, non tenet cum secunda.

1804 *Cap. II.* Accepisti.

QVi alterius coniugem ducit in vxorem, numquam poterit esse eius legitima vxor: & xl. dies ieiunet in pane, & aqua, & pæniteat per septem annos.

1805 *Cap. III.* Licet præter. *Alex. iij.*

MAtrimonium de præsenti non soluitur per alterum matrimonium sequutum, etiam cum copula; & cogi debet vir redire ad primam.

1806 *Cap. IV.* Tua fraternitas.

QVi in causa matrimonij de præsenti appellat ad sedem Apostolicam ante sententiam, & cognitionem causæ, est publicè interdicendus, ne ante decisionem causæ aliam ducat; & si ducere præsumpserit, tale matrimonium est irritandum.

Glos. Si impedimentum est perpetuum, secus vero si est impedimentum ad tempus, puta ob reuerentiam dierum: tunc enim non est irritandum matrimonium, sed solum iniungenda pœnitentia propter contemptum ecclesiæ.

1807 *Cap. V.* Tuas dudum.

QVi contrahit de præsenti cum vna, & ante copulam contrahit cum alia, tenet primum matrimonium, quia solus consensus sine copula sufficit; nec valet consuetudo contraria.

DECRETALIVM LIB. IV.
DE CONDITIONIB. APPOSITIS in desponsat. & alijs contractibus. Tit. V.

1808 *Cap. I.* Quicumque.

COnditionis nomine non debet frangi matrimonium; sed reiecta conditione desponsatio irrefragabiliter teneatur.

Glos. Per conditionem intelligitur etiam conditio turpis, dummodo non sit contra naturam matrimonij; puta, si furaberis, si interficies &c. huiusmodi enim conditiones habentur pro non adiectis. *c.vlt. inf.*

1809 *Cap. II.* Cum sit. *Greg.*

QVi manumisit seruum cum conditione, v.g. vt fiat monachus in tali monasterio, secus redeat in seruitutem; debet seruari conditio, & voluntas manumittentis,

1810 *Cap. III.* De illis autem. *Alex. iij.*

QVi iurat dicendo, ego te in vxorem accipiā, si centum dederis, si non dederit centum, non tenetur eam accipere, nisi consensus de præsenti, seu carnalis commistio intercessisset.

Glos. In sponsalibus est licita hæc conditio, si dabis centum; & hæc, si placuerit meo patri. *c. super eo*, & *c. per tuas eod.* Si vero adijciatur in modum pœnæ, vt si tecum contraham, dabo centum, non valet. *c. gemma, de sponſ.* qui consentit de præsenti, censetur recedere à conditione, & simpliciter cōtrahere. *c. de illis, de desponſ. impub.*

1811 *Cap. IV.* Verum.

QVando quis donauit ecclesiæ aliquid, v.g. prædium, cum conditione, vt aliquid faciat, vel donet simpliciter, si ecclesia non facit, vel donat, non potest donator reuocare donum. Si autem fuit adiectum in donatione, quod si pactum, vel modus non serue-

tur,

tur, possit reuocari donum, tunc potest reuocare.

Glos. Vera conditione, idest modo vel pacto. Item differt donatio sub conditione, & donatio sub modo; quia illa fit sic: dono, si hoc feceris; ista sic fit: dono, vt hoc facias; illa non tenet nisi impleta conditione, de qua non loquitur textus; hæc tenet etiam non adimpleto modo, nisi cautum sit in donatione, vt in tex. Item res donata sub conditione, vt non alienetur, non potest alienari, nec ex causa necessitatis, puta, debiti, vel redemptionis captiuorum. *§. sanctissimas, Authen. de alien. & emphyt.*

1812 *Cap. V.* Super eo. *Vrban. iij.*

QVi contrahit matrimonium sub conditione non improbata ab ecclesia, vt contraho tecum, si meus pater voluerit, non est cogendus ad contrahendum matrimonium, nisi accedat voluntas patris: quia consensus positus in alieno arbitrio, non dicitur liber, nec potest dici consensus de præsenti.

Glos. Quando substantia contractus confertur in arbitrium expresse personæ, non valet contractus, nisi ille arbitretur. Item testamentum in alterius voluntate expresse commissum non valet; v.g. si dico, constituo te hæredem, si Titius voluerit. Sic nec legatum expresse commissum in alterius voluntate, vt ipse det, sed vt arbitretur bene. *l. 1. tit. de leg. 3.* Item si quando pater consentit, ille non vult, non est matrimonium vere, sed cogetur ab ecclesia.

1813 *Cap. VI.* Per tuas. *Inocent. iij.*

QVi contrahit sponsalia sub conditione honesta, vt, si meus pater velit, & ante expletam conditionem habet copulam, recedit à conditione, & tenet.

Glos. Etiam si ante coitum protestaretur se nolle recedere à conditione, adhuc tenet. Item si dicat, contraho tecum, si te virginẽ inuenero; tenet, quia talis error non dirimit matrimonium. Item qui contrahit cum vna sub conditione, cum alia simpliciter, tenet secundum, licet deinde expleatur conditio primi, quia matrimonium non renouabitur, nisi quantum ad legitimationem filiorum. Item qui contrahit matrimonium cum conditione necessario futura, glossa dicit quod non tenet nisi impleta conditione; sed contraria melior, quia habetur pro non adiecta.

1814 *Cap. VII.* Si conditiones. *Greg. ix.*

SI contrahetur cum conditione contraria coniugio, vt si euites generationem prolis, vel donec inueniam aliam ditiorem, vel si adul-

si adulterabis; matrimonium non tenet; & si cum conditione turpi, vel impossibili, matrimonium tenet, & conditio habetur pro non adiecta.

Glos. An idem procedat in alijs contractibus, vide.

DECRETALIVM LIB. IV.

QVI CLERICI, VEL VOVENTES matrimonium contrahere possunt. Tit. VI.

1815 *Cap. I.* De Diacono. *Alex. iij.*

SI Diaconus vulnerauerit alium Diaconum, & vxorem duxit, dimittat vxorem; & si contritus accedat, absoluatur, & iniungatur pœnitentia pro vtroque excessu: qua peracta, si fuerit perfectæ vitæ, & conuersationis, Episcopus potest dispensare cum eo, vt exerceat officium diaconatus, & ascendat ad sacerdotium. Item subdiaconus non potest contrahere matrimonium, siue fuerit homicida, siue non.

Glos. Absolutio ob percussionem enormem est petenda à Papa, & Episcopus dispensare potest cum diacono, qui de facto contraxit matrimonium, vt ministret.

1816 *Cap. II.* Ex litterarum. *Idem.*

SVbdiaconus, qui de facto contrahit matrimonium, debet prius ad Religionem transire; & post laudabilem conuersationem, si Episcopus iudicauerit potest ei concedere, vt ad altiores ordines promoueatur: si vero non vult transire ad Religionem, non est permittendum vt ascendat ad maiores, nec vt ministret in subdiaconatu; poterit tamen ministrare in minoribus.

Glos. In cap. superiore, cum diacono dicitur, quod Episcopus potest dispensare, vt ministret; in isto prohibetur. Ratio diuersitatis, quia iste non videbatur verè pœnitens, & præsumptio erat contra ipsum: sed si intrat Religionem, in fauorem Religionis potest dispensari. *c. 2. de apostat.* vel loquitur de consilio, quia de iure Episcopus poterat. *c. superiore.* Item in fauorem Religionis mitius agitur cum aliquo.

1817 *Cap. III.* Meminimus. *Idem.*

VOtum solemne Religionis impedit, & dirimit matrimonium postea contractum; simplex vero impedit, sed non dirimit.

Cap.

1818 *Cap. IV.* Consuluit. *Idem.*

QVi suscipit habitum professorum, vel velamen virginum à non habente potestatem incorporandi religioni, nec proprijs renunciauit, nec professus est obedientiam, deinde dimisso habitu, non potest contrahere; sed si contrahit, matrimonium tenet, quia sicut votum simplex impedit contrahendum, sed non dirimit contractum, sic habitus religionis susceptus sine professione.

Glos. Vide *c. penult. de regul. c. munus eod.*

1819 *Cap. V.* Veniens ad præsentiam. *Idem.*

SI mulier, quæ dedit fidem sponso, postea vouit castitatem, ideo sponsus aliam duxit; si non potest continere, seu timet peccatum fornicationis, petat ab ecclesia dispensationem, & nubat alteri imposita pœnitentia pro fide mentita, & voto violato.

Glos. Hæc mulier, quæ audiens sæuitiam viri vouit castitatem, si vir non duxisset aliam, erat cogenda ad matrimonium promissum, non obstante voto simplici. *c. ex litteris* & *c. sicut de sponsal.* quia ille timor erat vanus, & non excusabat. Item imponitur pœna pro voto violato vel de facto, vel animi destinatione, quia petebat contrahere, vel de voluntate mutata, & pro violando &c. Item ex compassione permittitur contrahere, quia forte erat iuuenis, & suscepta, & vouit ex animi perturbatione; si secus, seruet votum.

1820 *Cap. VI.* Rursus. *Cælest. iij.*

QVi vouit castitatem, si deinde iurat aliquam ducturum, seruet votum, quia votum simplex non minus obligat apud Deum, quam solemne; & agat pœnitentiam de iuramento temerario. Si vero de præsenti contraxit, tenet matrimonium, quia votum simplex impedit, sed non dirimit.

Glos. Votum simplex non minus obligat, ac solemne; idest vtrũque ita obligat, vt qui contrauenit, peccet mortaliter, vel non minus, idest non minori tempore, quia vtrumque in perpetuum obligat, licet magis peccet, qui contra solemne facit. Item in quo consistat solemnitas Religionis, vide ibi, & continetur his versibus.

Ordo sacer, vestis, professio Religionis.
Quæ sit facta palam, faciunt solemnia vota.

Item quid si prius iurasset, & postea vouisset? Vide *c. commissum de sponsal.*

1821 *Cap. VII.* Insinuante. *Innoc.iij.*

QVi vouit solemniter, licèt cum modica coactione, quam patientia, ac perseuerantia temporis per se tollit; si deinde contrahat matrimonium de præsenti, matrimonium non tenet, & cogendus est per censuram, vt reuertatur ad religionem.

Glos. Aliqua persona potest esse monacha,& habere vsufructum rerum suarum pro suo victu, & vestitu *c.si quis non potuerit*, *q.1.* Item imperium, siue Regis, siue parentum non sufficit ad iiustum metum,& leuis metus non excusat in voto. *c.cum dilecti, quod met. caus.* sed in electione, & matrimonio si leuis metus est talis, qui possit cadere in constantem virum, excusat. *c.si quis autem*, *1. q.1. c.cum locum, de spons. c.veniens, ibidem.*

DECRETALIVM LIB. IV.

DE EO QVI DVXIT IN MATRImonium quam polluit per adulterium. Tit. VII.

1822 *Cap. I.* Propositum. *Alex.iij.*

QVando vir contrahit cum secunda vxore habens primam vxorem viuam, & secunda, cum qua contrahit, nescit primam esse viuam; si moriatur prima, & vir petat diuortium à secunda, non sunt separandi, nisi mulier petat diuortium; non obstante quod secundum iura vir non potest ducere illam, quam polluit per adulterium; præsertim illam, cui fidem dedit viuente prima, vel quæ machinata est in mortem vxoris.

Glos. Mulier ignorans non committit adulterium. *c in lectum* 24.*q.*2. & filij de tali matrimonio censentur legitimi, propter bonam fidem vxoris. *c. ex tenore*, *& c cum inter,qui filij sint legit.* Item mortua prima vxore non statim fit matrimonium, quia intelligitur perseuerare in primo consensu,qui per se nullus erat; sicuti quæ contrahit cum seruo,quem putat liberum, alias non esset contractura, licèt deinde manumittatur ipsa inscia, quia semper intelligitur approbare primum consensum, qui est erroneus, & nullus;

tamen

tamen si mulier vult, compellitur vir illam ducere. Item fides, & copula viuente vxore impediunt, & dirimunt. *c. vlt. c. cum haberet. c. ex tuarum, eod.* & *c.* 1. 31. *q.* 1. Item si sit machinata, impedit. *c. super, eod. & c. si quis viuente* 31. *q* 1. Item hic contractus ex vna parte tenet, ex altera non. *c. de illis, de despons. impub.* Item si hic ante nouum consensum contraheret cum alia, teneret matrimonium. *c. veniens, eod.*

1823 *Cap. II.* Significauit. *Idem.*

QVi contrahit cum vna, deinde contrahit cum alia scienter, cum qua habet copulam; si primum matrimonium non fuit validum, v.g. quia coactè contraxit, nec eam cognouit, habebit secundam: si fuit validum, licet prima sit mortua, non potest habere secundam, quia scienter, secus si ignoranter, sed habeat aliam; & Episcopus ad hoc potest cogere excommunicatione.

1824 *Cap. III.* Super hoc. *Idem.*

QVi viuente vxore cum alia de facto contraxit, si ista adultera est aliquid machinata in mortem vxoris, siue fidem dederit, quod prima defuncta eam duceret, secundum iura non potest in perpetuum eam habere.

Glos. Si contraxit matrimonium cum ea sciente primam viuere, impeditur; secus si ignoraret. *c.* 1. *&* 2. *c. ex tuarum. c cum haberet, eod.* Item impeditur, si est machinata, idest cum effectu, quia verba sunt accipienda cum effectu. *c. relatum, de cler. non resid. c. si quis viuente*, 31. *q.* 1. Item si quis interficiat maritum fœminæ non eo animo illam ducendi, potest eam ducere. *c. laudabilem, de conuers. infid.*

1825 *Cap. IV.* Ex litterarum. *Clem. iij.*

QVi viuente prima vxore (etiam ob adulterium separata, & facta monacha) contrahit cum secunda conscia primæ, mortua prima est separandus à secunda; & facta pœnitentia de adulterio, potest accipere non secundam, sed aliam. Trid. sess. 24. Ref. 7.

Glos. Si timetur de incontinentia, sufficit si prius egerit partem pœnitentiæ. *c. in adolescentia.* 33. *q.* 2.

1826 *Cap. V.* Cum haberet. *Idem.*

QVi viuente vxore adulterauit cum aliqua, & in ius vocatus abiurauit adulteram, mox spreto iuramento cum ea contraxit

traxit viuente legitima vxore, & diu, ideſt per decem annos vixit cum ea; habens ab ea plures filios, iſti ſunt omnino ſeparandi, etiam mortua legitima vxore; & iniuncta pœnitentia, eſt eis indicenda perpetua continentia, quia eccleſiam ſcandalizarunt graui ſcandalo, præſertim ſi iam ſunt ſenes; & Epiſcopus prouideat, vt ipſi pro ſuis iuribus filijs prouideant.

Gloſ. Si eſſent iuuenes, & cum periculo incontinentiæ, daretur licentia contrahendi, vt *c. prox.* adde quod iſti plus peccarunt.

1827 *Cap. VI.* Significaſti. *Inocent. iij.*

QVi viuente vxore habet copulam cum altera, mortua vxore, ſi non præceſſit fides, vel machinatio, poteſt illam ducere.

Gloſ. Copula, & machinatio ex parte vnius impedit, & dirimit, ſicut & fides. *cap. ſi quis viuente*, 31. *q.* 1. Item excommunicatus poteſt contrahere matrimonium, licet ei alia ſacramenta denegentur.

1828 *Cap. VII.* Veniens ad præſentiam.

VXoratus ſi contrahit cum ſecunda neſciente, mortua prima, poteſt ſecundam habere, ſi de nouo conſentiat; dummodo non præceſſerit machinatio, vel fides.

1829 *Cap. VIII.* Si quis. *Greg. ix.*

QVi viuente prima vxore dat fidem ſecundæ, immo de facto contrahit cum ſecunda, dummodo nec ante, nec poſt viuente prima ipſam cognouerit; prima mortua, ſi contrahit cum ſecunda, matrimonium tenet: iniungatur tamen pœnitentia vtrique pro iſto delicto: ſecus ſi viuente vxore illam cognouit ante, vel poſt fidem, vel matrimonium.

Gloſ. Sic omnia iura intelliguntur, in quibus dicitur ſolam fidem datam mulieri viuente prima vxore impedire, & dirimere matrimonium: intelligi enim debent, ſi ſequuta fuerit copula; quia non obeſt conatus, vbi iniuria non habet effectum. *cap. vlt. ſup. de ſponſal.* & *c. extraordinar.* 35. *q.* 3. & idem procedit in machinatione. *cap. ſi quis viuente*, 31. *q.* 1.

DE-

DECRETALIVM LIB. IV.

DE CONIVGIO LEPROSORVM.
Tit. VIII.

1830 *Cap. I.* Peruenit. *Alex. iij.*

CVm vir, & vxor sit vna caro, non debet alter sine altero esse diutius: quare si alter incidit in lepram, coniux illum sequatur, & affectu maritali ei ministret: & si ad hoc ab Episcopo induci non potest, Episcopus imponat, vt vterque altero viuente seruet continentiam: quod si contemnat, excommunicet.

Glos. Leprosi tenentur ad inuicem sibi reddere debitum, non tamen continue in eodem lecto dormire: nec ad id possunt compelli. Item quanto tempore mariti possint abesse ab vxoribus, hic non determinatur; & sic relinquitur arbitrio boni viri: nã diutius quandoque extenditur ad biennium, & quinquennium.

1831 *Cap. II.* Quoniam. *Idem.*

VXor siue fuerit leprosa, siue alia infirmitate detenta, non est separanda, vel dimittenda. Item leprosi, si nolint continere, possunt contrahere matrimonium, si inueniant mulieres, quæ illos velint, & vxor tenetur reddere debitum leproso, & contra; non enim fit separatio nisi causa fornicationis.

1832 *Cap. III.* Litteras. *Vrban. iij.*

POst contracta sponsalia de futuro, si alter incidit in lepram, non coguntur contrahere de præsenti.

Glos. Lepra superueniens soluit sponsalia de futuro, sicut quælibet alia enormis difformitas. *c. quemadmodum, de iureiuran.* sed non matrimonium.

DECRETALIVM LIB. IV.

DE CONIVGIO SERVORVM. Tit. IX.

1833 *Cap. I.* Dignum est. *Adrianus.*

SEruus si inuito & contradicente domino contrahit matrimonium, tenet; sed tenetur exhibere domino debita, & consueta seruitia.

Glof. Tale matrimonium non debet prohiberi, ficut nec inter liberum, & ancillam fcienter contractum. Item nullus fidelis debet excludi à facramentis, excepto Ordine, in quo feruus fine licentia domini, non debet admitti. *c. confuluit, de feru. non ordinand.* Item fi dominus feruitium exigit, & vxor debitum, fecundum aliquos debet prius domino obedire, fi non imminet periculum fornicationis; fed videtur potius vxori, quando nullum, vel minimum præiudicium fit domino in tam paruo tempore. Item licet fecundum aliquos dominus poffit vendere feruum alicui ducenti eum in longinquum, vt in Græciam, quem vxor debet fequi; tamen verius videtur quod talis venditio fit prohibenda. *arg. c. vlt. de Iudæis.*

1834 Cap. II. Propofuit. *Alex. iij.*

QVi ignoranter contrahit cum ancilla, vbi hoc fciuerit poterit eam dimittere reftituta dote; fi vero poftquam fciuerit, eam carnaliter cognouit, non poteft.

Glof. Matrimonium liberi cum ferua ex ignorantia non tenet, fi deinde id audiuit, & credidit; ideft fi habet confcientiam feruitutis, ex probabili, & difcreta caufa, & eam cognofcit, fibi præiudicat; fi ex leui, & temeraria, cui credi non debet, non fibi præiudicat. Item fi pendente lite de conditione mulier petat fibi reddi debitum, & id mandet Ecclefia, an illud reddendo vir fibi præiudicet? Res eft dubia: fed tamen videtur dicendum fibi præiudicare, fi fit certus illam effe ancillam; fecus vero fi dubitet, licet habeat aliquas præfumptiones. Nam in tali cafu vel illam cognofceret maritali affectu, & fic certum eft quod fibi præiudicaret; vel fornicario, & fic peccaret mortaliter; quod facere non debet, imo potius pati debet excommunicationem. *c. litteras, de reftit. fpoliat.*

1835 *Cap. III.* Licet. *Vrban. iij.*

MVlier, quæ ignorans contraxit cum feruo, fi feruus probet fuum patrem fuiffe liberum, & fecundum morem prouinciæ illius, partus fequitur patrem; & à decennio non fuit moleftatus in libertate, tenet matrimonium; quia cenfetur liber in fauorem libertatis.

Glof. Licet de iure communi partus fequatur ventrem, tamen de more particulari poteft fequi patrem. Item fufficit quinquennium, vt quis dicatur liber. *l. 1. & l. fi pater C. ne de ftat. defunctor.*

Cap.

1836 *Cap. IV.* Ad nostram. *Innoc.iij.*

QVi ignoranter contraxit cum serua, si deinde, cognita ipsius conditione, nec facto, nec verbo consensit cum illa, potest aliam ducere.

Glos. Sententia lata contra matrimonium nõ transit in rem iudicatam, & semper potest cognosci; & si probetur male fuisse prolatã, reuocatur. Item quãdo quis ignoranter contrahit cum ancilla, quã deinde dominus secreto manumittit, nõ est matrimonium, quia cõmiscetur ex priori consensu, qui nullus fuit. Item si dominus ancillæ, tanquam liberam tradit alicui, intelligitur eam liberam fecisse, & tenet. Item si libera ignoranter contraxit cum seruo, & postquam rem sciuit vult esse cum illo, & seruus nolit, est compellendus. ***arg. c.1. sup. de eo qui duxit in matrim. quam pol. per adult.***

DECRETALIVM LIB. IV.

DE NATIS EX LIBERO VENTRE.

Tit. X.

1837 *Cap. I.* Indecens. *Greg.ix.*

FIlij nati ex libera, vel liberta, sunt liberi; & ecclesia debet libertatem defendere potius, quam impugnare.

Glos. Fallit in casibus ***cap. cum multæ. 15. q. vlt.*** & ***c. quorumdam, infra, de iudic.***

DECRETALIVM LIB. IV.

DE COGNATIONE SPIRITVALI.

Tit. XI.

1838 *Cap. I.* Vtrum autem. *Alex. iij.*

COmpaternitas impedit solum filios, ratione quorum fuit contracta, nisi consuetudo alicuius ecclesiæ obuiet, cui standum est. Trid. sess. 24. Ref. 2.

1839 *Cap. II.* Si vir. *Idem.*

COniuges contrahentes compaternitatem in proprio filio, siue ex ignorantia, siue ex malitia, non sunt separandi, nec negare debent debitum.

Glos. Etiam possunt petere debitum, quia nullibi prohibitum.

1840 *Cap. III.* Super eo. *Idem.*

FIlij compatrum, ratione quorum non fuit contracta cõpaternitas, possunt coniugi, nisi consuetudo metropolitanæ ecclesiæ, vel vicinorum esset contraria, vt faceret matrimonium nullum.

Glos. Consuetudo inhabilitat personas ad matrimonium.

1841 *Cap. IV.* Martinus. *Clemens iij.*

PAter baptizati non potest accipere vxorem leuantis ab eodem leuante cognitam.

Glos. Cognitam scilicet ante compaternitatem.

1842 *Cap. V.* Contracto. *Idem.*

COmpaternitas contracta per cathechismum, seu per pabulum sacrati salis vix impedit contrahendum, nõ dirimit contractũ.

1843 *Cap. VI.* Veniens. *Innoc.iij.*

INter patrem baptizati, & leuantem, seu tenentem baptizatum nascitur impedimentum impediens, & dirimens contractum.

1844 *Cap. VII.* Tua nos. *Idem.*

FIlius ante compaternitatẽ, & filia compaternitatis; si contrahant non tenet; & qui hoc sciunt, debent reuelare tẽpore contractus.

1845 *Cap. VIII.* Ex litteris. *Greg.ix.*

INter baptizatam, & filium baptizantis nascitur impedimentum impediens & dirimens.

IN SEXTO LIBER IV.
DE COGNATIONE SPIRITVALI.

1846 *Cap. I.* Nedum. *Bonif.viij.*

INter baptizatum, ac suscipientem, ipsiusq. filios & vxorem ante susceptionem carnaliter cognitam; & inter suscipientem, patremq.

tremq. baptizati, ac matrem est impedimentum dirimens contrahendum, & contractum. Eisdem modis contrahitur cognatio spiritualis in confirmatione.

1847 Cap. II. Per catechismum. Idem.

COgnatio contracta per catechismum impedit contrahendum, sed non dirimit contractum.

1848 Cap. III. Quamuis.

QVamuis vnus solus vir, & vna mulier debeant accedere ad suscipiendum, si tamen plures accedant, eodem modo contrahitur cognatio dirimens matrimonium: quod tam procedit in Baptismo, quam in Confirmatione.

DECRETALIVM LIB. IV.

DE COGNATIONE LEGALI. Tit. XII.

1849 Cap. I. Si qua. Nicolaus.

INter adoptantem, & filiam adoptantis, durante adoptione non potest esse matrimonium.

Glos. Idem procedit cum arrogato, donec emancipetur.

DECRETALIVM LIB. IV.

DE EO QVI COGNOVIT CONsanguineam vxoris suæ, vel sponsæ. Tit. XIII.

1850 Cap. I. Si quis.

QVi scienter cognouit filiastrā suam, non potest petere debitū à matre, nec vnquam habere filiam in vxorem; nec ipse nec filiastra, vnquam poterūt matrimonio alicui copulari. Trid. sess. 24. Ref. c. 4.

Glos. Potest tamen reddere debitum; & si post mortem vxoris contrahat cum alia, tenet matrimonium; & si essent iuuenes, dispensaretur cum eis. *c. in adolescentia*, 33. *q*. 2.

1851 Cap. II. Veniens. Alex. iij.

QVi contraxit sponsalia de futuro cum filia, si cognoscit matrē, soluuntur sponsalia; secus si esset de præsenti matrimonium.

Item

Item incœstuosus, vt qui cognouit vxorem patris, vel matrem vxoris, non poterit amplius aliquam ducere nisi ex dispensatione.

Glos. Si ducit sine dispensatione, peccat, & matrimonium tenet.

1852 *Cap. III.* De illo. *Idem.*

SI meus frater asserit se cognouisse prius meam coniugem, ad dictum eius non separabitur matrimonium, nisi hoc sit publicum, & notorium, aut probetur idoneis testibus.

Glos. Hæc sola confessio non præiudicat contractum, etiam si rumor viciniæ consentiret. *c. super eo, eod.* secus si esset contrahendum. *c. præterea, de sponsal.*

1853 *Cap. IV.* Transmissæ. *Cælest.iij.*

QVi mortua vxore cognoscit eius filiam, idest priuignam, & ducit aliam, non petat, sed reddat debitum, & agat pœnitentiam; & si superuixerit, maneat sine spe coniugij, quia incœstuosus.

1854 *Cap. V.* Super eo. *Idem.*

ETiam si vterque coniugatus fateatur maritum ante matrimonium cognouisse consanguineam vxoris, & sit rumor viciniæ, quæ hoc reclamet, non est matrimonium separandum, nisi accedant rationabiles, & dignæ fide probationes.

Glos. Non creditur coniugibus contra matrimonium contractũ, sed in fauorem creditur. Item aliud est fama, aliud rumor; fama fortasse sufficeret simul cum confessione coniugum ad separandum matrimonium, secus rumor.

1855 *Cap. VI.* Discretionem. *Innoc.iij.*

AFfinitas superueniens non dirimit contractum matrimonium de præsenti. Item maritus qui tradit vxorem adulterandam, præsertim inuitam, non potest ei obijcere de adulterio, nec separari; & nemo debet sine sua culpa priuari suo iure.

Glos. Cùm sponsa nondum cognita à viro committit adulteriũ. Item non semper propter adulterium vir potest dimittere vxorem, vt si ipse tradit inuitam, vel ipse similiter est fornicatus.

1856 *Cap. VII.* Fraternitati. *Idem.*

QVi contrahit sponsalia cum puella septem annorum, & eam polluit, non potest habere eius sororem in vxorem.

Glos. Nec ipsa fratrem sponsi.

Cap.

1857 *Cap: VIII.* Ex litteris. *Idem*

QVi matrem ſponſæ de futuro cognoſcit carnaliter, & deinde polluit filiam adultam ſcientem, rumpit ſponſalia, neque mater, nec filia, nec ipſe poterunt amplius contrahere matrimonium cum aliqua, niſi de lapſu carnis timeatur.

Gloſ. Incœſtus impedit matrimonium contrahendum.

1858 *Cap. IX.* Veniens. *Idem.*

QVi cognoſcit vnam, mox contrahit cum altera ſorore, debet abſtinere ab vtraque.

Gloſ. Hoc intelligitur in foro animæ, nam in foro Epiſcopi cogetur ſtare cum coniuge.

1859 *Cap. X.* Tua paternitas. *Idem.*

AFfinitas ſuperueniens non ſoluit matrimonium, ſed impedit petitionem debiti.

1860 *Cap. XI.* Iordanæ. *Greg.ix.*

IDem quod ſupra; ſed in caſu, quo malitia ſupplebat ætatem.

DECRETALIVM LIB. IV.

DE CONSANGVINITATE, ET affinitate. Tit. XIV.

1861 *Cap. I.* Ex litteris. *Alexand.iij.*

SI poſt contractum de præſenti, deinde inquiſita diligenter veritate per teſtes circumſpectos omni exceptione maiores inueniatur aliquis gradus, ſaltem quartus conſanguinitatis, vel affinitatis, ſunt ſeparandi. Item cauſæ matrimoniales non ſunt tractandæ à quolibet, ſed per iudices diſcretos, qui habeant poteſtatem, & ſciant canones.

Gloſ. In cauſa matrimoniali iterum accipiuntur teſtes poſt publicationem. Item cauſa matrimonialis non poteſt compromitti, ſed debet eſſe iudex, vel ordinarius, vel delegatus. *c. vlt. de tranſact.* & *c. penult. de reſt. in integ.*

Cap.

1862 *Cap. II.* Super eo. *Vrbanus iij.*

SI aliquis desponsauit puellam, & postea excipit se cognouisse carnaliter propinquam puellæ, si fama loci hoc habetur, liberatur à sponsalibus.

Glos. Affinitas superueniens soluit sponsalia. *c. 2.* & *c. ex litt. tit. superiori.* Item fama impedit contrahendum, *c. cum tua, de sponsal.*

1863 *Cap. III.* Quod delicto. *Calest. iij.*

QVando dispensatur cum aliquo, vt possit contrahere, v.g. in quarto gradu, vterque debet distare in quarto: alioquin si alter distaret in tertio stipite, non valeret dispensatio; & sic habet consuetudo loci, cui standum est ad vitandum scandalum.

Glos. Regulæ arboris consanguinitatis sunt authenticæ. Item consuetudo, & scandalum præiudicant iuri in matrimonijs, & faciunt personas habiles non habiles.

1864 *Cap. IV.* De infidelibus. *Innoc. iij.*

INfideles coniuncti matrimonio in gradu prohibito ab ecclesia, si conuertantur non sunt separandi; quia quos Deus coniunxit, homo non separet.

1865 *Cap. V.* Quod super. *Idem.*

COnsanguinei mariti possunt accipere consanguineos vxoris, quia nulla est affinitas. Item consuetudo contrahendi inter gradus prohibitos est corruptela, & non valet, & sunt excommunicandi.

Glos. Consuetudo bene potest facere personas ex legitimis illegitimas ad contrahendum, vt *c. 1.* & *cap. super eo, de cogn. spirit.* non tamen è contra, vt hic.

1866 *Cap. VI.* Quia circa. *Idem.*

DIspensatio facta à Papa contrahendi in gradu prohibito, si est ex causa falsa, non valet, nisi de nouo à Papa confirmetur.

Glos. In fauorem filiorum dispensatur in gradu prohibito. *c. 1. 35. q. 8.* etiam propter scandalum toleratur dispensatio ex falsa causa concessa,

1867 *Cap. VII.* Tua nos. *Idem.*

TEstes qui producuntur ad faciendum diuortium, cum computantur gradus consanguinitatis, debent incipere à parentibus, idest à stipite, vel germanis, distinguendo gradus per ordinem, designan-

signando personas proprijs nominibus, vel æquipollentibus indicijs, præsertim quia sæpe testantur de auditu, quod minus est validum: ideo in hac materia non est nimium laxanda facultas.

1868 *Cap. VIII.* Non debet. *Idem.*

TOllit aliquam prohibitionem contrahendi in secundo, & tertio genere affinitatis, & etiam illam quæ erat inter filios secundarum nuptiarum, cum consanguineis primi mariti mortui. Item prohibitio deinceps non excedat quartum consanguinitatis vel affinitatis, & contra hanc prohibitionem non præualet longinqua consuetudo, vel factæ constitutiones.

Glos. Genera affinitatum sic olim colligebantur, ego, & meus frater sumus in primo gradu consanguinitatis; vxor fratris mei est mihi in primo gradu, & genere affinitatis; mortuo meo fratre vxor accipit secundum maritum, ille secundus maritus est mihi in secundo genere affinitatis, sed in primo gradu: mortua vxore, secundus maritus accipit secundam vxorem, illa secunda vxor est mihi in tertio genere affinitatis, sed in primo gradu; quia persona copulata personæ mutat genus, & non gradum, si adsit copula. Item cum his generibus, etiam est sublata publica honestas, quæ ex illis sequebatur.

1869 *Cap. IX.* Vir qui à stipite. *Greg. ix.*

SI vir distat à stipite quarto gradu, & mulier in quinto, possunt sine dispensatione contrahere: quia quanto gradu remotior distat à stipite, in tanto distat à quolibet descendentium per aliam lineam ex eodem stipite.

CLEMENTIN. LIB. IV.

DE CONSANGVINITATE ET affinitate. Tit. I.

1870 *Cap.* Eos qui.

QVi scientes contrahunt in gradu prohibito consanguinitatis, & affinitatis, vel cum monialibus, ac etiam religiosi, moniales, vel clerici in sacris, si contrahunt sunt excommunicati ipso facto; & Prælati Ecclesiarum, qui hoc sciuerint, eos denuncient excommunicatos, & faciant denunciare, donec absoluantur. Remanent etiam pœnæ à iure statutæ.

Glos.

Glos. Hæc constitutio habet locum in his casibus expressis,& non in alijs. Vnde qui contrahit cum coniugata, vel infideli pagana, vel cum cognata spirituali, vel legali,vel contra publicam honestatem,non incurrit has pœnas, licet matrimonium non teneat. Item in casibus huius canonis, qui ignoranter contrahit non incurrit, si ignorantia est facti probabilis; secus si est iuris: quia si sciebat gradum, in quo erat, & nesciebat constitutionem, ligatur à constitutione. *Reg.ignorantia,de reg. iur.in 6.* Item si vnus sciebat,& alter ignorabat, sciens ligatur. Item si ignorans contraxit, & postea scit; & sequitur habere copulam,probabile est,quod non est excommunicatus, quia ius punit contractum,& non cohabitationem, vel incæstum; sicut qui ignoranter eligit indignum, postea scit esse indignum, non incurrit pœnam. *c.cum in cunctis,de electione.* Quid si putabam esse consanguineam, & non erat? Vide *c. si vero, c. in audientia,de sent.excom.* Item contrahentes incurrunt,etiam si non consumment. Item qui contrahunt sponsalia, non incurrunt.

DECRETALIVM LIB. IV.

DE FRIGIDIS, ET MALEFICIATIS, & impotentia coeundi. Tit. XV.

1870 *Cap. I.* Accepisti.

SI transacto aliquo tempore maritus dicat se esse frigidum ad copulam, ita vt non possit cum vxore,nec cum alia coire,& si vxor idem affirmat, & probari potest per verum iudicium,separentur:sed si deinde vir aliam ducit, est periurus, & cogendus redire ad primam facta pænitentia. Item si vxor post annum, aut ad sex menses dicat maritum non posse coire, & maritus negat, creditur marito, quia vxor sero reclamauit; si vero post mensem, vel duos reclamauit, si hoc potest probari per verum iudicium, separabitur, & mulier nubat cui vult.

Glos. Potest reclamare vsque ad triennium.*c.laudabile.eod.* Item contra matrimonium non creditur eorum confessioni, nisi probetur cum septima manu propinquorum. *c.2.33.q.1.* Sed pro matrimonio creditur. *c.2. de clandest.desponsat.*

1871 *Cap. II.* Quod sedem. *Alex.iij.*

SIcut puer,qui nō potest reddere debitum,non est aptus cōiugio, sic qui sunt impotentes,non sunt reputandi apti ad matrimoniū.

Glos.

Glos. Non loquitur de impotentia senum defectu caloris; sed de eo, qui sectus est, & qui perpetuo impotens est.

1872 *Cap. III.* Ex litteris. *Idem.*

SI vir contrahit cum muliere, & mulier est impedita, v.g. arctata, & omnino sit inhabilis ex infirmitate, ita vt arte medicorum adiuuari non possit, viro datur licentia ducendi aliam.

Glos. Non potest iuuari à medicis, idest sine periculo vitæ; alioquin non potest separari, quia tenetur sustinere modicam violentiam. *cap. fraternitatis, eodem.*

1873 *Cap. IV.* Consultationi tuæ. *Lucius iij.*

QVi scienter contrahit cum arctata, Ecclesia ita solet iudicare, vt si non possit eam habere vt vxorem, habeat vt sororem.

Glos. Cum arctata non potest esse matrimonium, & hoc potius est consilium, vide *c. fraternitatis, eod.*

1874 *Cap. V.* Laudabilem. *Cælest. iij.*

SI statim non possit probari naturalis frigiditas, datur triennium ad experiendum; postea si nolint simul cohabitare, & mulier per istud iudicium probat virum non posse coire cũ ea, accipiat alium. Si autem vir aliam acceperit, separentur. Item si ambo fatentur, quod se numquam inuicem cognouerint cum septima manu propinquorum, vel si deessent, vicinorum bonæ famæ, tactis Euangelijs id iurent; & tunc mulier poterit secundum maritum accipere; si vero aliam duxerit vir, facta pœnitentia reuertatur ad primam, & sunt periuri.

Glos. Ad probandam frigiditatem datur triennium, & interim experiantur copulam. Item quod hic dicitur de frigido, intelligitur etiam de maleficiato; secus si impedimentum prius possit probari. Item coniugati post triennium iurent quod dederunt operam, & non potuerunt, & propinqui iurent, quod credunt eos verum iurasse. *c. quoties, de purgat. canon.* Item si consanguinei bona fide iurauerunt, non habentur periuri. Item si propter maleficium separentur, & vir aliam ducat, non cogetur redire ad primam, sicut separatus ob impotentiam. *c. si per sortiarias. 33. q. 3.*

1875 *Cap. VI.* Fraternitatis. *Innoc. iij.*

IMpedimentum mulieris arctatæ; quod præter diuinum miraculum per opus humanum sine periculo vitæ potuit remoueri, non est perpetuum. Quare si per sententiam Ecclesiæ ex errore informatio-

mationis diuisa à marito,& ipsa alteri se coniunxit, relicto secundo debet redire ad primum, quia erat verum matrimonium. Sed si mulier hæc separata, est professa religionem, & vir aliam duxit, tenet secundum, quia primum non erat confirmatum; si secus, redeat ad primã,nisi ex eo,quod illa fuerit cũ alio fornicata,à viro repellatur.

1876 *Cap. VII.* Litteræ vestræ. *Honor.iij.*

SI mulier dicit per triennium se cohabitasse cum viro, & illum esse impotentem, vir autem fatetur se esse impotentem cum illa, sed non cum alijs, & si per inspectionem matronarum mulier reperitur virgo, & facta inquisitione non reperitur aliqua carnaliter cognita à viro illo; si constet per triennium continuum simul habitasse, & ipsi cum septima manu propinquorum iurent se nequisse carnaliter commisceri, est proferenda sententia diuortij inter eos.

Glos. Hic allegabat maleficium & non frigiditatem; & vbi constat de maleficio post triennium continuum inhabilitatis cum hac, licet sit habilis cum alijs, si hæc petit separari, postquam ipsi cum septima manu iurauerint, separentur, & alijs nubant.

DECRETALIVM LIB. IV.

DE MATRIMONIO CONTRACTO contra interdictum Ecclesiæ. Tit. XVI.

1877 *Cap. I.* Litteræ. *Alexand.iij.*

QVando iudex interdicit mulieri,ne alicui nubat,& ipsa spreto mandato contrahit matrimonium, tenet; sed imponatur ei pœnitentia pro mandato spreto: & si præceperit iudex, vt prius redeat ad domum matris, prius debet ire ad domum matris,ne contemnatur mandatum iudicis; & postea ad maritum.

1878 *Cap. II.* Ex litteris. *Idem.*

SI quæ contraxit sponsalia de futuro cum vno,& ei interdicitur, ne ad alium transeat, si spreto interdicto contrahit de præsenti cum alio, tenet secundum matrimonium; sed agat pœnitentiam de excessu.

Glos. Licet iudex deferat appellationi, tamen potest interdicere appellanti, ne faciat id quod appellat, vel quod ex eo sequitur, vel statuere terminum appellanti, licet non possit in viro appellante

pestante cognoscere de causa,quia eam iam remisit ad superiorem. *c. licet, sup. de offic. deleg.*

1879 vsq.ad 1890. *Cap. III.* De muliere. *Idem.*

SI aliqui velint contrahere, & de his dicitur, quod sint consanguinei, & Ecclesia praecipit illis, seu interdicit, ne contrahant, donec cognoscatur de consanguinitate, & ipsi hoc non obstante contrahunt, sunt separandi sub pœna excommunicationis, donec plene constet de causa.

DECRETALIVM LIB. IV.

QVI FILII SINT LEGITIMI.

Tit. XVII.

1890 *Cap. I.* Conquestus. *Alex. iij.*

ILlegitimus naturalis natus ex soluto, & soluta per subsequens matrimonium legitimatur, etiam quoad hæreditatem; & si pater vult eum ob hanc causam hæreditate priuare, est excommunicandus.

1891 *Cap. II.* Cum inter. *Idem.*

QVando duo publicè,& sine contradictione Ecclesiæ cōtrahunt, & postea canonice per sentētiam fit diuortium, filij,qui nati, vel concepti sunt ante sententiam, habentur legitimi, & succedunt hæreditario iure in bona paterna, & sunt nutriendi.

Glos. Hodie statur *c.cum inbibitio, de clandest. despons.* Quare si remittatur publica denunciatio in Ecclesia, quod est clandestinum, vel si aliqua causa Ecclesia contradicit aliquibus, ne contrahant, & ipsi contrahunt, prædicti filij habentur illegitimi. Item cum agitur de filijs, an sint legitimi, an sit spectanda conceptio, vel natiuitas; vide ibi. Trid. sess. 24.de Ref. c.1.

1892 *Cap. III.* Transmissæ. *Idem.*

QVando maritus, & vxor negant aliquem esse suum filium; sed v.g. pietatis causa eum nutriuisse, quamuis à vicinia eorum spurius credatur, tamen standum est verbo viri,& mulieris,nisi certis indicijs, & testibus constet esse eorum filium.

Glos. Res ista probetur indicijs, & interim statur præsumptioni, idest

ni, ideſt dicto patris, & matris; ſed hæc præſumptio præſumptione reſcinditur. *can. abſit*. 11.q.3. & *c. quorundam*. 34.*diſt.*

1893 *Cap. IV.* Cauſam quæ.

PRoles, quæ naſcitur ex muliere, & alio viro, quem habet vt maritum, dum viuit verus maritus, eſt illegitima.

Gloſ. Immo nec poteſt legitimari per ſubſequens matrimonium. *inf. c. tanta*.

1894 *Cap. V.* Lator. *Idem*.

CAuſa natiuitatis, ideſt an quis ſit legitimus, ſpectat ad iudicem eccleſiaſticum; & ſi inter duos menſes pars non probat quod obijcit, iudex laicus iudicet de hæreditate, ac ſi non ageretur de cauſa natiuitatis: ſed hoc debet intimari à iudice eccleſiaſtico.

Gloſ. An quæſtio de natiuitate ſit cauſa ſpiritualis, vel ſpectet ad iudicem ſecularem? Reſp. ad eccleſiaſticum.

1895 *Cap. VI.* Tanta eſt vis. *Idem*.

FIlij naturales, ideſt ex ſoluta, & ſoluto legitimantur per ſubſequens matrimonium; ſed ſpurij, vt ex coniugato & ſoluta, non legitimantur.

Gloſ. An legitimi per ſequens matrimonium ſint legitimi, etiam ad ordines, honores, & omnia, res eſt dubia. Reſp. ſic. Item ſi ſoluta neſciebat virum eſſe coniugatum, filij legitimantur per ſubſequens matrimonium, & hoc verius. Item filiorum aliqui dicuntur ſolum legitimi, vt adoptiui, & arrogati: aliqui legitimi, & naturales, vt nati ex legitimo matrimonio vero, vel putatiuo; & hi ſuccedunt ſiue ab initio, ſiue ex poſt facto: aliqui dicuntur naturales non legitimi, vt nati ex concubina in domo, & ſuccedunt in duabus vnciis ab inteſtato: aliqui dicuntur ſpurij, ideſt, nati ex adulterio, vel vulgo concepti; & iſti in nullo ſuccedunt, nec poſſunt inſtitui à patre, nec ali debent de bonis paternis. *Auth. ex complexu, C. de inceſt. nupt.*

1896 *Cap. VII.* Cauſam quæ. *Idem*.

DE cauſa ciuili inter laicos, non cognoſcit eccleſia, ſed Reges; de cauſa vero natiuitatis, an ſint nati ex legitimo matrimonio, cognoſcit Eccleſia.

Gloſ. Iuriſdictio temporalis Principum non pertinet ad Papam, ſed vide *Extr. vnam ſanctam, de maior. & obed.*

Cap.

1897 *Cap. VIII.* Prælatum. *Idem.*

SI mulier per iudicium Ecclesiæ est separata à viro, & viuente illo de licentia ecclesiæ alium ducit, proles suscepta ex secundo est legitima, & capax hæreditatis.

Glos. Non quæritur hic an Episcopus bene processerit, sed an filij sint legitimi. & Resp. sic.

1898 *Cap. IX.* Quod nobis. *Idem.*

FIlij qui nascuntur ex clandestino matrimonio, sed deinde ab ecclesia approbato, sunt legitimi, & hæredes.

1899 *Cap. X.* Referente. *Cælest. iij.*

PRohibente iustitia publicæ honestatis, si contrahitur matrimonium non tenet, & sunt separandi; & filij non succedunt, cùm Ecclesia hoc non permiserit, nec ignorantia parentum illos excuset.

Glos. Ignorantia amborum, vel vnius parentis tantum excusat. idest legitimat filios. *c. ex tenore, eod.* si tamen adsit solemnitas. *c. cum inhibitio, de clandest. despon.*

1900 *Cap. XI.* Peruenit. *Idem.*

QVando matrimonium fuit legitime celebratum, ad docendum prolem esse illegitimam non sufficit probare impedimentum matrimonij, præsertim quia quandiù vixerunt, quiete simul permanserunt sine reclamatione.

Glos. Soluit obiectiones contra hoc cap.

1901 *Cap. XII.* Per tuas. *Innoc. iij.*

QVando testes probant illam, quam vicinia putabant concubinam, fuisse desponsatã de præsenti, filius habebitur legitimus.

Glos. Illegitimi varijs modis legitimantur: vt si pater in vltima voluntate nominat filium, & instituit hæredem: si non habet alios legitimos. Item si offeratur Imperatori, & sint curiales. Item si in publico instrumento nominauit filium, nec adiecit, naturalem.

1902 *Cap. XIII.* Per venerabilem. *Idem.*

SEdes Apostolica potest legitimare illegitimos totius orbis ad actus spirituales, vt ad Episcopatum. Item illegitimos terrarum ecclesiæ etiam ad actus seculares: & putatur probabile, esse legitimatos ad actus seculares illegitimos totius orbis, præsertim si in terris non cognoscant superiorẽ qui possit legitimare, pręter Ro-

manum Pontificem; vel saltem cum in spiritualibus dispensatur, consequenter intelligitur dispensatum esse in temporalibus: sicut quando creat quem Episcopum, eximit eum à patria potestate; & Episcopus scienter ordinans seruum, ordinatus est liber, licet ordinans teneat satisfacere domino. Item Papa non solum in sua ditione, sed etiam in alijs regionibus, certis causis inspectis, exercet causaliter temporalem iurisdictionem, non tamen vult præiudicare alieno iuri; sed quia in dubijs recurrendum est ad sacerdotem, *Deuteron. c.*17. cuius locus est Sedes Apostolica Romæ, ad quam reuocatur Petrus à Christo, dum interrogatus, *Domine quo vadis*, Respondit, *Romam iterum crucifigi*. Item. *Et quodcumque ligaueris super terram*. & Diuus Paulus ad Cor.6. *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis secularia?* & sic qui non obedit, est excommunicandus.

Glos. Papa non potest legitimare alienos pro hæreditate, sed pro spiritualibus, & forte indiuersè pro temporalibus: vide ibi plura.

1903 *Cap. XIV.* Ex tenore.

QVando coniugatus ducit aliam in facie ecclesiæ, quæ ignorat illum esse coniugatum, eius proles iudicatur legitima.

Glos. Sufficit bona fides vnius parentis, vt filij sint legitimi, etiam si sint nati, vel etiam concepti mota lite, & mox parentes separentur. *c.cum inter, sup. eod.* secus de filio serui, qui putabatur liber, non enim potest ordinari.

1904 *Cap. XV.* Gaudemus. *Idem.*

FIlij infidelium, qui contraxerant in gradu in ecclesia prohibito, post fidem receptam reputantur legitimi.

Glos. Vide *c.gaudemus, de diuortijs.*

DECRETALIVM LIB. IV.

QVI MATRIMONIVM ACCVSARE POSSINT, vel contra illud testificari. Tit. XVIII.

1905 *Cap. I.* Relatum.

Trid. sess. 24. Ref. 2. QVando tractatur causa matrimonij, an sit validum, cum probari possit v. g. impedimentum cognationis, si maritus est absens,

abſens, & cum omni diligentia requiſitus nequit inueniri, ſi manifeſtum eſt quod aſſeritur, aut apparent legitimi accuſatores, & teſtes; poſſunt recipi teſtes, & cauſa ſecundum canones terminari.

Gloſ. Altera parte abſente, & non contumace teſtes recipiuntur lite non conteſtata, & fertur ſententia: ſed fuit abſens culpa ſua, & illa habetur loco contumaciæ, nec debet nocere mulieri, & ſic non eſt penitus contra ius *c.* 1. & *c. quoniam, vt lite non conteſt.*

1906 *Cap. II.* A nobis. *Clement. iij.*

IN cauſa matrimoniali accuſatio, & teſtimonia non debent fieri in ſcripturis, ſed perſonaliter: quia ſcriptura etiam ſi valeat quantum ad præſumptionem, tamen non valet quoad ſententiam, niſi alia legitima adminicula ſuffragentur.

Gloſ. Nullus debet accuſari per ſcripturam. Item præſumptio non probat, niſi ſit violenta regulariter; ſed adiuuat, ſi adſint alia adminicula. Item propter præſumptionem defertur iuramentum, quandoque actori, quandoque reo. *cap. vlt. de iureiur.* ſed non defertur contra matrimonium. *cap. ſuper eo, de eo qui cogn. conſan. vxor. ſua.*

1907 *Cap. III.* Videtur nobis. *Idem.*

IN cauſa matrimonij coniungendi, vel diſiungendi ad teſtificandum admittuntur parentes; & ſi deſunt, proximiores; ſecus in criminalibus, & contractibus.

Gloſ. Fallit hoc in matrimonio coniungendo, quando alter eſt ſuperior nobilitate, potentia, vel diuitijs, quia in tali caſu parentes inferiores non admittuntur, vtpote ſuſpecti. *c. ſuper eo, de reſtitut.* Item parentes admittuntur ſolum ad probandam conſanguinitatem, & aliquando ad probandum ipſum contractum matrimonij. *c. ſuper eo, de teſtib.*

1908 *Cap. IV.* Inſuper. *Idem.*

PVella innubilis, quæ inuita contraxit, poſtea in ætate ſponte cognita, ſi dicat ſe nunquam conſenſiſſe, & hoc probet per teſtes præclaros fama, & conuerſatione, non eſt audienda, quia antequam cognoſceretur, cum potuit non reclamauit.

Gloſ. Si ſemper inuita detenta fuiſſet, & verbo, & facto contradixiſſet, audiretur quandocumque; ſed ex tempore præſumitur contra ipſam. *c. ad id quod, de ſponſal.*

1909 *Cap. V.* Significante. *Innoc.iij.*

QVi accusat matrimonium pro quæstu, ideſt, vt habeat pecuniam, eſt repellendus:

Gloſ. Accuſator reijcitur propter turpem quæſtum, vel ſi intra tempus ſtatutum non accuſat. Item poteſt committi ſimonia in matrimonio, quia eſt ſacramentum conferens gratiam. *Trid.ſeſſ.* 24. *cap.* 9.

1910 *Cap. VI.* Cum in tua.

ACcuſans matrimonium iam factum, ſi in tempore denunciationum non manifeſtauit,non eſt admittendus,niſi eo tempore fuerit extra diœceſim,vel non potuerit habere notitiam denunciationis: v. g. ſi ex morbo non erat ſanæ mentis, vel ita puer, vt hæc non intelligeret, vel alia cauſa legitima fuerit impeditus; vel etiam ſi iuret, quod ea poſtea didicit ab alijs, qui ſciuerunt denunciationes,& ſiluerunt; hic enim eſſet audiendus,ſi etiam iuret quod hoc non procedit ex malitia.

Gloſ. Nec etiam poteſt denunciare,quia ſuſpecta perſona remouetur à denunciatione, ſicut ab accuſatione. *c. cum dilectus filius, inf.de acc.* & *c. cum tua, ſup.de ſponſ.* nam cui vna via aliquid prohibetur,non debet per aliam viam idem concedi. *c.tuæ,de procur.* Item per iuramentum eliditur præſumptio iuris. Item aliquis admittitur ad accuſandum,cuius autor repellitur; ſecus eſt in teſtibus. *c.licet,ſup.de teſt.* ſed quæ ſit ratio diuerſitatis, vide ibi.

DECRETALIVM LIB. IV.

DE DIVORTIIS. Tit. XIX.

1911 *Cap. I.* Si qua mulier.

Ex Concil. apud Vuormaciam.

HOmicidium neceſſarium, v. g. ad defenſionem ſuæ vitæ, non priuat ſpe coniugij futuri; ſed machinatio priuat: vt ſi mulier eſt machinata, & miſit aliquos, vt ſuum maritum interficerent,& maritus inuaſus aliquem occidit; maritus non priuatur ſpe coniugij, & mulier ſic.

Gloſ. Conatus ſine effectu punitur; ſed ſi contrahit, tenet.

Cap.

1912 *Cap. II.* Quæ ſicut. *Alex. iij.*

PRopter quodcumque crimen alterius coniugium non ſeparatur, niſi frangatur fides, ideſt propter adulterium; & tunc ſeparata non nubat, quia tenet matrimonium.

Gloſ. Non fit diuortium niſi pro fornicatione ſpirituali, vel carnali.

1913 *Cap. III.* Porro. *Idem.*

VIr ſine iudicio Eccleſiæ non poteſt dimittere vxorem propter parentelam, etiam publicam, & notoriam: quod ſi fecerit, compellatur redire ſub pœna excommunicationis. Item quando parentela eſt publica, & manifeſta, vt in primo, vel ſecundo gradu, & nullus accuſet, Epiſcopus ex officio adhibita grauitate diſſoluat matrimonia illicite contracta.

Gloſ. Nullus poteſt dimittere vxorem propter fornicationem, etiam publicam, ex propria auctoritate: quia in notorijs ſeruandus eſt ordo iuris, ſaltem quoad ſententiam, licet non quoad alia, quia diuortium eſt pœna, & pœna non eſt inferenda niſi per iudicem. Ideo ſi ante ſententiam, vxorem quis dimiſerit, reſtituenda eſt, ſi non ad carnalem copulam, certe ad cohabitationem. Item Epiſcopus in manifeſta, & publica parentela coniugatorum non indiget accuſatore, ſed procedat. Si vero non eſt manifeſta, ſed eſt fama, Epiſcopus ex officio inquirat, & compellat, vt ſcientes teſtificentur: ſicut & diſcordes ex officio reconciliat, & compellit ad cohabitandum.

1914 *Cap. IV.* Significaſti. *Idem.*

SI vir dimittit vxorem propter adulterium ſine ſententia iudicis, & ideo excommunicatur, vxor vero dimiſſa adhuc adulteratur cum alijs, & tamen petit reſtitui dicens ſe iniuſte dimiſſam, & habuiſſe materiam adulterandi à marito; ſi adulterium mulieris eſt notorium, non eſt cogendus ad illam recipiendam, niſi conſtiterit ipſum virum cum alia adulteraſſe.

Gloſ. Dante marito materiam adulterandi, ſi mulier volens conſenſit, & poſtea reclamat; non eſt audienda; ſi inuita conſenſit, eſt audienda, cùm ei non poſſit obijci adulterium. *cap. deſcriptionem, de eo qui cogn. conſang. vx.* Item ſi mulier receſſit à viro propria auctoritate, deinde petit reſtitui, eſt audienda; quia ſi rediens non admittitur, intelligitur ſpoliata; ſed non poteſt petere expenſas, quas fecit interim, niſi quas fecit poſtquam petijt reddi.

di. Item si adulterium est occultum, non potest ei objici, nisi prius fuerit restituta. Item crimina mutua pari compensatione tolluntur.

1915 *Cap. V.* Ex litteris. *Idem.*

SI vxor fornicatur, fit diuortium: si deinde maritus adulteratur, compellitur redire ad vxorem, vt cohabitent.

Glos. Sufficit pro separatione thori, si mulier confiteatur adulterium: sed hæc confessio potest reuocari, quia est causa quasi criminalis, vel mixta, in qua confessio criminis non præiudicat nisi perseueret. *l.1. §.diuers. & §.si quis vltro de quæstion.* Item post diuortium maritus potest reuocare vxorem, etiam inuitam. Item delictum mariti superueniens præiudicat sententiæ. Item coniuges possunt profiteri religionem, quando iudex illos separauit.

1916 *Cap. VI.* De illa. *Vrban.iij.*

SI maritus labatur in hæresim, & vxor sua auctoritate se separat; si maritus conuertitur, vxor debet reuerti, & est compellenda; si fuit separata per sententiam iudicis, non est compellenda.

Glos. In hoc est correctum hoc capitulum per c. subsequens, quia est compellenda in vtroque casu, nisi voluerit religionem intrare. *c. vlt. de conuers. coniugat.*

1917 *Cap. VII.* Quanto. *Innoc.iij.*

SI coniugum infidelium vnus conuertatur, & alter non vult cohabitare sine iniuria Creatoris, soluitur matrimonium; & conuersus potest aliam ducere, quia erat verum matrimonium, sed non ratum. Si fidelium coniugum alter fiat hæreticus, vel infidelis; relictus non potest alteri nubere, quia non soluit matrimonium, erat enim ratum per sacramentum fidei, quod durat cum vita, & sic qui remansit, est cogendus redire ad eum, si reuertatur ab hæresi, vel infidelitate:

Glos. Nisi velit religionem intrare. *c. vlt. de conuers. coniugat.* Item quando quis conuertitur ad fidem, & alter non vult sine contumelia habitare, habita hac notia, statim est dissoluendum matrimonium, & potest alteri contrahere: sed melius est hoc probare per testes, ne postea contrahens impediatur. Item si antequam contrahat cum secunda, prima conuertatur, tenetur illam accipere, & videtur nouum matrimonium.

Cap.

1918 *Cap. VIII.* Gaudemus. *Idem*.

PAgani, qui habent vxores in aliquo gradu prohibito ab ecclesia, vt in secundo, vel tertio, vel vlteriori, si conuertantur, remanent coniuges; quia per baptismum non soluuntur coniugia, sed crimina dimittuntur. Item habere plures vxores, est inimicum fidei Christianæ, nec vnquam licuit simul habere plures vxores, nisi quibus fuit diuina reuelatione concessum, vt Patriarchis, & alijs viris iustis: quare infidelis habens plures vxores, licet primam repudiauerit, si conuertatur, tenetur accipere primam repudiatam. Excipitur, quando illa renuit cohabitare cum illo; vel si consentiat, non tamen sine contumelia Creatoris; vel si illum pertrahat ad peccatum. Item si illa prima conuertatur, maritus prius conuersus, si adhuc non duxit aliam, debet illam primam accipere, nec potest illi dimissæ obijcere fornicationem, ex eo quia post repudium alteri nupsit, nisi cum alijs fuerit fornicata.

Glos. Aliquando denegatur restitutio, licet constet de iniusta spoliatione, vt *hic*, & *c. significasti*; & vbi excipitur de alia spoliatione, & si timetur sæuitia viri. Item si infidelis non vult cohabitare cum fideli, an ipso facto sit solutum matrimonium, res est dubia: sed videtur quod non, nisi quando fidelis contrahit; & si iudicio Ecclesiæ est separata, potest intrare religionem.

1919 *Cap. IX.* Deus qui. *Idem*.

DEinceps prohibetur, ne frater ducat vxorem relictam à fratre, licet dispensetur cum nouiter conuersis, vt remaneant in matrimonio, quod in infidelitate contraxerunt more Mosaico, idest vt suscitarent semen fratris.

DECRETALIVM LIB. IV.

DE DONATIONIBVS INTER virum, & vxorem, & dote post diuortium restituenda. Tit. XX.

1920 *Cap. I.* Mulieres.

QVando mulieres ex licita causa separantur à viris, tota dos est illis restitueeda. Ex concil. apud Vuormatiam.

Glos.

Glos. Secus est si separentur solum propter fornicationem. *c. plerumque, eod.* Item tunc intelligitur procedere dispositio huius cap. quando ignoranter contraxerunt in gradu prohibito. *c. proposui, de coniug. seru.* secus si scienter, quia perderent omnia data, & applicarentur fisco, nisi errore, vel minori ætate excusentur. *c. si necesse eod.* de fructibus & expensis vide ibi.

1921 *Cap. II.* Significauit. *Vrban. iij.*

QVando ex licita causa solemniter coniuges separantur, censuris cogitur maritus, nisi aliquid obsistat, restituere dotem, & partem rerum communium.

Glos. Si quæ constat fuisse acquisita bonis mariti, & vxoris; alias præsumitur omnia esse viri; sicut empta ab Episcopo præsumuntur esse Ecclesiæ, nisi appareat contrarium. *c. 1. de pecul. cler.* Item censuris debet cogi maritus ad restituendam dotem, nisi aliquod pactum, vel consuetudo, vel sententia lata, à qua non sit appellatum, obstent.

1922 *Cap. III.* De prudentia. *Clemens iij.*

IVdex delegatus, si ob impedimentum dirimens ferat sententiam pro diuortio, debet etiam sententiare pro tota dote restituenda secundum ius canonicum: quia qui cognoscit de principali, debet cognoscere de accessorio, & incidenti.

Glos. Ideo ecclesiasticus iudex sententiat de dote, quia accessoria: nam si esset causa principalis de dote, v.g. quia maritus labitur facultatibus, vel dissipat bona, vel mortuus est, & mulier petit dotem, aget coram iudice seculari, quia est causa principalis de dote. Item si iudex pronunciauit de principali, & non de accessorio, quia iam functus erat officio suo, indiget noua auctoritate pro accessorio: vide ibi.

1923 *Cap. IV.* Plerumque. *Idem.*

MVlier, quæ causa fornicationis iudicio Ecclesiæ, vel propria auctoritate à viro recessit, nec reconciliatur, non potest repetere dotem vel dotalitia.

Glos. An si post adulterium, & sententiam cognoscitur non fuisse matrimonium ex impedimento, possit ne repetere dotem? Resp. Res est dubia: vide. Item pro dotalitio non intelligitur donatio propter nuptias. *c. vlt. eod.* sed id quod mulier lucratur per donationem, vel per pactum. *eod. c.* vel per dotalitium intelliguntur res paraphernales. *l. vlt. & l. hac lege, C. de pact. conuen.*

Cap.

1924 *Cap. V.* Et si necesse. *Innoc. iij.*

QVando à marito donantur aliqua propter nuptias cum pacto, quod si contingat separatio, donata remaneant pro vxore, si deinde matrimonium reperitur nullum ob consanguinitatem, & donata causant difficiliorem separationem, sunt restituenda viro, quæ donauit; quia hæc non ob turpem, sed ob nullam causam fuerunt donata; nec sunt dos, nec donatio propter nuptias, cùm matrimonium sit nullum.

Glos. Soluto matrimonio quicquid est datum, si ignoranter contraxerunt, repetitur à dante; si scienter, à fisco.

1925 *Cap. VI.* Nuper. *Idem.*

VIr qui habet terram non in feudum, vel hæreditatem, sed ad vsum dum viuit, idest vsusfructuarius: si concedat partem terræ vxori in dotem, mortuo marito, vxor non potest amplius illam habere, nisi consentiat dominus terræ. Item si terra fuit data in feudum, vel hereditatem alicui, & hæredi, quem habebit ex legitima vxore, & ipse concedit partem terræ in dotem vxori, & moritur sine herede; vxor non potest amplius habere partem terræ. Ratio vtriusque est, quia nullus plus iuris in alium potest conferre, quàm constet eum habere; & licet Ecclesia teneatur protegere dotes viduarum, & esse fauorabilis in earum causis, tamen non contra iustitiam. Item vxor debet dare viro dotem, vir autem debet facere donationem vxori propter nuptias secundum legitimas sanctiones.

Glos. Feudum potest alienari ad tempus, alias non. *c. 2. de feud.* Item dos ad vxorem, & donatio ad virum reuertuntur nisi obstet pactum.

1926 *Cap. VII.* Per vestras. *Idem.*

QVando maritus petit dotem vxoris, & contra eum excipit, quod sit pauper, & quod non possit dare sufficientem cautionem pro dote restituenda, det illam cautionem, quam potest, vel committat dotem alicui honesto mercatori, vt de parte honesti lucri possit onera matrimonij sustentare, ne occasione dotis detentæ, si maneant separati, adulterentur.

Glos. Quam potest cautionem, idest iuratoriam; & in hoc casu loquitur, quando est pauper, & non quando est suspectus de dilapidatione, quia tunc secus fit. Vide.

1927 *Cap. VIII.* Donatio. *Greg.ix.*

DVrante matrimonio donatio inter coniuges, ex qua alter fit locupletior, alter pauperior, non est firma, nisi confirmetur morte donatoris: & si donator, dum viuit, reuocat tacite, vel expresse, euanescit donatio; vel si prius moriatur, qui donationem accepit, euanescit. Item soluto matrimonio, sicut dos reuertitur ad mulierem, sic donatio propter nuptias redit ad virum, nisi secus fiat de consuetudine, vel de pacto lucrãdæ dotis, vel donationis propter nuptias; & istud pactum debet esse æquale ex vtraque parte.

Glos. Durante matrimonio, donatio inter coniuges non valet, si matrimonium est validum; sed si non est validum, tenet; non tamen est fas has esse ratas. Item donatio inter sponsam, & sponsum tenet. Item si in matrimonio donator vsque ad finem vitæ vult, tenet donatio. Item si permansit in ea voluntate vsque ad mortem, etiam si donatio excedat legitimum modum, & non sit insinuata, valebit vsque ad legitimum modum. Item si donator non fiat pauperior, tenet donatio; vide ibi casus: imo si fiat pauperior, & accipiens non fiat ditior, tenet. Item in aliquo casu valet, licet donator fiat pauperior, & alter ditior. Item reuocatio tacite fit per diuortium. Item tacite fit reuocatio, si accipiens prius moriatur; secus si is qui contulit, vel ambo simul moriantur. Item expresse reuocatur, si donans deinde eandem rem alienat. Item hæc eadem intelliguntur inter parentes, & liberos, inter quos donatio non tenet.

DECRETALIVM LIB. IV.

DE SECVNDIS NVPTIIS. Tit. XXI.

1928 *Cap. I.* Capellanum. *Alex.iij.*

PResbyterum, qui benedicit secundas nuptias, Episcopus suspendat ab officio, & beneficio, & mittat eum Romam.

1929 *Cap. II.* Dominus. *Lucius iij.*

NVllus præsumat transire ad secundas nuptias, nisi prius constet de morte vxoris; & si aliquis adhuc dubius de morte vxoris aliam duxit, reddat debitum, sed non petat; & si deinde constat

ſtat de vita primæ coniugis, relicta ſecunda ad primam reuertatur.

Gloſ. Quando conſtet de morte vide *c. in præſent. de ſponſ.* Item in dubio præſumitur pro matrimonio, & redditur debitum. *c iuuenis, de ſponſ.* Secus quando dubitatur, an matrimonium ſit contractum, quia eſt clandeſtinum, quia præſumitur adulterium *can. aliter.* 30. *q.* 1. & *argum. c.* 2. *de clandeſt deſponſ.*

1930 *Cap. III.* Cur autem. *Urban. iij.*

SI vnus ex coniugibus fuit ſemel benedictus in primo matrimonio, non habet in ſecundo deinde benedici.

1931 *Cap. IV.* Super illa. *Idem.*

MVlier, quæ nubit infra annum luctus ſecundum leges, non incurrit infamiam ſecundum Apoſt.

1932 *Cap. V.* Cum ſecundum. *Idem.*

DIcit idem, quod in præcedenti: & ratio eſt, quia ſæculares leges non dedignantur ſacros canones imitari.

Gloſ. Non ſolum mulier, quæ nubit infra annum, non incurrit infamiam, ſed neque etiam incurrit pœnam, quam exprimunt leges, licet dubium ſit an perdat antenuptialem dotem. vide.

FINIS LIBRI QVARTI.

DE

DECRETALIVM
LIBER QVINTVS.
DE ACCVSATIONIBVS, inquisitionibus, & denunciationibus.
Tit. I.

1933 *Cap. I.* Si legitimus. *Fælix Papa.*



VANDO accusator non est legitimus, reus non est molestandus, nec trahendus ad iudicium.

Glos. Tres vt illegitimi non possunt accusare, criminosi, inimici, & qui sunt malæ famæ, & suspecti; imo nec possunt denunciare. *c. cum in tua de spons.* Item sunt alij illegitimi his versibus comprehensi.

Fæmina, pupillus, delatus, crimine tentus,
Suspectus, quæstu corruptus, forti legusque.
Infamis, seruus, pauper, cum milite princeps,
Libertus, socius socium, nec non inimici,
Clericus Ecclesiam nullus deferre valebit.

Item reus accusatus ab illegitimo accusatore absoluatur. *c. accusator, 7. q. vlt.* nisi sit infamatus, tunc enim dabitur ei purgatio. *c. cum P. de purg. can.*

1934 *Cap. II.* Si quis Episcopus. *Idem.*

QVi vult denunciare Episcopum suum, debet prius ipsum charitatiue admonere, vt se emendet; alioquin non admittitur eius denunciatio.

Glos. Ante denunciationē debet præcedere admonitio Euāgelica.

1935 *Cap. III.* Illa præpositorum. *Gregor.*

DEbent accusare illi, quorum interest, vt monachi Abbatem, & causa est tractanda coram iisdem, vt reus liberetur, vel condemnetur.

Glos. Sententia diffinitiua debet continere, vel condemnationem, vel liberationem, alioquin est nulla; & debet esse cum certa quantitate

titate, secus non valet. *l. vlt. & penult. c. de sent. quæ sine cert. quant. prolata est*

1936 *Cap. IV.* Omnipotens. *Idem.*

ACcusatus, vel denunciatus de aliquo crimine, interim non potest promoueri ad honorem, donec se purget.

Glos. Idem dum inquiritur, vel est infamatus. *c. vlt. de resti.*

1937 *Cap. V.* Nulli Episcoporum. *Paschal. v.*

SI Episcopus habet aliquem familiarem, & eum à se non separat, si familiaris vult Episcopum accusare; non potest Episcopus repellere eum ab accusatione, tanquam infamem.

Glos. Iudex tamen ex officio suo potest illum repellere, si non est idoneus. Item hoc est statutum in pænam Episcoporum, quia apud se debent habere personas honestas, & bonæ famæ.

1938 *Cap. VI.* De his. *Concil. Mogunt.*

ACcusatus de vno crimine, & absolutus de eodem non potest secundo accusari.

Glos. Si probato crimine iudex dispensauit, & crimē erat dispensabile, non potest secundo accusari; si est absolutus, quia accusator non probauit, est tutus, nisi in duobus casibus. Primo, si secundus accusator doceat primum fuisse præuaricatum. *c. 1. de coll.* Secundo, si secundus ignorans alium accusasse prosequitur suum dolorem. *c. si cui, §. ijsdem, ff. de accus.* Item absolutus coram Deo per pænitentiam in conscientia potest accusari in foro exteriori.

1939 *Cap. VII.* Repellantur. *Stephan. Papa*

QVi cohabitant cum inimicis meis, repelluntur ab accusatione contra me,

1940 *Cap. VIII.* Accusasti.

QVi accusauit aliquem calumniose innocentem, & occiditur innocens, agat pænitentiam in pane, & aqua per xl. dies, quæ carina vocatur, & per septem sequentes annos pœniteat; si innocens est mutiliatus, & non occisus, pœniteat per tres quadragesimas.

1941 *Cap. IX.* Euidentia. *S. August.*

QVando crimen est notorium, non requiritur accusator, sed potest iudex procedere.

Glos. Vide *c. vlt. de cohabitat cleric. & mulier.* quæ crimina dicantur notoria.

Cap.

1942 *Cap. X.* Cum. *Alex. iij.*

Laicus non admittitur ad accusandum clericum, nec qui fuit testis in vno casu admittitur ad accusandum in eodem casu, præsertim si frater accusati accusasset prius de eodem crimine simoniæ eum, qui modo accusat talem clericum; sed accusatus, quia infamatus, purget se cum tribus sacerdotibus.

Glos. Laici non possunt accusare clericos, nisi prosequantur suam, vel suorum iniuriam. *c. omnibus. 4. q. 6.* Sed accusantes non possunt esse testes in eo casu, nisi in criminibus exceptis, vt simoniæ, hæresis, & læsæ maiestatis. *c. de cætero, de test.* & *c. tanta de simon.* Sed in hoc cap. ideo testes reijciuntur, quamuis accusarent de simonia, quia erant inimici. Item numerus purgatorius est arbitrarius. *c. inter solicitudines de purg. can.* Item si non potest habere purgatores, sed id procedit, quia est taliter infamatus, punietur tanquam conuictus; si est bonæ famæ, creditur suo iuramento; si habet bonos laicos, admittuntur. *arg. 2. q. 1. in primis.*

1943 *Cap. XI.* Ex parte tua. *Idem.*

Monachus, licet non possit accusare alios, potest tamen accusare suum Abbatem, cui sunt administrandæ expensæ de bonis monasterij, donec causa finiatur, & non impedit esse sub obedientia Abbatis, nisi impediatur ex alia causa, scilicet, si sit excommunicatus, inimicus, &c.

Glos. Monachus non potest alios accusare, nisi intersit monasterio, & de licentia Abbatis; vel nisi de licentia Abbatis esset in aliquo negotio, vt in studijs, & sua interesset eum accusare, tunc posset. Excipitur etiam correctio fraterna, quam potest sine licentia Abbatis, quia est iure diuino.

1944 *Cap. XII.* Si constiterit. *Idem.*

Presbyter, cui Ecclesia est commendata, si est ebriosus per totã noctem in taberna, & mane indigestus, idest non ieiunus celebret; si de hoc est conuictus coram Episcopo suo, vel accusatus fatetur sponte, non potest repetere Ecclesiam, qua fuit priuatus. Si vero Ecclesia fuit ei canonice collata in titulum, & postea non fuit conuictus de aliquo crimine, ob quod iure est spoliandus, vel si fuit spoliatus, post appellationem est restituendus in possessione pacifica.

Glos. Qui commendat rem alicui non dat ei possessionem, & consequenter non spoliatur quando priuatur. Item confessio coacta non præiudicat.

Cap.

1945 *Cap. XIII.* Meminimus. *Idem.*

NOn potest excipere contra aliquem ille, qui præsumitur manifestus inimicus, vt qui in illa, vel in simili causa fuit testis alio accusante.

1946 *Cap. XIV.* Licet. *Innoc.iij.*

QVi dixit coram iudice se accusaturum aliquem, potest deinde impune ante inscriptionem desistere, sed ei silentium imponatur, vt non possit amplius illum de tali crimine accusare: committitur tamen Episcopo, vt inquirat super bona fama, antequam absoluatur accusandus, quia iam erat infamatus.

Glos. Accusator non comparens in termino præfixo amplius non auditur, nisi probet iustam absentiam. *c.quisquis.* 4.*q.*5. Item nemo compellitur ad accusandum. *c.siquidem.* & *c.si quis iratus.* 2. *q.*3. etiam post libelli oblationem. *ff.ad Turpil.l.quæsitum, ff. de in ius vocando, l.libertus.* in actionibus tamen ciuilibus post libellum oblatum, reo instante, compellitur actor ad agendum. *C.quomodo, & quando iudex, Auth. qui semel.*

1947 *Cap. XV.* Veniens. *Idem.*

IN causa criminali absente reo non admittitur procurator ad agendum, vel defendendum, licet reus se excuset, quod non venerit propter aliquas causas extrinsecas, vel friuolas, & reputatur contumax; sed deputatur auditor, vt intelligat an posset illum excusare. Item qui semel est confessus se calumniosè aliquem accusasse, & eidem iurat se amplius non accusaturum, non est audiendus, si accusat eundem; sed reo propter contumaciam, & infamiam est indicenda purgatio & citatio.

Glos. In causa criminali non interuenit procurator. Fallit in crimine iniuriarum, vel ad excusandum, vel excipiendum, vel cùm agitur de crimine non criminaliter, vel in leuibus criminibus, vel si crimen non excedit pœnam relegationis, vel in crimine suspecti tutoris, vel cum quis accusat alium de ingratitudine, vel in actione populari, vt agat pro priuato damno; vel cum dominus defendit seruum à crimine, vel ex parte rei post litem contestatam, semper potest interuenire procurator. *cap. reos.* 23. *q.* 5. vide fusius ibi. Item qui iurauit se non accusaturum amplius aliquem, nec potest illum denunciare; an alius possit accusare illum de crimine, de quo fuit iam liberatus, vide *cap. de his, eod.* Item vocatus siue iuste, siue iniuste, tenetur ire, aliter habetur contumax,

quando citatio, vel tenet, vel eſt dubia, ſecus quando euidenter non tenet. Vide ibi plures caſus, in quibus citatio eſt euidenter nulla.

1948 *Cap. XVI.* Super his. *Idem.*

CRimen poteſt opponi tribus modis, denunciando, excipiendo, accuſando; cùm denunciatur, non eſt neceſſaria inſcriptio, quia tendit ad correctionem; cùm accuſatur, eſt neceſſaria, quia tendit ad pænam; cùm excipitur, ſi ad repellendum ab accuſatione, vel teſtificatione, non eſt neceſſaria, ſi vt excludatur aliquis à promotione officij, vel beneficij, & ante confirmationem obijcitur crimen, non eſt neceſſaria; ſi poſt promotionem, vt cum ordinandus fuerit, vel conſecrandus, tunc eſt neceſſaria, & excipiens eſt aſtringendus à iudice ad extraordinariam pœnam, ſi defuerit in probando, quia probando tollit ius acquiſitum. Item hæc quæſtio poteſt tractari per procuratorem, quia licet agat de crimine, non tamen eſt criminalis.

Gloſ. Inſcriptio eſt obligatio ad pœnam talionis, ſed in quibus caſibus non eſt neceſſaria, vide ibi. Item quis ab accuſando poteſt repelli obijciendo illi crimen, non tamen ab excipiendo niſi propter excommunicationem.

1949 *Cap. XVII.* Qualiter. *Idem.*

SI illi qui inquirunt, non ſeruauerunt debitum inquiſitionis modum, debent ſe corrigere, ſed caute, & prudenter, ſuperſedendo donec inueniatur congrua occaſio, ne authoritas illorum vileſcat. Item forma iuramenti dandi in inquiſitionem, eſt, vt clerici iurent, quod ſuper his quæ ſciunt, vel credunt, etiam in ſua eccleſia reformanda, tam in capite, quam in membris dicant meram, & plenam veritatem inquiſitoribus, exceptis criminibus occultis.

Gloſ. In inquiſitionibus faciendis de occultis, nec quærendum, nec dicendum, ſed tantum de his quæ infamia præceſſit: & ſi teſtes dicant occulta, non puniantur, quia non iurarunt de his. *c. inquiſit. eod.*

1950 *Cap. XVIII.* Cum dilecti. *Idem.*

QVando inquiſitus iurat reſpondere ad interrogata, & confitetur aliquod crimen, poteſt deinde ſe excuſare interpretando confeſſionem, non tantum eam perimendo; & ſi ſufficienter probat illas exceptiones liberabitur, dummodo poſſit probare,

quod

quod sub hac forma iurauerit, vel scripto, vel per testes. Et licet inueniatur aliqua leuis culpa, tamen est indulgendum ei ob pudorem, quem sustinuit: sed si non potest probare illas excusationes, vel iurauit sub alia forma, idest dicendi plenam, & meram veritatem, est puniendus.

1951 *Cap. XIX.* Cum oportet. *Idem.*

NIsi prius constet de infamia alicuius, non est procendendum ad inquisitionem illius criminis. Item quando est procedendum ad inquisitionem, eius inimici non sunt admittendi ad prosequendam inquisitionem, nec ad testificandum; sed veritas quæratur à viris idoneis: & si nihil graue probatum fuerit contra episcopum, indicatur ei purgatio canonica.

Glos. In casu criminali non admittuntur testes consanguinei, nec inhonestæ conuersationis etiam ad denunciandum. Item arbitrio iudicis relinquitur, quæ inimicitiæ sufficiant, vt quis reijciatur à testificando.

1952 *Cap. XX.* Cum dilectus. *Idem.*

NOn potest denunciare publicus concubinarius, propter quod fuit excommunicatus, nec qui denunciaturus prius non præmonuit denunciandum; v. g. Episcopum de illo delicto, neque ille qui conspirauit in denunciandum. Item Episcopus non præsumat grauare clericos, quia legitime appellarunt ad Papam super illo delicto, donec causa terminetur per mandatum Papæ.

Glos. Criminosus, sicut nec viles personæ, admittuntur ad denunciandum. *c. 1. sup. eod.* & *c. cum in tua, sup. de spons.*

1953 *Cap. XXI.* Inquisitionis.

QVando crimen alicuius per inquisitionem probatum, deponeret accusatum criminaliter, & conuictum; si crimen est tale, quod etiam post peractam pœnitentiam impediret executionem suscepti ordinis, vel retentionem beneficij, vt homicidium, vel simonia in ordine, vel beneficio acquirendo; tunc est procedendum, sicut proceditur in iudicio accusationis; si non est tale, est danda pœna arbitraria secundum merita personæ, & qualitatem excessus. Item quando contra aliquem non præcessit infamia, nec clamosa insinuatio, non debent recipi depositiones contra eum, etiam si plures iuramento affirment illum deliquisse eis videntibus; nec etiã est puniendus aliqua pœna; nec etiam est inquirendum ad petitio-

nem eorum, qui in occulto porrigunt libellum infamationis continentem crimina. Item non est adhibenda fides dictis, v.g. testium contra aliquem, qui post, vel ante iuramentum tacite, vel expresse asserunt se esse inimicos eius, nisi ante iuramentum præsumantur in fraudem id facere. Item propter famam, & credulitatem testium dumtaxat non est proferenda sententia depositionis contra aliquem; sed infamato indicatur purgatio secundum arbitrium iudicis; & iudex non debet reputare aliquem infamatum propter paucorum dicta, cuius opinio non est læsa apud bonos, & graues viros.

Glos. In nullo occulto crimine post peractam pœnitentiam impeditur executio ordinis, nisi in homicidio. *cap. quæsitum, de temp. ord.* & in simonia. *can. de his, dist.* 50. & in alijs. vide *glossam de renunciat. cap. nisi.* Item denuncians non debet se obligare ad pœnam talionis quemadmodum accusans, sed potius ad pœnam extraordinariam, sicut excipiens. *cap. sup. his, sup.* Item per inquisitionem, an sit quis deponendus, vide glossam. Item si testes dicant de occultis, non valent eorum dicta, quia super his non iurarunt. *cap. de testibus, de test.* Item qui in occulto dant libellum infamationis, sunt puniendi. Item iudex debet interrogare testem, an sit eius inimicus; sed non debet interrogare, an sit criminosus. vide *gloss. cap. cum causam, de test.* Item si post iuramentum dicat se esse criminosum, vel inimicum, non creditur ei. Item dicta paucorum non faciunt famam; & ex hoc Prælatus non mouebitur ad inquirendum, nisi fama sit per villam, vel parochiam. Sed qui dicentur pauci, vt quis non dicatur infamatus, nam quadraginta dicuntur pauci. *c. latores, de clerico excommun. minist.* Resp. requiritur maior pars viciniæ, vt ex hoc scandalum generetur. *cap. qualiter, sup.* quia requiritur fama loci, & non aliquorum. *cap. illud, de præsumpt.*

1954 *Cap. XXII.* Ad petitionem. *Idem.*

QVando facto processu constat de crimine, v.g. Abbatis, & deponitur, non seruato tamen iuris ordine, licet vere esset deponendus, tamen est iniuste depositus, propter ordinem iudiciarium non seruatum; & sic restituendus. Et si interim alius substituatur, est iniuste substitutus, cùm primus sit iniuste priuatus; tamen Papa in isto casu voluit primum Abbatem remanere priuatum, & deposuit secundum substitutum: sed quia secundus non fuit remotus propter vitium personæ, vel defectum scientiæ, sed

solum

ſolum propter ordinem iuris non ſeruatum, ideo Papa ipſum reſtituit in Abbatem.

Gloſ. Legatus generalis non poteſt ſe intromittere generaliter de cauſa ſpeciali alteri commiſſa. *c.ſtudiſti, ſup. de officio leg.* Item qui tacet, non conſentit. *l.inuitum ff. de ſerui. vrb.prædi. l.filius fam. ff. de procur.* Licet aliqua iura videantur contrarium docere. Item probationes factæ coram eo, qui non eſt iudex, faciunt fidem in alio iudicio, vt *hic*, & *c.in primis*, 2.q.1. & *c.hac quippe* 3.q.6. & *c.præſentata,ſup.de teſt.*

1955 *Cap. XXIII.* Accedens.

QVando aliquis obtinuit à Papa beneficium, & in executione gratiæ excipitur contra eum, quod ſit criminoſus, ſi non fuit prius infamatus de illis criminibus,eſt exequenda gratia; & poſtea ſi apparet legitimus accuſator, & fuerit legitime probatum aliquod crimen, eſt amouendus à beneficio. Si vero non apparet accuſator, vel ſi apparet non probat, & ipſe eſt infamatus de illo crimine, eſt indicenda ei canonica purgatio, in qua ſi deficit remouetur à beneficio; ſi vero ſe purgat, ſunt compeſcendi contradictores, ne eum moleſtent, & ſunt condemnandi in expenſis legitimis.

Gloſ. Si obijciatur exceptio alicui electo non confirmato,ſeu non habenti plenum ius, ſtatim auditur exceptio: ſed ſi inſtituto, ſeu confirmato opponitur, non admittitur, niſi ſit infamatus, imo debet dari ei poſſeſſio. Sed ſi eſt publice infamatus propter tantam infamiam,& ſcandalum, etiam ſi eſſet in poſſeſſione, debet ſuſpendi vſque ad pugationem. *c.presbyter,* & *c ſi mala fama,*2.q.5.

1956 *Cap. XXIV.* Qualiter. *Idem.*

QVando clamor, & fama non à maleuolis, & maledicis, ſed à prouidis, & honeſtis non ſemel, ſed ſæpe peruenit ad aures ſuperioris contra aliquem ſubditum, vel prælatum,tunc ſuperior,quaſi nunciante fama, vel deferente clamore, ex officio ſuo diligenter inquirat veritatem coram ſenioribus Eccleſiæ, & hoc diligentius eſt ſeruandum in prælatis iudicandis, quia non poſſunt omnibus placere,cum ex officio increpent, ſuſpendant, ligent, & ſic incurrunt odium, & inuidias multorum; ideo accuſatio criminalis, quæ tendit ad degradationem, non admittatur, niſi præcedat legitima inſcriptio. Cum vero aliquis eſt infamatus, ita vt ſine ſcandalo non poſſit diſſimulari, nec ſine periculo tolerari, debet procedere ad inquirendum, & punire exceſſus, qui ſi ſunt graues, & ſi non degradetur ab ordine, amoueatur tamen ab adminiſtratione omnino.

Item is contra quem fit inquisitio,nisi contumaciter se absentet,debet esse præsens, & ei sunt exponenda capita, super quibus est inquirendum, & sunt ei publicanda dicta, & nomina testium, vt se defendat, & sunt admittendæ exceptiones, & publicationes legitimæ. Item loquendo de excessibus non notorijs, si procedatur per accusationem, debet præcedere legitima inscriptio; si per denunciationem,charitatiua admonitio; si per inquisitionem,clamosa insinuatio; & in omnibus dictetur semper forma sententiæ iuxta formam iudicij. Item circa regulares personas non est vsquequaque seruandus iste ordo, sed cum causa requirit, facilius,& liberius possunt amoueri à suis administrationibus.

Glos. De modo & pœnis, quibus est procedendum in iudicio, vide fuse hic. Item prælatus debet reddere rationem administrationis suæ tanquam tutor. *l. 2. C. de iud.* Nam est dominus sed comparatur tutori, & procuratori. *c. 2. sup. de dolo.* Si vero aliter non potest reddere rationem, stetur ipsius iuramento. *c. vlt. sup. de his quæ vi metusue causa fiunt.*

1957 *Cap. XXV.* Sicut olim. *Idem.*

Metropolitani celebrent prouinciale concilium singulis annis cum suis suffraganeis, & tractent de corrigendis excessibus, & reformandis moribus præsertim in clero,secundum iura,addendo pœnas;& ad hunc finem statuant idoneas personas per singulas Diœceses, quæ per totum annum simpliciter absque vlla iurisdictione obseruent, quæ sunt corrigenda, vel reformanda,& ea deferant ad concilium prouinciale in anno sequenti; & super his, & alijs prouideant; & quæ statuuntur publicentur in sinodis Episcopalibus celebrandis annuatim per singulas Diœceses. & qui hoc neglexerit adimplere, suspendatur ab executione sui officij.

Glos. De his exploratoribus multa, & quorum expensis.

1958 *Cap. XXVI.* Olim. *Greg. ix.*

Excommunicatio, suspensio, vel interdictum lata per Abbatem, qui fuit denunciatus, vel alium eius nomine contra denunciantes monachos, vel eis adhærentes relaxantur, si fuerunt post inceptum negotium: & si pendente lite fuerunt spoliati ab abbate,restituantur; & iudices sine strepitu iudicij inquirant inquirenda in personas, & obseruantias regulares, & corrigant,& reforment,tum caput,tum membra, & relaxent iuramenta de tacenda veritate; sed lite pendente Monachi sint obedientes Abbati, ita vt lis non impediatur, & manifestentur denunciato Abbati dicta testium. Item expen-

expensæ, quæ requiruntur pro fratribus, & personis idoneis denunciantibus, & prosequentibus negotium, fiant de bonis monasterij, quia monachi non habent proprium.

Glos. Quando causa est cæpta inter prælatum, & subditum coram iudice superiori, iurisdictio prælati est suspensa, ac si esset appellatum ab eo. *c.cum dilectus, eod.* Et si prælatus quod intentat iudex reuocabit, subditi debent tamen obedire prælato etiam lite pendente, & ad hoc sunt cogendi à iudice; & si est ipse negligens, à prælato sub excommunicatione possunt compelli, si non obedirent, vel excederent. *c.prudentiam sup. de offi.deleg.* Item ex iusta causa posset eos spoliare. Item ordo iudiciarius nō est vsquequaque seruandus circa regulares, sed bene seruandus est in tradenda copia dictorum testium.

1959 *Cap. XXVII.* Prælatorum excessus. *Idem.*

QVando denunciatur prælatum dilapidare Ecclesiam, est danda commissio alicui, vt inquirat veritatem personaliter, & interim interdicitur Episcopo potestas alienandi, & compareat coram Papa.

IN SEXTO LIBER V.
DE ACCVSATIONIBVS, inquisitionibus, & denunciationibus. Tit. I.

1960 *Cap.* Postquam.

POstquam aliquis est confessus certa crimina coram iudice inquirente, non potest se excusare dicendo, quod non fuit diffamatus in illis, vel quod iudex non tradidit capitula super quibus erat inquirendus, sed comdemnabitur.

Glos. Hæc erant excipienda ante confessionem, & sic corrigitur *c.qualiter;* & sibi imputet reus. Item illa forma tradita in *c.qualiter de accusat.* non est substantialis, & potest ommitti.

1961 *Cap.* Si is cui.

QVando iudex ommissa inquisitione infamiæ inquirit de criminibus coram reo præsente, & tacente, non potest amplius impugnari processus, ex eo quod prius non fuit quæsitum de infamia.

Glos. Tacendo creditur reus renunciare priuilegio *c. qualiter*

eod. ideſt vt prius inquiratur de infamia: & ſic quando de iure eſt ſeruanda certa forma in proceſſu, ſi non ſeruatur, & pars tacet, proceſſus valet. Item ſi Papa ad petitionem alterius committit Epiſcopo, vt inquirat, tunc prius debet inquirere de infamia; ſi motu proprio, non inquirat de infamia, quia Papa iam illum approbat infamatum.

DECRETALIVM LIB. V.

DE CALVMNIATORIBVS. Tit. II.

1962 *Cap. I.* Cum fortius. *Gregor.*

SVbdiaconus qui calumnioſè accuſat Diaconum, eſt priuandus officio ſubdiaconatus, verberibus publice cædendus, & in exilium mittendus. Item ſeuerius punienda ſunt crimina, quæ inſontibus, & ſacris maxime hominibus inferuntur.

Gloſ. Ex perſona offenſa aggrauatur iniuria. *c. cum illorum, infra de ſent. excomm.* vnde qui Præpoſito manus intulerit, capite punitur. *c. ius publicum. 1. d.* & qui lædunt ſacerdotes, tanquam pro publico crimine puniuntur. *c. in primis. 2. q. 1.* Item iudex, qui non punit deficientem in accuſatione, peccat.

1963 *Cap. II.* Cum dilectus. *Inocent. iij.*

DEnuncians prælatum ſuum, ſi deficit in probatione, eſt ſuſpendendus ab officio, & beneficio, donec ſe purget canonice, quod non cauſa calumniandi denunciauit.

Gloſ. Cum ad denunciationem alicuius Papa committit inquirendum, iudex non inquirit, niſi denuncians probet præceſſiſſe legitimam admonitionem. *c. licet Hely, infra tit. prox.* Item pœna illius, qui denunciat, & non probat, & ipſius purgatio præſtabitur ad arbitrium iudicis, quia hic non determinatur.

DECRETALIVM LIB. V.

DE SIMONIA, ET NE ALIQVID pro ſpiritualibus exigatur, vel promittatur. Tit. III.

Cap.

1964 *Cap. I.* In ordinando. *Gregor.*

EPiscopus, vel minister, vel notarius nihil accipiant pro ordinatione, vel vsu pallij, vel chartis, vel pastellis; sicut etiam qui ordinatur, nihil det pro his.

Glos. Dare aliquid pro quocunque obsequio impenso in ordinatione est simonia, vt Archidiacono pro examinatione, similiter notario: secus si gratis, vel spōte aliquid offertur, & sine intentione prędecēti notario laico. *c. cū sit Romana, eod.* & *c. sicut Episcopum. 1. q. 2.*

1965. *Cap. II.* Qui alium. *Ex Concil. Mogunt.*

QVi mediante pecunia eijcit ab ecclesia rectorem, & deinde accipit sibi illam ecclesiam, est ea priuandus.

1966 *Cap. III.* Si dominus. *Deodatus.*

QVilibet Catholicus potest accusare de crimine simoniæ.

Glos. Quia hæreticus, vel paganus non admittitur. Item in criminalibus testes non compelluntur. *c. delictorum, de test. cog.*

1967 *Cap. IV.* Accusatum. *Idem.*

ACcusatus de simonia suspenditur, ne celebret solemnia Missarum, donec veritas cognoscatur.

Glos. Si erat publice infamatus: alioquin non debet suspendi. Item simoniacus in ordine; licet sit occultus, est ipso iure suspectus, nec potest Missam cantare. *c. tanta, eod.* sicut in *c. sequenti* dicitur, *Peruenit ad nos*, idest per famam; *ideo te suspendimus.*

1968 *Cap. V.* Quoties. *Idem.*

Idem quod in præcedenti.

1969 *Cap. VI.* Sicut. *Lucius.*

SImonia magnitudine vincit alios morbos, ideo quando constat per aliquam personam dignam, statim est simoniacus deponendus ab ecclesia.

1970 *Cap. VII.* Tanta. *Deodatus.*

SEruus, meretrix, & quilibet criminosus potest accusare simoniacum.

Glos. Omnis peccator potest cantare Missam præter simoniacum: quomodo intelligitur, vide ibi, idest facilius dispensatur. Item potest dispensari cum simoniaco. *c. post lasionem, de renunc.*

sed

ſed prius renunciet beneficium, & agat pœnitentiam.

1971 Cap. VIII. Non ſatis. Alexand. iij.

EST ſimonia petere pecuniam pro ingreſſu Religionis, vel vendere prioratum, vel capellam monachorum, vel clericorum, vel pro regimine ipſorum committendo; & tam dans, quam recipiens, quam conſentiens eſt ſimoniacus. Item pro ſepultura, pro chriſmate, pro oleo ſancto: nec excuſat conſuetudo contraria.

Gloſ. Ingrediens Religionem ſi aliquid vult dare ſponte pura intione, eſt licitum. *c. tua nos, eod.* & ſi monaſterium eſt tenue, vt non poſſit illum alere, poteſt dicere: ſi vis intrare, porta tecum vnde viuas; ſed non debet aliquid deduci in pactum.

1972 Cap. IX. Cum in Eccleſiæ. Ex Concil. Later.

IDem, quod ſupra, ideſt in introducendis perſonis in ſedem eccleſiaſticam; vel inſtituendis ſacerdotibus, vel ſepeliendis mortuis, vel benedicendis nuptijs, vel ſacramentis conferendis, vel collatis, nihil exigatur, alioquin eſt ſimonia.

Gloſ. Giezi primus fuit, qui in veteri teſtamento ſimoniam inuenit. *c. qui ſtudet.* 1. *q.* 1. & Simon Magus in nouo, à quo nomen ſimoniæ.

1973 Cap. X. Cum ſit Romana.

PRo conſecratione eccleſiæ nihil poteſt exigi, niſi procuratio.

Gloſ. Hæc procuratio eſt à iure, ſicut & aliæ. *c. ſopitæ, de cenſ.* & eſt præſtanda ſecundum facultates eccleſiæ; & ſi eccleſia non poteſt procurare Epiſcopum, ipſe ſuis ſumptibus conſecrabit eccleſiã.

1974 Cap. XI. De hoc autem.

QVando ſimonia, v.g. promiſiſſe aliquid pro electione, & illud accepiſſe ad illam cauſam, eſt manifeſta, ideſt notoria, aut ſimoniaci confeſſi ſunt in iure, vel legitime conuicti, ſunt perpetuo deponendi à miniſterio altaris; ſi non, ſecus. ſi tamen publica fama laborant, indicatur eis canonica purgatio, in qua ſi deficiunt ſunt puniendi, vt rei; & ſeculares, qui aliquid receperunt, reſtituant integrè eccleſiæ.

Gloſ. Confeſſio extraiudicialis non præiudicat. Item quamuis cũ ſponte confeſſo mitius agatur, non tamen cum ſponte confeſſo, ſed timore probationum. Item pœna ſimoniaci eſt depoſitio, ſiue agatur per modum accuſationis, ſiue per modum inquiſitionis. *c. inquiſitionis, de accuſat.* Item nec ante, nec poſt electionem eſt licitum

redi-

redimere consensum patronorum. *c.Matthaeus*. Item receptum debet restitui ecclesiæ cum pœna duplici. Item simoniace acceptum est restituendum ecclesiæ, cui facta est iniuria: sed si pro ingressu Religionis aliquid datur, est restituendum ei, qui dedit, vel saltem secundo monasterio, in quod transfertur, si prima ecclesia fuit in culpa. *c.veniens, eod.*

1975 *Cap. XII.* Cum essent.

SOla promissio rei spiritualis, v. g. ecclesiæ dandæ, si tale obsequium præstet, facit simoniam; nec consequitur ecclesiam.

Glos. Promissio, vel pactio huiusmodi est simoniaca, *c.vlt.de pactis. c.tua, eod.* & qui sic promisit, non obligatur: sed licite, & sine simonia potest clericus, vel quilibet seruire Episcopo, vel alteri sine pacto, vel promissione cum spe futuræ remunerationis, dummodo principaliter hac intentione non seruiat, nec Episcopus pro hoc seruitio directe intendat dare ei beneficium, etiam si non seruiret, nisi inde speraret remunerationem, cum ex debito ei non teneatur; & qui est dignus, potest sperare episcopatum, vt *c.si officio. 59.dist.* & *c.consuluit. 74.dist.*

1976 *Cap. XIII.* Insinuatum.

QVi simoniace est adeptus beneficium, si hoc est publicum, & notorium, est priuandus beneficio ab Episcopo; si non est publicum & notorium, sed tantum publica laborat infamia, indicatur ei purgatio, cum quinta, vel sexta manu sui ordinis; & si in ea deficit, priuatur beneficio perpetuo.

Glos. Notorium dicitur tribus modis. *c.vlt.de cohab.cler. & mul.* & tunc nulla probatio est necessaria, *c.euidentia, de prob.* Item hodie numerus compurgatorum est arbitrarius. *c. inquisitionis, sup. tit. prox.*

1977 *Cap. XIV.* Nemo presbyterorum.

PResbyter, qui aliquid temporale, vel spirituale accipit à publice peccante, vt eius peccatum celet Episcopo, vel eius ministris, est simoniacus. Similiter, qui respectu consanguinitatis, vel familiaritatis dimittit, quin peccatum illud Episcopo innotescat, est simoniacus. Item qui aliquem pœnitentem, vel minus digne pœnitentem gratia, vel fauore adducit ad reconciliationem, & ei dat testimonium reconciliationis, vel qui digne pœnitentem à reconciliatione remouet ex liuore, quia vtrumque est simoniacum.

Glos. Dubium est ly, vtrumque, an respiciat omnia supradicta, vel

ista

ista duo immediate. Item simoniacum est aliquid recipere, vt qui ordinandus est non ordinetur, vel vt quis non consentiat electioni.

1978 *Cap. XV.* Querelam.

ECclesia non potest emi, nec redimi. Item legitime citati ad pœnitentiam, si contemnant stare iudicio, pars contraria mittitur in possessionem rerum, de quibus est controuersia, nec sunt molestandi absque ordine iudiciario.

Glos. Factum, vel delictum prælati, capitulo inconsulto non præiudicat ecclesiæ. *c.cum dilecti de empt. & vend.* etiam si Ecclesia venderetur accessorie.

1979 *Cap. XVI.* Ea quæ.

PEcuniam exigere pro chrismate simoniacum est, siue eam cathedraticum, siue paschalem præstationem, siue consuetudinem vocent.

Glos. Consuetudo, quæ est ex sui natura mala, vt vendere sacramentum, vel quæ est prohibita in veteri testamento, licet sit longissima non excusat. *c.vlt.de consuet.* secus de illa quæ est inducta contra ius positiuum, *ibidem*.

1980 *Cap. XVII.* Ex diligenti.

FIdeiubere pro aliqua re spirituali acquirenda, vt pro beneficio, est simonia.

Glos. Obligatio non tenet, quia turpis; & simonia facit infamem, & inhabilem ad beneficium, & debent ostendi litteræ dispensationis, vt credant ei.

1981 *Cap. XVIII.* Et si quæstiones.

VT cognoscatur, an sit simonia in donis datis, vel acceptis à conferente aliquid spirituale, tria sunt consideranda. Primo qualitas personæ dantis, & accipientis, an dans diuiti sit pauper, vel diues. Secundo quantitatis muneris, an sit magni vel minoris pretij. Tertio tempus donationis, vt si instante necessitate, vel alio tempore oportuno; v.g. si vir admodum nobilis, & locuples qui iter facienti non petenti forte daret equum, v.g. Cardinali eunti ad ferendum pallium Archiepiscopo, & transeunti mare, paucas secum equitaturas adducenti, non esset simonia: quia donum non est magnum, nec intentione consecrationis fuit datum, sed ad subueniendum in dicto articulo, si bene consideretur necessitas temporis. Item illud Esaiæ 33. *Beatus, qui excutit manus suas ab omni munere*, intel-

intelligitur de illis donis, quæ solent peruertere, vel allicere animum accipientis. Vnde si ipsa persona electa offerat ordinatori, vel consecratori suo electuarium, vel de vino, vel de alijs huiusmodi, quæ sunt modici pretij, & quæ non debent inclinare, vel mouere voluntatem recipientis; nec accipiens, nec donans putantur peccare. Item non est in his materijs plusquam oportet dubitandum; nec tenui religione, idest hæsitandum, vbi non oportet, sunt relinquenda legitima, v.g. iuramenta.

Glos. Hæreticum est dicere, non est iurandum etiam cum veritate. *c. excommunicamus, de haeret.* Item quandoque sex solum inducunt simoniam. *c. ex tuæ eod.* Item per exteriora ecclesia præsumit de interioribus. *de præsumpt. c. 2. eod.* Item ex hoc, idest à sensu contrario, colligitur, quod alia intentione quis dat, vt negotium v.g. consecrationis mei fratris facilius expediatur, alias non darem, licet meo fratre ignorante, hoc est simonia præiudicans meo fratri. *c. præsentium.* 1. *q.* 1. nisi hoc fecerim in odium mei fratris. *c. nobis eod.* vel nisi eo prohibente. *c. sicut. eod.* & sic recurrendum est ad intentionem: ex hoc ista consideranda sunt; & quando intentio est incerta, recurritur ad coniecturas, secus in his quæ certa sunt.

1982 Cap. XIX. Veniens.

Abbas, & monachi, si pro ingressu religionis aliquam pecuniam accipere conueniant, & ex conuentione accipiant, etiam si dicant hanc esse consuetudinem, Abbas, & maiores personæ monasterij sunt suspendendi ab executione officij, & pecunia est restituenda danti, & ita ingressus cum habitu transeat ad aliud monasterium.

Glos. Quando restituatur Ecclesiæ, vide *c. de hoc, eod.* alias pœnas vide *c. quoniam, eod.*

1983 Cap. XX. Ex tuæ.

Si ille, qui debet ordinari dedit præsentatori, v. g. Archidiacono pecuniam, idest sex solidos ex pacto, est simoniacus; & si res est secreta, non est inuite, & coacte suspendendus ab officio, sed ei est iniungenda pœnitentia secreta, & sine coactione est monendus, & inducendus, vt fiat religiosus, & perpetuo abstineat.

Glos. Quantitas muneris diuersitatem iuris non inducit, sed est consideranda intentio, sine qua non est furtum, nec simonia. *c. si quæstiones, eod.* Item crimen occultum prælatus punire non de-

bet,

bet, quia illud ſcit vt Deus. Item ſimoniacus non eſt ipſo iure ſuſpenſus. vide *c. tanto c. accuſatum, eod. c. recipiunt.* 1. *q.* 1.

1984 *Cap. XXI.* Ad noſtram.

NOn poteſt exigi pecunia pro miniſterio eccleſiaſtico exercendo, vel pro vicarijs aſſignandis, vel pro chiſmate.

Gloſ. Vide *c. cum ſatis. c. cum in eccleſia. c. in tantum, eod.*

1985 *Cap. XXII.* De ſimoniace.

CVm his, qui ſimoniace ſunt ordinati ipſis tantum neſcientibus, Epiſcopus poteſt diſpenſare, vt remaneant in ſuis ordinibus; quia non ſunt ſimoniaci.

Gloſ. Ordinati ignoranter ſimoniace vbi hoc ſciuerint tenentur renunciare. *c. de regularibus. c. ex inſinuatione. c. nobis, eod. c. pœnis de elect.* & poſt reſignationem, ſi ſimonia in ordine fuit occulta, diſpenſat Epiſcopus, vt recipiantur in ijſdem Eccleſijs: ſi eſt manifeſta ſimonia commiſſa in ordine, diſpenſat Papa. *c. præſentium eod.* Si vero eis ſcientibus eſt commiſſa, Epiſcopus diſpenſare non poteſt, ſed Papa poteſt. *c. nobis,* & *c. penult. eod.*

1986 *Cap. XXIII.* Matthæus.

SI aliquis contradicit electioni, v.g. Petri; & amici Petri conſcio, & volente Petro dant munus contradicenti, & ſic ceſſante contradictione eligitur, & adminiſtrat; eſt ſimoniacus, & tenetur ſtatim relinquere adminiſtrationem.

Gloſ. Valuiſſet electio, quia à maiori parte facta, ſed obijcitur aliquid rationablle. *c. cū in cunctis de his, quæ à maiori part. capit. c. Eccleſia veſtra, de elect.* Itē ex Innocentio, ſiue iuſta, ſiue iniuſta ſit contradictio, non licet ante confirmationē dare aliquid. *c. ſignificaſti, de elect.* nec excuſat voluntas turbata, ſiue coacta, quia voluntas eſt, & ſufficit quod detur ipſo ſciente, & non contradicente; ſecus ſi prohibuiſſet quando ſciuit. *c. ſicut, eod.*

1987 *Cap. XXIV.* Ad aures.

PRo abſolutione ab excōmunicatione nihil poteſt peti, vel exigi.

Gloſ. Non poteſt, quia eſt ſimonia, cum abſolutio ab excommunicatione ſit per miniſterium ſpirituale. *c. ad noſtram. c. nemo, c. cum in Eccleſia eod.* Sed ſi iniuſte ei denegetur abſolutio, dans quia redimit vexationem, non eſt ſimoniacus: quia cum graue immineat periculum animæ, non poteſt appellare. *c. dilectus eod.* & *c. vt debitus de appellat.* Item ſi aduerſarius fecit ſumptus ob contumaciā

excom-

excommunicati, excommunicatus debet illos soluere antequam absoluatur. *c. quoniam, vt lite non contest.* Item si iudex fecit sumptus, sed si iudex illum excommunicauit iniuste, debet absolui sine grauamine. *c. sacro de sentent. excommun.*

1988 *Cap. XXV.* De regularibus. *Clemens iij.*

MOnachi si scienter per simoniam sunt ingressi monasterium, dimittant illum locum quem adepti sunt, & adeant solitudinem, vel alia strictiora monasteria, vbi agant pœnitentiam de tali excessu; si ipsis ignorantibus fuit data pecunia, cogantur renunciare eidem loco; & postea, si ita expedierit, sine scandalo reducantur in eundem, vel collocentur in alio, in quo seruiant Deo.

Glos. An liceat simoniaco dimittere ecclesiam sine licentia superioris? Resp. Si sint regulares, dic vt in *c. quoniam, eod.* Si Episcopus, non nisi Papæ; inferiores in manibus suorum superiorum. *c. admonet de renunc.* & si superiores nolint recepere resignationem, nihilominus cedant, quia non possunt illa retinere. Item ignorantes licet non sint simoniaci; tamen sunt simoniace promoti: ideo postquam renunciauerint, dispensantur, vt remaneant.

1989 *Cap. XXVI.* Ex insinuatione.

QVi ipso inscio simoniace est promotus. v.g. ad canonicatum, deinde re cognita renunciat canonicatum in manu superioris, & superior, vel capitulum compatiens de nouo illum eligit ad eundem canonicatum, propter vltimam electionem obtinebit vltimum locum in choro, & in alijs officijs, & ipse nihil poterit prætendere, vel sibi vendicare ratione primæ electionis.

Glos. Simonia debet esse cũ pacto interueniente. *c. de hoc,* & *c. tua eod. c. vlt. de pactis,* & si ipso sciente Episcopus dispensare non potest, sed Papa potest. *c. prox.*

1990 *Cap. XXVII.* Nobis. *Celest. iij.*

ELectio simoniaca alicuius, ipso inscio, ab alijs commissa, est reprobanda, nisi constaret quod ille malitiose commiserit simoniam in fraudem eligendi. Item simoniace electus, & propter simoniam reprobatus, cum eo non potest Episcopus dispensare.

Glos. Si electores habuissent intentionem eligendi illum, etiam si non præcessisset pactum, vel promissio, tamen interueniente pacto, & pecunia, est simonia. Item alienum factum alteri obest, vt in vsucapione bonæ fidei possessoris. *l. 1. c. de vsucap. pro ep.* Sed in simonia id procedit, quia electores sunt in culpa, licet non sit in culpa eli-

pa eligendus, atque ita electio ipso facto est vitiosa. *cap. Cumana, &* *c. ecclesia vestra sup. de elect.* Item Episcopus hac vice non potest dispensare in hoc casu, secus in simplici beneficio post liberam resignationem. *c. penult. de elect.* Sed dubium est an iste casus sit idem cum illo in *c. de simoniace*; & videtur non, quia hic intelligitur, quando electus simoniam commisit, vel alius eo sciente, & ratum habente, & tunc non potest Episcopus dispensare; vel si est idem casus, idest quando eo ignorante est commissa simonia, dic quod non potest Episcopus pro ea vice.

1991 *Cap. XXVIII.* Dilectus.

QVando aliquis molestatus in iure suo saltem de facto dat pecuniam superiori molestanti ne illum molestet; si deinde superior contra pactum illum molestat, debet restituere pecuniam.

Glos. Danti est restituenda, quia redimendo vexationem dedit. Item redimere ius suum in re spirituali, quando ille qui petit habeat ius in illa re, est simonia. *c. Matthaeus eod.* sed agat per superiorem. *c. ad aures eod.* Si autem nullum habet ius, sed tantum vexat illum de facto, & iniuste, non est peccatum redimere vexationem in iure acquisito, secus in acquirendo. *c. sicut, & c. Matthaeus eod.* prohibetur tamen Episcopis redimere decimas à rusticis. *c. decimas 16. q. 7.* ad euitandum scandalum: sed si redimeret, non est simonia. Item qui ad redimendum vexationem dat pecuniam pro restitutione beneficij, vel officij iniuste interdicti, vel pro absolutione excommunicationis iniustæ, licet ipse non committat simoniam, accipiens tamen semper est simoniacus. *c. 1. de vsuris. c. nemo eod.* Item etiam si accipiens seruasset pactum, & promissionem, tenetur restituere, & dans potest repetere.

1992 *Cap. XXIX.* Suam vobis. *Innoc. iij.*

CApellanus pro benedictione nubentium, & exequijs mortuorum, nihil potest accipere, & acceptum restituat.

Glos. Sacerdos, idest parochus, qui ex officio suo ad hoc tenetur, & habet vnde viuat, tenetur suis sumptibus ministrare spiritualia. *c. sufficit de consecr. d. 1.* tamen si est consuetudo quod aliquid detur in exequijs consimilibus, licet non detur actio sacerdoti ad hoc petendum, tamen potest cogi populus ad seruandam talem consuetudinem. *c. ad apost. eod.* Si vero parocho sumptus desunt, est licitum accipere aliquid pro exequijs. *c. iudices. 1. q. 1.* & dicitur gratis celebrare, sicut testis qui recipit sumptus, Episcopus procurationem pro consecratione ecclesiæ. *c. cum sit Romana, eod.* & iudex recipit

cipit sumptus, & gratis iudicat. Item in recipiendis muneribus circa spiritualia attenditur consuetudo. *c quæsitum 1.q.3. c.agat d.63.* Item admonitus non punitur, si admonitus se emendauerit, quasi non sit proprie simonia, quoad pœnam depositionis, & in hoc dispensat; si vero non se emendat, est deponendus.

1993 *Cap. XXX.* Dilectus.

AN quando reperitur multitudo errasse, sit seruanda seueritas, vel aliquatenus remittenda? v.g. quando multi sunt recepti in monasterijs simoniacè per pretium. Resp. si contra hos simoniacos instituatur canonice accusatio, probato crimine iuridice seueritas iuris est seruanda in dantibus, & recipientibus; si vero non per accusationem, sed per solam inquisitionem constet, recepti simoniace mittantur ad arctiora monasteria ad agendam pœnitentiam: sed superioribus, & officialibus, qui simoniace illos receperunt, iniungatur competens pœnitentia; & dum illam faciunt, suspendantur ab executione ordinum; & hanc formam seruent Episcopi. Item si ab ingressuro aliquid gratis & sine taxatione fuerit oblatum, illud potest recipi gratanter.

Glos. Hodie standum est *c.quoniam eod.* circa regulares simoniacos. Item vt ad fidem aliquis inuitetur, potest ei dari pecunia. *c.penult. 23. q. 4.* imo possum illum onerare duriori pensione, vt conuertatur, & sub tali condicione potest quis ducere vxorem. *c. iam vero 23. quæst. 6.* Item propter multitudinem detrahendum est seueritati iuris, quæ seueritas in simoniacis est depositio. *c. de hoc, & c.insinuatum eod.* & *c.inquisitionis de accusat.* An vniuersitas, vel capitulum, & non solum officiales, vt hic, possint accusari inquiri, & puniri? Vide ibi. Item licet in textu dicatur, *suspendantur*, tamen sunt ipso iure suspensi. *cap. accusatum, eodem.*

1994. *Cap. XXXI.* Licet Heli.

RElictis notorijs excessibus, in aliis tripliciter potest procedi. Primo, per accusationem, & debet præcedere legitima inscriptio. Secundo per denunciationem, quam debet præcedere charitatiua correctio. Tertio per inquisitionem, quam debet præcedere clamosa insinuatio per publicam famam, & frequentem insinuationem, ne idem sit iudex, & accusator, sed fama accuset, & iudex inquirat: & audito aliquo contra clericum digno pœna, iudex non debet facile credere, vel punire, sed inquirere diligenter; & si quid probatur secundum iura, puniat dictando formam sen-

tentiæ secundum formam iudicij, quam formam vide ibi positam. Item si Abbas est suspectus de dilapidatione, est suspendendus ab administratione abbatiæ. Item si per viam inquisitionis probatur simonia de Abbate, Abbas potest contra testes excipere, quod sint eius inimici, & contra eum conspiratores; sed aliæ exceptiones non admittantur. Item non sunt in omnibus paria simonia, & crimen læsæ maiestatis.

Glos. In notorijs delictis non est necessarius accusator, vel testis, vel inquisitio, vel denunciatio. *c. euidentia, de accusat. c generaliter eod.* nec est purgatio indicenda. *c. cum dilectus, de purgat.* Item quando agitur per viam accusationis, non debet præcedere admonitio etiam post pœnitentiam, potest accusari, & deponi si est conuictus, nisi probet fuisse secum dispensatum. *c. 2. de schism.* Item vbi de crimine agitur ciuiliter ad pœnam, debet præcedere admonitio. *c. 2. de accus.* idem quando agitur ad pœnam excommunicationis, *c. sacro, de sent. excom.* Item quando agitur per modum inquisitionis, sufficit sola fama, vel clamor sine admonitione. Item, non potest idem esse accusator, & testis simul, sicut nec iudex, & accusator; sed potest esse denunciator, & testis. *c in omni negotio, de test.* similiter in causa matrimonij: sed tunc non sufficit talis accusator, vel testis, nisi inducantur testes. Item iudex secundum diuersum finem ad quem agitur, diuersam debet formare sententiam; vt in accusatione ferat sententiam depositionis, in inquisitione remotionis ab administratione, in denunciatione ferat pœnam agendam. *c. qualiter, de accusat. c cum dilectus, de ord. cog. c. 1. de excom. c. super his, de accusat.* Obstat *c. ex parte de concess. prab.* Item quando quis denunciatur de dilapidatione suspectus, interdicatur ei omnis alienatio; & si merito est suspectus, datur ei coadiutor, sine cuius consilio nihil faciat in administratione etiam temporalium. *c. vlt. de accus. c. venerabilis de off. deleg.* Item qui remouetur ob dolum, est infamis; qui ob culpam, non. An si talis Abbas vellet reddere ecclesiam indemnem, sit amouendus? vide *c. si quis presbyterorum, de reb. eccl. non alien.* & *c. quod sicut de elect.*

1995 *Cap. XXXII.* Per tuas nobis.

HOc cap. declarat Decretalem præcedentem *c. licet Heli*, quia in *c. licet Heli*, videtur dici, quod contra simoniacos admittuntur testes criminosi, dummodo non sint inimici, & ex odio, quia exceptio contra illos fuit reiecta; dubitabatur, an testes criminosi admitterentur in crimine simoniæ. Respondet Papa, quod *c. licet Heli* intelligitur de æquitate iuris; si de crimine simoniæ agatur ciuili-

ciuiliter, & de æquitate, & quando persona contra quam agitur est regularis,& inferioris gradus, & malæ famæ,& quæ facile & sine scandalo possit puniri : & si sint alia adminicula vltra testes, tunc sola exceptio inimicitiæ admittitur contra testes, & non aliorum criminum, vt ibi dicitur, & admittuntur tales testes criminosi, præsertim si sint emendati ; & hoc secundum temperantiam æquitatis, & non secundum rigorem iuris, quia agebatur non criminaliter, vt deponeretur ab ordine, sed ciuiliter ab administratione, vt immeritus, & damnosus: quod potest fieri etiam ex leuibus causis, vt est consuetudo approbata aliquarum religionum.

Glos. E contrario colligitur, quod si persona, contra quam agitur de simonia, non sit talis, puta, vel quod sit excellentioris gradus, nimirum Episcopus, vel quod non sit infamatus,sicut erat ille Abbas; vel quia non essent vltra testes alia adminicula, & præsumptiones; vel denique quia ageretur contra illum criminaliter, non vero ciuiliter; non admittuntur prædicti testes criminosi. Item propter solas inimicitias capitales, & non propter alias remouetur quis à testimonio. *c. item in criminali,* 4. *q.* 3. Si tamen inimici, & conspiratores redeant in amicitiam, possunt admitti, non tamen in eo negotio, vel causa, pro qua conspirauerunt, vel si sit recens reconciliatio. *arg. c. accusatores* 3. *quæst.* 5. Item periurus etiamsi sit emendatus, nunquam admittitur ad iuramentum. *c. litteras, sup. de præsumpt.* Item testes criminosi quando admittuntur, si non sunt emendati, & quando si sint emendati, vide.

1996 *Cap. XXXIII.* Sicut tuis.

OMnes etiam paruuli, qui nescientes per pecuniam aliorum sunt adepti Ecclesias, tenentur illas dimittere : sed quando aliquis non vult, & prohibet dari pecuniam perseuerans in ea voluntate, & alius præsertim non consanguineus illo inscio dat pecuniam, si deinde non consentit soluendo pecuniam promissam, vel reddendo solutam, non est in culpa, nec etiam in pœna : quia aliud est non præbere consensum, & aliud expresse prohibere. Qui vero dederunt, vel receperunt pecunias, sunt puniendi pœna canonica, si eorum excessus est manifestus ; quia alioquin ecclesia non iudicat de occultis.

Glos. Abbas confirmatus, & Prior possunt excommunicare, *c. cum in Ecclesia, sup. de maior. & obed.* Item si quis Episcopus, vel Abbas dicat, *sub interminatione,* vel *sub pœna excommunicationis,*

præcipio, &c. non eſt excommunicatus ipſo facto, qui contra facit. *arg. c. relatum, ſup. de iurepatronat.* & *c. clerici, ſup. ne clerici vel monachi*. Si vero dicat, *Quicumque fecerit aliquid*, &c. *illum excommunico*, ipſo facto eſt excommunicatus; poteſt enim ferri ſententia excommunicationis ſub conditione *c. à nobis, ſup. de ſentent. excomm*, & *c. præterea, ſup. de appellat.* Item quando non dum quis eſſet electus, ſi daretur pecunia, etiam ipſo reclamante, illi noceret, dummodo non daretur in odium ipſius. *c. nobis, eod.* Item probabile eſt, quod ille qui ſolum ratam habet ſimoniam factam, & non ſoluit pecunias, non ſit ſimoniacus, licet grauiter peccet. *arg. c. tua nos, proxim.*

1997 *Cap. XXXIV.* Tua nos.

SI clericus cum pacto, vel conditione dat, ſeu offert Eccleſiæ ſua bona, vt recipiatur in canonicum, & illa bona habeat pro præbenda, eſt ſimonia; ſecus ſi ſine pacto, vel conditione offerat, ſcilicet humiliter, vt admittatur in canonicum, & retineat pro præbenda ſua bona, tunc poſſunt canonici hoc facere pure ſine ſimonia, & hoc in foro exteriori, in quo iudicatur de manifeſtis tantum. Si vero qui dat ducitur hac intentione, vt per temporalia bona data, adipiſcatur ſpiritualia, eſt ſimoniacus: ſimiliter ſi canonici non eſſent eum recepturi, niſi perciperent temporalia, ſunt ſimoniaci in conſcientia.

Gloſ. Tempore ingreſſus eſt licitum aliquid dare, vel accipere, ſed ſine pacto, vel conditione, vel modo, hic, & *c. in præſentia, de probat. c. cum dilectus, de ſucc. ab inteſt. c. vn. vt Eccleſ. bon. c. vlt. de pact.* Item Eccleſia non iudicat de occultis. *c. per tuas, eod.* An ſola intentio faciat hominem ſimoniacum? res eſt dubia, peccat tamen ſub iiſdem pœnis. Item humiles preces ad conſequendum beneficium non faciunt ſimoniacum.

1998 *Cap. XXXV.* Per tuas.

QVi accipit ordinem, v.g. ſubdiaconatum, ab Epiſcopo, quem poſtea intelligit eſſe ſimoniacum, ſine ſcrupulo poteſt miniſtrare in ordine ſuſcepto; ſed durante tali conſcientia erronea non aſcendat ad ſuperiores, ne ædificet ad gehennam, niſi depoſuerit conſcientiam, vel errorem.

Gloſ. Qui ſcienter accipit ordines à ſimoniaco, eo ipſo eſt ſuſpenſus, quia non poteſt recipere executionem ab eo, qui non habet executionem. *c. tanta, eod.* & potius debet pati excommunicationem, quam

quam recipere ordines à simoniaco. *c. inquisitioni de sent. excom. c. si quis simoniacus* 1. *q*. 1. & *c*. 1. *&* 2. *de ord. ab Episc. qui renun. Epis.* sed dicitur, vt ministret, quia tunc non constabat ei Episcopum esse simoniacum: quod tam procedit de illo, qui commisit simoniam in ordine, quàm in beneficio recipiendo.

1999 *Cap. XXXVI.* In tantum.

Simonia est aliquid pro chismate accipere, licet anticipetur solutio pecuniæ, & mutetur nomen pecuniæ vocando illam pascalẽ, & non chrismalem. nec obstat contraria consuetudo, & Archiepiscopus tenetur coercere suffraganeos, & officiales à tali crimine; Item pro inuestitura ecclesiarum non potest aliquid accipi; & ordinarius tollat consuetudinem.

Glos. Pro Chrismate, & oleo nihil accipiendum. *c. non satis eod.* sub pœna depositionis, & infamiæ. *c. vlt.* 1. *q*. 3. Item variatio nominis non excusat quando remanet substantia contractus, videlicet vsuræ. *c. plerique*. 14. *q*. 3. Item in his consuetudo non excusat, sed accusat. *c. non satis*, & *c. cum in Ecclesia eod.* & malæ consuetudines tempore non confirmantur. Item pro inuestitura nihil est dandum, nec pro aliquo spirituali. *c. cum in ecclesia*, nec pastum, nec pastillum. *c. si quis prabendas*. 31. *q*. 1.

2000 *Cap. XXXVII.* Per tuas.

Qvi ordinatur ad titulum, v. g. alicuius ecclesiæ, & præsentatori promittit se non petiturum portionem in ea Ecclesia, quamuis cogitet se non malefacere, tamen non potest ministrare in suscepto ordine, nec ascendere ad superiores, nisi fuerit cum eo dispensatum. Trid. sess. 21. de Ref. 2.

Glos. *Cap. penult. eod.* ponitur etiam pœna ordinatori, præsentatori, & præsentato. Item potest dispensare cum simoniaco in ordine; sed si sit in dignitate, oportet eum renunciare sine misericordia. *cap. erga simoniacos*, & *cap. si quis*. 1. *q*. 1. *cap. inquisitionis*, *de accusat*. Item potest cum talibus dispensari, vide *cap. de simoniace eodem* & *cap. post translationem*, *de renunciat*. Item de pœna horum. *cap. penult. eodem.*

2001 *Cap. XXXVIII.* Consulere.

Qvi per pecuniam vult obtinere vicariatum, vel aliam administrationem rerum Ecclesiasticarum, tam emens, quam vendens sunt simoniaci, & excluduntur ab illa Ecclesia cui facta est contumelia.

Glos. Vide *c. saluator.* 1. *q.* 3. vbi numerantur administrationes Ecclesiæ, quæ vendi non possunt.

2002 *Cap. XXXIX.* Sicut pro certo.

QVi pro consecratione Episcopi, benedictione Abbatis, vel ordine clericorum, ante vel post donat, vel accipit, est simoniacus; & consuetudo contraria reprobatur tanquam corruptela.

2003 *Cap. XL.* Quoniam.

REcipiens aliquem in monasterium pretio est simoniacus, & tam receptus, quam recipiens sunt eijciendi à monasterio, vt in arctiori perpetuam pœnitentiam agant sine spe. hoc cap. faciant publicare Diœcesani singulis annis per suas diœceses; nec excusat paupertas.

Glos. Posset sic fieri in casu paupertatis: *non habemus vnde viuas, nisi tecum portes*; sed tutius est non facere. *c. si quis propter hoc,* 1. *q.* 1. Item est procedendum, vel per modum accusationis, vel per modum inquisitionis. *c. dilectus eod.* per modum inquisitionis fiat vt hic dicitur. Item si non inuenitur arctius monasterium, saltem mutent illud, vel renuncient locis suis; & de nouo dispensatiue recipiantur in eodem.

2004 *Cap. XLI.* Audiuimus.

EPiscopi nihil exigant pro institutione in ecclesijs, nec pro ingressu alicuius in Religionem, nec pro sepultura mortuorum apud regulares, quia est abstinendum non solum à malo, sed ab omni specie mali: & si quid accipiunt, restituant duplum, conuertendum fideliter in vtilitatem loci, cuius dispendio fuit solutum.

Glos. Non tantũ accipiens, sed qui dat est simoniacus, quia non dat pro redimenda vexatione iuris quæsiti, sed quærendi. *c. dilectus sup.*

2005 *Cap. XLII.* Ad Apostolicam.

PRohibet fieri prauas exactiones, vt pro exequijs mortuorum, & benedictionibus nubentium. Item vult, vt sacramenta Ecclesiastica libere conferantur. Item Episcopi cogant laicos seruare laudabilem consuetudinem, & piam erga Ecclesiam, quia sunt aliqui hæretici, qui nituntur illa infringere sub prætextu canonicæ pietatis.

2006 *Cap. XLIII.* Ne Dei.

PRohibet Abbates Cistercienses solemniter installari, sed satis est, vt profiteantur coram Archiepiscopo sub forma profitendi con-

di consueta in suo ordine, vt iacet in textu.

Glos. Installare Abbates, vel Abbatissas pertinet ad Archidiaconum, *c. vt modum, de offic. Archidiac.* sed non requiritur hoc in Cistercienfibus. Item contra statuta regulæ non tenetur monachus obedire Episcopo. *c. si quis Episcopus,* 11.*q.*3.

2007 *Cap. XLIV.* Iacobus. *Greg.ix.*

QVando canonici receperũt aliquem in canonicum & fratrem, tenentur statim illi prouidere de præbenda, & prouentibus, sicut vni ex alijs, remota appellatione, & non obstante consuetudine contraria, v. g. habendi prius prandium.

Glos. Pro spiritualibus non debet exigi aliquid pro pastu, vel pastello, quia inducit simoniam. *c.* 1. *eod. c. si quis prabendas.* 1.*q.*3.

2008 *Cap. XLV.* Si quis ordinauerit.

QVi ordinat, vel præsentat ad ordinem aliquem recipiens promissionem, vel iuramentum ab eo, quod non inquietabit Episcopum defectu tituli, vel patrimonij super prouisione sua, tunc ordinans à collatione, præsentator ab executione ordinum, per triennium est suspensus, ordinatus est suspensus ab ordine suscepto, donec à Sede Apostolica obtinuerit dispensationem.

Glos. Tale pactum, vel iuramentum, quia turpe non obligat, tamen punitur in eo in quo peccat. *c. pastoralis, de iurepatr.* & *c. vlt. de pact.* Item cum simoniaco scienter in ordine, solus Papa dispensat, & idem in dignitate, & beneficio. *c. de simoniace, eod.* & *c. post transactionem, de renunc.* Item si simonia esset de facto aperto esset deponendus, sed hic minus punitur, idest per triennium.

2009 *Cap. XLVI.* Mandato.

QVando Papa mandat alicui, vt dispenset cum mon achis, qui per simoniam dato aliquo sunt accepti in monasterium iuxta *c. quoniam, eod.* intelligitur mandatum extendi ad dispensandum cum Abbate, qui eos simoniace recepit. Item qui sine pacto præcedente, & sine aliquo dato vel recepto, sed solo affectu animi vtrumq; acquirunt spiritualia, & temporalia, non tenentur ea resignare pro hac simonia, sed satis est si eos pœniteat, & satisfaciant creatori.

Glos. Beneficium Principis latissime est interpretandum. *c. olim, de verb. signif. c. dilectus, de donat.* in beneficijs est facienda plena interpretatio. Item solus affectus animi non facit simoniacum proprie, licet sit graue peccatum, secus in vsura. *c. consului.* & *in ciuitate, de vsur.*

EXTRAV. COMM. LIB. V.

DE SIMONIA.

2010 *Cap.* Sane. *Vrban.iv.*

NEmo, siue priuatus, siue Prælatus, siue mas, siue monialis, siue conuentus ipse, volentibus ingredi eorum religionem, seu loca, in eorum receptione, siue ante, siue post præsumat petere, vel exigere quidlibet directe, vel indirecte, pastus, iugalia, pecunias, vel alias res etiam ad vsum ecclesiasticum, vel pium deputandas. Contrauenientes si sint singulares personæ, sunt excommunicati excommunicatione reseruata Papæ; si est capitulum, vel conuentus, est suspensus eo ipso, nec potest absolui nisi à Papa; alijs pœnis iuris in suo robore remanentibus; & bona data ponantur in communi monasterij. Excipitur ab hac regula, quando ipsa persona ingrediens pure, sponte, plena liberalitate, & omni pactione cessante, dat, vel offert aliquid Ecclesiæ, vel monasterio, vel loco pio: tunc enim licet.

2011 *Cap.* Cum detestabile. *Paulus ij.*

REnouat omnes pœnas canonum contra simoniacos, etiam si sint Cardinales; & addit, qui sunt simoniace ordinati, sunt suspensi ab executione suorum ordinum. Qui simoniace eligitur, postulatur, confirmatur, prouidetur, seu quoquomodo disponitur in ecclesijs, monasterijs, dignitatibus personalibus, officijs ecclesiasticis, & quibuscunque beneficijs, careat viribus, nec ius acquirat, nec faciat fructus suos; & si quos percepit, restituat. Qui in præmissis committunt simoniam dando, vel recipiendo, vel sunt mediatores, sunt excommunicati, nec possunt absolui nisi à Papa. Item qui sciunt aliquem commisisse dictam simoniam, reuelent per se, vel per alios; si secus, peccant, & absolui non possint donec reuelent.

Glos. Felinus dicit se audiuisse, quod Vrbanus quintus non intendebat comprehendere moniales pauperes, quæ vigore consuetudinis aliquid reciperent.

DE-

DECRETALIVM LIB. V.

NE PRÆLATI VICES SVAS, vel ecclesias sub annuo censu concedant.

Tit. IV.

2012 *Cap. I.* Præterea. *Alex. iij.*

QVi episcopalem iurisdictionem pro pecunia data exercent, idest emunt, priuantur officio suo; & Episcopi qui vendiderunt, amittunt potestatem conferendi tale officium.

Glos. Plebani, vel Archipresbyteri non habent iurisdictionem, nisi habeant ex consuetudine. *c. ad hæc, de excessib. prælat.* contra, *c. cum ab ecclesiarum, de offic. ordin.* Item si Episcopus committat alicui vices suas non peccat, si constituat illi salarium, imò illi debet constituere de camera sua, cùm ille ad hoc non teneatur. *c. charitatem,* & *c. quicumque.* 12. q. 2.

2013 *Cap. II.* Quoniam.

PLebanus, vel Archipresbyter, qui pretio statuitur ad agendas vices Episcoporum, vel Archidiaconorum, vel ad terminandas causas ecclesiasticas, remouetur à clero; & Episcopus, qui dissimulat peruerti suam iurisdictionē, puniatur censura Ecclesiastica.

Glos. Episcopus debet gratis suam iurisdictionem concedere, alioquin est simonia; nam quotiescunque Episcopus ratione officii aliquid gratis debet facere, & accipit munus, est simoniacus, præsertim quia iurisdictio est res spiritualis. Item Episcopus non potest dare ordinariam iurisdictionem nisi ex consuetudine.

2014 *Cap. III.* Quoniam enormis.

NOn debet regimen Ecclesiæ committi sacerdotibus sub annuo censu.

Glos. Eligere, seu constituere in prælatum animarum sub annuo censu est simonia: sed si abest titularis, potest constitui Vicarius tanquam delegatus, cui prouideatur de fructibus beneficiarij. *c. vlt. de off. Vicarij.* Item Ecclesia, idest prælatio, nec debet esse censualis, sed bene potest ab initio constitui censualis, *c. scientes,* & *c. prohibemus, de censibus.*

Cap.

2015 *Cap. IV.* Querelam.

ECclesia, id est fructus, & obuentiones Ecclesiæ possunt locari ad certum tempus, v.g. ad septennium, pro certo annuo censu: & si conuentum fuerit intra illud tempus non auferre, standum est promissis, nec potest auferri.

Glos. Sed si interim moriatur locator, an teneatur successor stare contractui? Resp. quod si locator locauit nomine ecclesiæ, & pecunia fuit conuersa in vtilitatem ecclesiæ, successor debet stare contractui locationis; si vero non pro vtilitate ecclesiæ, sed sua, successor non tenetur stare ad firmam. *c. 2. sup. de præb.* quia prior non potuit locare vltra suum tempus; & si soluit aliquid vltra, illi imputetur. Item ecclesia multis modis sumitur, sed hic pro fructibus ecclesiasticis.

DECRETALIVM LIB. V.

DE MAGISTRIS, NE ALIQVID exigatur pro licentia docendi. Tit. V.

2016 *Cap. I.* Quoniam.

ECclesia cathedralis debet prouidere de magistro, qui clericos, & pauperes scholares doceat gratis, & ei competens præbeatur beneficium. Item nullus exigat pretium pro licentia docendi, nec ab eis qui docent aliquid exigat sub prætextu consuetudinis, nec interdicat alicui idoneo petita licentia legere. qui contra hoc præsumpserit facere, priuatur beneficio.

Glos. Pretium exactum ob licentiam docendi est restituendum. *c.2.* & reputatur simonia; non tamen est danda non idoneo.

2017 *Cap. II.* Prohibeas. *Alex. iij.*

PRetium exactum pro licentia docendi est restituendum, promissum est remittendum, quia scriptum est, *Gratis accepistis, gratis date*, cessante appellatione. Item si inferior nondum instituit magistros in locis debitis, superior præficiat viros prouidos, honestos & discretos, appellatione postposita.

Glos. Quamuis in hac datione videatur turpitudo ex vtraq. parte, & in tali casu melior esset conditio possidentis; tamen præcipitur restituere non in fauorem dantis, sed in odium recipientis, vt in

c. ve-

c. veniens, de simonia; vel quia dans non deliquit, quia quasi coactus redemit ius suum. Item quando præcipitur remitti, intelligitur de facto, quia turpes promissiones sunt nullæ. *c. vlt. de pact.* Item per negligentiam amittitur ius, & tempus expectandi, vt superior prouideat, vel est arbitrarium, vel sex mensium, vt in beneficijs vacantibus.

2018 *Cap.* Quanto.

SVb pœna excommunicationis, & priuationis officij & dignitatis, ne quis pro licentia docendi pecuniam exigat, & tollatur consuetudo contraria.

2019. *Cap.* Quia nonnullas, *Innoc. iij.*

NOn solum in Cathedrali, sed in qualibet ecclesia habente facultates sufficientes constituatur magister idoneus à prælato cum capitulo, seu cum maiori, & seniori parte capituli eligendus, qui gratis clericos ecclesiæ in gramatica, & alios iuxta posse instituat. Item in metropolitana Ecclesia instituatur Theologus, qui sacerdotes, & alios instituat in sacra pagina, & præsertim in his, quæ spectant ad curam animarum. Item cuilibet magistrorum assignentur à capitulo prouentus vnius præbendæ, & pro Theologo tantundem dum legit; non tamen propter hoc afficiantur canonici. Quod si ecclesia metropolitana nimis grauetur duobus, Episcopus faciat prouidere de grammatico in ecclesia alia sufficienti suæ ciuitatis, vel diœcesis.

Glos. Aliquis potest habere præbendam sine canonia. Item si lector non habet aliquod beneficium constitutum, licite potest collectam discipulorum accipere, quia non tenetur docere suis sumptibus. *c. cum officij, de præscript.* si habet, sed non sufficiens beneficium, potest petere collectam à diuitibus; & non à clericis ecclesiæ, vel à pauperibus. Item assignata præbenda lectori canonici non tenentur eligere alium canonicum pro explendo numero certo, & iurato, nec currit eis tempus ad eligendum, dum magister legit, & accipit fructus, quia illud beneficium non dicitur vacare; secus quando ex causa alia detinerentur prouentus ad tempus. *c. vt nostrum, vt ecclesi. benefic.* Item non possunt eligere canonicum sub conditione, vt legat, quia videtur simonia; sed si vacanti præbendæ statuerent illud esse onus adnexum, non esset simonia. *c. significatum, de præbend.* Item magister non accipiet quotidianas distributiones. *c. licet, de præbend.*

Cap.

2020 *Cap.* Super specula. *Honorius.*

Trid. sess. 5. Ref. 1.

PRælati, & capitula mittant ad studium Theologiæ aliquos docibiles, qui deinde possint in ecclesia docere; quibus subministrent necessaria, si proprii prouentus ecclesiastici non sufficiunt, & studentes per quinquennium percipiant fructus integros præbendarum, & beneficiorum; similiter Doctores Theologi dum docent, non obstante consuetudine, vel statuto contrario.

Glos. An quinquennium determinet etiam magistros, cum ponatur in fine. *c. inquisitioni, de appellat.* res est dubia: ex hoc cap. potius videtur contrarium.

CLEMENTIN. LIB. V.

DE MAGISTRIS, ET NE ALIQVID *exigatur pro licentia docendi.* Tit. I.

2021 *Cap.* Inter solicitudines.

IN studijs Romanæ vrbis, Parisiensis, Oxoniensis, Bononiensis, Salmantinæ, eligantur duo viri catholici, & periti pro singulis linguis Hebraica, Arabica, & Chaldæa; qui scholas regant, libros in latinum transferant, alios doceant: pro quibus prouidendis contribuant omnes prælati Ecclesiæ, Monasteria, etiam exempta; & derogantur quoad hoc priuilegia.

2022 *Cap.* Cum sit nimis.

ILli ad quos spectat tribuere magisterium, vel doctoratum, sumant iuramentum à doctorandis, quod in solemnitate doctoratus non expendant vltra taxam, quam taxabunt secundum qualitates personarum, & ad summum non excedent tria millia turenorum argenteorum. Et si doctorantes non recepto hoc iuramento, dent titulum Doctoratus, eo ipso sunt suspensi à collatione doctoratus, vel magisterij per sex menses, etiam si sint Episcopi.

Glos. Si intra sex menses suspensionis alium doctorat sine iuramento, iterum currit suspensio sex mensium ab illo secundo actu; & si suspensio erat occulta, donatio doctoratus valet, & non est reiteranda; secus si publica. Item qui in tali suspensione celebrat, non fit irregularis. *c. is qui de sentent. excom. in 6.*

D E-

DECRETALIVM LIB. V.

DE IVDÆIS, ET SARACENIS; & eorum seruis. Tit. VI.

2023 *Cap. I.* Præsenti. *Conſ. Matiſc.*

NVllus Chriſtianus Iudæo ſeruiat, quia nefas eſt blaſphemum detinere redemptum à Chriſto: ideo quilibet Chriſtianus poteſt duodecim ſolidis captiuum Chriſtianum à Iudæo redimere, ſiue ad ingenuitatem, ſiue ad ſeruitium; idem fiat, ſi ſeruus iudæi deſiderat fieri Chriſtianus, & ei non permittitur.

Gloſ. Chriſtiani nec morentur cum Iudæis. *c. Iudæi,* 28. *q.* 1. poteſt tamen ſeruire in agro, in quo non moratur cum Iudæo. *c. prox.* Item duodecim ſolidi dantur, quando mancipium fuit emptum cauſa mercimonij, alias nil datur. Item emptus à Chriſtiano non erit illius ſeruus, ſed liber; reſtituat tamen pretium, vel inſeruiat pro pretio aliquo tempore.

2024 *Cap. II.* Multorum. *Greg.*

IVdæus non poteſt habere mancipium Chriſtianum, tamen poteſt habere colonos agrorum Chriſtianos, qui diutius ibi manſerunt, qui peragant omnia iura, quæ de colonis, vel originarijs ſtatuuntur: ſed ſi Iudæus aliò illos transferat, vel in alio obſequio detinet, amittit ius colonij, & ius dominij.

Gloſ. Originarij, & aſcriptitij ſunt liberi, & ſic non repelluntur à legitimis actibus, tamen non admittuntur ad ordines, niſi de licentia dominorum, *c. ſi quis obligatus.* 54. *d.* Item ex tempore, ideſt, triginta annorum aliquis efficitur originarius, & tunc etiam proles eſt originaria, licet ibi non manſerit triginta annis. Item originarij ſunt glebæ aſcripti, & obligati ad colenda rura; tamen ſunt liberi, nec tenentur tranſire ad alium agrum, vel facere aliud ſeruitium, quia remoti ab illa gleba ſunt ſoluti.

2025 *Cap. III.* Iudæi.

PErmittuntur habere antiquas ſinagogas, ſed non erigere nouas. *Gloſ.* Si corruunt poſſunt eas reſtaurare, ſed non ampliare.

2026 *Cap. IV.* Quia ſuper. *Alex.*

IVdæi in tota die Paraſceues, ideſt Veneris ſancti habeant clauſa oſtia, & feneſtras.

Gloſ.

Glos. Nec debent in publicum exire. *c. in nonullis, eod.*

2027 *Cap. V.* Iudæi.

CHriſtiani, qui præſumpſerunt habitare cum Iudæis, ſunt excommunicandi. Item Iudæi, & Saraceni non habeant in domibus ſuis mancipia Chriſtiana. Item qui conuertuntur ad fidem non ſunt ſpoliandi ſuis bonis, & Principes, vel Poteſtates locorum faciant ei reſtitui omnia bona integra ſub pœna excõmunicationis.

Glos. Conuerſi poſſunt retinere bona, niſi ſint ex vſuris parta, quia tunc vendenda, & reſtituenda. *c. cum tu de vſuris.*

2028 *Cap. VI.* Ita quorundam.

CHriſtiani qui ſaracenis defuerunt arma, ferrum, lignamina, & neceſſaria ad impugnandos Chriſtianos ſubminiſtrant; ſimiliter qui in galeis, & piraticis nauibus ſacacenorum curam gubernationis exercent, ſunt excommunicati, ſiunt ſerui capientium illos; & Princeps Catholici, vel Conſules ciuitatũ multabunt eos bonis illorum. Item præcipitur quod in eccleſijs maritimis crebro proferatur excommunicatio ſolemnis contra tales.

Glos. Vide *c. ad liberandum eod.* Item idem de his qui illos docent naues facere, cum prius peritiam non haberent. Item ſeruitus alia eſt de iure naturali, alia introducta de iure gentium, alia de iure canonico, vt hæc. Item excommunicatus poteſt excommunicari, & ſic pluribus vinculis detinetur: ſicut bannitus poteſt iterum banniri, facta citatione, vbi conſueuerit habitare.

2029 *Cap. VII.* Conſuluit.

IVdæi non poſſunt conſtruere nouas ſinagogas; antiquas, ſi corruunt, poſſunt reædificare, non tamen eas exaltare, vel ampliores, vel pretioſiores facere quàm fuerant.

2030 *Cap. VIII.* Adhac.

CHriſtiani ſunt cenſuris compellendi, ne ſe Iudæorum ſeruitio aſſidue pro mercede exponant. Item obſtetrices, & nutrices non præſumant nutrire pueros in domibus Hebræorum, ne ob aſſiduam familiaritatem ſimplices peruertantur.

Glos. Chiſtiani Iudæis non aſſidue, ſed interpolate poſſunt ſeruire. *c. multorum eod.* ſed in domibus eorum nullo modo. Item Iudæi vndecimo deferre diuerſum habitum, vt facilius euitentur. *c. non nullis eodem.*

Cap.

2031 *Cap. IX.* Sicut Iudæi. *Clem. iij.*

Iudæus non est inuitus baptizandus, quia tunc non crederetur habere fidem Christi. Item Iudæus sine iudicio non est puniendus in bonis, vel corpore; nec quis immutet eorum bonas consuetudines, nec quis fustibus, nec quis ab eis coacta seruitia exigat, nisi quæ consueuerunt facere. Item nemo audeat mutilare, vel inuadere eorum cœmeterium, nec humata corpora effodere: & si quis sciens hoc decretum præsumat contraire, nisi se corrigat satisfaciendo, est excommunicandus, vel mulctandus officio, vel honore.

Glos. Secus est de malis consuetudinibus, quæ prorumpunt in contumeliam creatoris. *c. in nonullis eod.* illæ enim debent prohiberi hebræis. Item sepulcra eorum non sunt religiosa.

2032 *Cap. X.* Quam sit laudabile.

Prædicantes paganis fidem Christi possunt edere cibos ministratos à paganis, seruata qualitate ciborum secundum ius canonicum. Item possunt his adhærere clerici, & religiosi idonei, quæsita, & obtenta facultate à superioribus.

Glos. Vitamus conuiuium Iudæorum, quia illi discernunt cibos nostros. *c. omnes*, & *c. nullus*. 28. *q.* 1. idem de paganis discernentibus, vel si sit idolis imolatum, quia potius moriendum.

2033 *Cap. XI.* Significauit.

Qui transeunt ad terras Saracenorum pro redimendis captiuis, debent iurare coram Episcopo se non laturos in suis mercibus, & alio modo aliquid, quod erit commodum, & subsidium Saracenis extra articulum redemptionis. Item qui tempore treguæ deferunt merces prohibitas Saracenis causa lucrandi, sunt excommunicati, sic qui mittunt per nuncios. Item qui iurant, non portare merces prohibitas, nisi sit pax inter ipsos, & Christianos, si deferunt tempore treguæ, sunt excommunicati.

Glos. Vide *c. ita quorundam*, & *c. ad deliberandum*, *eod.* Item si non possunt redimi nisi mercibus prohibitis, est probabile quod non sunt ferendæ nisi de licentia Papæ. Item præter excommunicationem exigitur iuramentum præsertim à suspecto ad maiorem cautelam. Item vbi requiritur pax, præsertim perpetua, non sufficit tregua, quæ potius accidit ad naturam belli, quam pacis.

2034 *Cap. XII.* Quod olim.

Qui tempore guerræ habent mercimonium cum Saracenis, vel

per se,

per se, vel per alios dant subsidia rerum, vel consilia, sunt excommunicati,

Glos. Et sic sunt duæ excommunicationes, vna hic, altera *c. ita quorundam*: à quibus absoluet Episcopus, quia non reseruantur, sed sunt reseruatæ in Bulla Cœnæ.

2035 *Cap. XIII.* Et si Iudæos. *Innoc. iij.*

IVdæi cum sint facti serui, & Christiani liberi, non habeant nutrices, vel seruientes Christianos; si secus faciant, interdicetur Christianis sub pœna excommunicationis, ne audeãt habere aliquod commercium cum eis. Vide ibi multa contra Iudæos.

2036 *Cap. XIV.* Postulasti.

SI Iudæus percusserit clericum, & est sub ditione Episcopi, puniat eum in re temporali, vel pecunia, & iuret vt læso congrue satisfaciat; si est sub dominio alterius, moneat dominum vt idem faciat. Quod si dominus negligit implere, Episcopus censuris interdicat Christianis, ne quis præsumat exercere commercia cum Hebræo, donec satisfaciat.

2035 *Cap. XV.* In nonnullis.

IVdæi, & saraceni distinguantur habitu à Christianis. Item in Dominica passionis, & in hebdomada sancta non exeant in publicum. Si secus faciant, eos puniant Principes seculares, ne Christum blasphemare præsumant.

2038 *Cap. XVI.* Cum sit nimis.

IVdæi non ponantur in publicis officijs. Qui committit publicum officium Iudæo, præmissa monitione à concilio prouinciali, quod singulis annis est celebrandum, compescatur; & cum Iudæo proposito Christiani nullum cõmercium habeant, donec dimiserit officium acceptum, & conuerterit in vsum pauperum Christianorũ arbitrio Episcopi quicquid acquisiuit in officio. Idem dicitur de paganis.

Glos. Infideles fidelibus præponi non debent, nec in publicis officijs præfici. Item acceptum ex iniusto officio est restituendum dominis. *c. sicut dignum, de homicid.* & *c. tu, de vsur.* sed in hoc casu datur pauperibus, quia nescitur, an sit extortum: vnde acceptum ex officio, quod habere non licet, est restituendum; quia si non licet principale, nec accessorium.

Cap.

2039 *Cap. XVII.* Ad liberandam.

REperit, quæ dicuntur in *c. ita quorundam, eod.* & addit quod eis non aperiatur gremium Ecclesiæ, nisi prius restituant in subsidium terræ sanctæ totum, quod lucrati sunt in commercio, & tantundem de suo; & si non sunt soluendo, ita puniantur, vt alij terreantur.

Glos. Similis pœna ponitur vsurario, idest vt totum lucrum restituat, *c. consuluit, de vsur.*

2040 *Cap. XVIII.* Ex speciali. *Greg. ix.*

REges sunt inducendi, vt in officijs publicis non præficiant Iudæos Christianis, vt habetur in Concil. & si fortè iam vendiderunt suos redditus Iudæis, vel Saracenis, tunc deputent Christianum non suspectum in grauamine inferendo clericis, vel Ecclesiasticis, per quem Iudæi, & Saraceni sine iniuria Christianorum consequantur iura Regalia.

2041 *Cap. XIX.* Nulli.

NOn licet Iudæo emere, vel in suo seruitio tenere hominem baptizatum, vel baptizari volentem. Item, si Iudæus causa cõmercij emit hominem non conuersum ad fidem, & emptus baptizatur, vel vult fieri Christianus, datis illi duodecim solidis liberatur seruus à seruitio. Item si Iudæus intra tres menses non exponit venalem hominem talem, vel si emit eundem ad sibi seruandum, tunc nec Iudæus potest illum amplius vendere, nec alius eum emere, sed sine pretio fit liber.

Glos. Illi solidi sunt dandi de illa moneta, quæ est in vsu, & in illo loco. Item si nullus sit qui soluat duodecim solida, fiat vt dicitur in *cap.* 1. Item post tres menses præsumitur nõ emisse causa cõmercij, sed seruitij, & fit liber sine pretio: quæ præsumptio cum sit iuris, non admittit probationem in contrarium, quia ex hac præsumptione statuitur ius, vt *c. is qui, de spons.* Item si aliquis eum emeret scienter, emptio non valet, & erit liber sine pretio; si ignoranter, potest agere contra hebræum de pretio. Item fauor fidei priuat aliquem suo seruo, vt hic, & suo filio, vt *c. vlt. de conuers.* & vxore sua. *c. gaudemus, de diuort.*

CLEMENTIN. LIB. V.

DE IVDÆIS, ET SARACENIS.

Tit. II.

2042 *Cap.* Cedit. *Clemens v.*

PRæcipitur Principibus Christianis, vt in terris suis prohibeant Saracenos publice inuocare nomen perfidi Mahometi, & peregrinari ad sepulcrum eius; & contra facientes ita puniantur, vt alij meant id facere.

EXTRAVAG. IOAN. XXII.

DE IVDÆIS, ET SARACENIS.

2043 *Cap.* Copiosus.

EXtenditur *cap. ita quorundam*, & *cap. ad liberandum*, *eod.* ad adiuuantes Mauros, qui detinebant Regnum Granatæ in Hispania intra triennium, contra quos fiebat bellum.

EXTRAV. COMM. LIB. V.

DE IVDÆIS.

2044 *Cap.* Multa mentis. *Clem. v.*

PRohibet sub excommunicatione arma, victualia, mercimonia in Alexandriam, & loca Saracenorum terræ Ægypti deferre, mittere, vel portare, vel promittere, vel extrahere, vel permitti quod extrahantur de portibus Christianorum, vt illò deferantur, vel auxilium, consilium dare; nec contra facientes absoluantur, nisi in mortis articulo, postquam tantundem de proprijs bonis soluerint in auxilium terræ sanctæ; & si capiantur, fiant serui, sint infames, & habeantur intestabiles, ita quod nec possint testari, vel legare, inhabiles ad succedendum, non admittantur ad publica officia, actus eorum sint illegitimi, in diebus dominicis publicentur vt excommunicati, & fiscus omnia bona ipsorum accipiat.

Cap. Dignum. *Ioann. xxij.*

IVdæi ad fidem conuerſi non ſunt moleſtandi in ſuis bonis quæ habebant.

Gloſ. Vide Bullam Pauli Tertij incip. *Cupientes Iudæos,* &c.

DECRETALIVM LIB. V.

DE HÆRETICIS.

Tit. VII.

2045 *Cap. I.* Dubius. *Steph.*

DVbius in Fide eſt infidelis, nec eſt credendum ei qui Fidem veritatis ignorat.

Gloſ. Dubius in Fide non poteſt eſſe teſtis.

2046 *Cap. II.* Qui alios. *Leo.*

DEmonſtrat ſe errare, qui alios non reuocat ab errore, cùm poteſt.

2047 *Cap. III.* Firmiſſime. *Aug.*

HÆreticus, vel ſchiſmaticus, niſi reſipiſcat; in æternum damnabitur, nec ad ſalutem proderunt ei Baptiſmus, eleemoſyna, mori pro Chriſto.

Gloſ. Hæreticus quis multis modis dicitur, v.g. ſimoniacus, ſchiſmaticus, excommunicatus. vide, &c.

2048 *Cap. IV.* Fraternitatis. *Greg. ix.*

QVando damnatur auctor, eius ſcripta non recipiuntur.

Gloſ. Etiam ſi alias bona ſint. *c. excommunicamus, eod.*

2049 *Cap. V.* Si quis Epiſcopus. *Concil. Afric.*

EPiſcopus ſi moriens inſtituat hæredem hæreticum, vel paganũ, ſiue extraneum à ſua conſanguinitate, ſiue conſanguineum, ſaltem poſt mortem excommunicatur, vel declaratur excommunicatus, & non oretur pro eo.

Gloſ. Nullus debet inſtituere in hæredem hæreticum, licet ſit

consanguineus; & Episcopus si non habet consanguineos, instituat ecclesiam.

2050 Cap. VI. In eos.

IDem quod in præcedenti extenditur ad omnes clericos, ideſt vt non instituant hæreticos, & addit quod nihil dent.

Glos. Non solum in morte, sed nec in vita, non tamen id procedit in necessitate extrema; tunc enim poteſt aliquid illis dari, ne pereant fame, quia possunt deinde conuerti.

2051 Cap. VII. Cum Christus. *Alex. iij.*

SIcut verus eſt Deus, ita verus homo, ex anima rationali, & humana carne subsiſtens, &c. oppositum eſt hæreticum, & anathemati subijcitur: v. g. si quis dicat Christum non esse aliquid secundum quod homo.

2052 Cap. VIII. Sicut ait. *Concil. Later.*

HÆretici, & eorum fautores, vt qui eos tenent in domo, vel in terra sua, vel fouent, vel præsumunt negotiationem exercere cum eis, sunt excommunicati; & si in hoc peccato moriantur, non sepeliantur in loco sacro, nec fiat oblatio pro eis, non obſtante quocunque indulto.

Glos. Quia ratione delicti perditur priuilegium.

2053 Cap. IX. Ad abolendam. *Lucius iij.*

QVi non metuit aliter sentire de sacramentis, quàm Ecclesia Romana prædicat, & obseruat, ac etiam ille qui ab Episcopo cum consilio clericorum iudicatur hæreticus, eſt excommunicatus; & sede vacante qui iudicatur à clericis hæreticus eſt excommunicatus. Item clericus qui manifeſte in hæresi eſt deprehensus, nisi ſtatim cognito errore sponte recurrat ad vnitatem Fidei Catholicæ, & suum errorem ad arbitrium Episcopi regionis publice censuerit abiurare, & congruam satisfactionem adhibere, degradetur, ideſt spolietur prærogatiua clericatus cum omni officio,& beneficio Ecclesiaſtico; & detur poteſtati seculari debite puniendus,sicut & laicus punitur,nisi ſtatim abiurauerit,&c. pro qualitate criminis. Item qui inueniuntur notati aliqua sola suspicione, nisi ad arbitrium Episcopi, iuxta considerationem suspicionis, & qualitatem personæ congrue se purgauerint,subiaceant eidem sententiæ. Item qui poſt abiurationem erroris, vel poſtquam se purgauerint in examine proprij Episcopi, deprehenduntur incidisse

in

in abiuratam hæresim, relinquantur seculari iudicio sine vlla penitus audientia. Item Rectores, & Barones Ciuitatum, & locorum commoniti ab Episcopo iurent corporaliter promittendo, quod requisiti fideliter, & efficaciter adiuuabunt Ecclesiam contra hæreticos, & complices pro suo posse, & officio, & bona fide. quod si hoc obseruare noluerint, priuentur honoribus, quos habent, nec ad alios assumantur, excommunicentur, & eorum terræ interdicantur. Item Ciuitas, quæ resistet his institutis, & contra monitionem Episcopi negligit punire hæreticos, careat cõmercio aliarum ciuitatum, & priuabitur dignitate Episcopi. Item qui sunt exempti ab Episcopo & soli Papæ subiacent, in his tamen, quæ sunt instituta contra hæreticos, subiaceant Episcopis, tanquam delegatis sedis Apostolicæ, non obstantibus priuilegijs.

Glos. Dicitur quis manifeste deprehensus in hæresi, vel euidentia facti, quia publice prædicat hæresim, vel legitima probatione per testes, vel ex sua confessione. Item clericus depositus tenetur viuere clericaliter, & gaudebit priuilegio; secus si est incorrigibilis: sed in tribus casibus traditur curiæ seculari; in crimine heresis, vt hic; in crimine falsi. *c. ad falsariorum, de crim. fals.* & quando est depositus propter calumniam, vel contumeliam, quam contulit Episcopo. 11. *q.* 1. alias non. nec amittit priuilegium, nisi sit incorrigibilis. Item postquam aliquis est condemnatus hæreticus, non compellitur redire; sed si sponte redit, recipitur abiurato errore, & mittitur in perpetuum carcerem, ad agendum pœnitentiam. *cap. penult. eod.* secundum quod cap. hodie procederetur. Item laicus non traditur iudici seculari, quia semper est de foro seculari, & in casu hæresis sententia debet ferri ab ecclesia; sed executio fiat solummodo per iudicem laicum. Sed quomodo hi sint puniendi, vide *c. excommunicamus eod.*

2054 *Cap. X.* Vergentis. *Innoc. iij.*

Bona hæreticorum publicantur, & confiscantur; & in terris ecclesiæ applicantur fisco ecclesiæ; in terris secularibus, fisco iudicum secularium, ad quod si sint negligentes, possunt compelli iudices censuris ecclesiasticis: nec talia bona amplius reuertantur ad prædictos hæreticos. Si tamen conuertantur, & abnegent consortium hæreticorum, si aliquis iudex voluerit, poterit misericorditer condonare. Item filij hæreticorum amittunt hæreditatem, sicut in crimine læsæ maiestatis, ergo multo magis læsi Dei, præsertim quia in multis casibus pro parentibus temporaliter puniuntur secundum ius canonicum.

2055 *Cap. XI.* Si aduersus.

ADuocati, & notarij, qui hæreticis, & eorum fautoribus in aliquo auxiliantur, consilium dant, vel fauorem, vel patrocinium præbent in causis, vel factis, vel alijs sub examine prædictorum, vel si attentent facere scripta, vel instrumenta publica pro ipsis, si inquam hoc præsumpserint, sunt suspensi ab officio, & subiacent perpetuæ infamiæ. His præcipiuntur in specie, quia plus solet timeri quod specialiter iniungitur, quã quod generaliter imperatur.

Glos. Hæc pæna contra auxilium dantes, videtur habere locum, si post annum non se correxerint, tunc enim inter hæreticos computantur. *c. excommunicamus, eod.*

2056 *Cap. XII.* Cum ex iniuncto.

REprehendendi sunt laici, qui celebrant occulta conuenticula, qui officium prædicationis Christi sibi vsurpant, qui eludunt simplicitatem sacerdotum, aspernantes eorum consortium. Ratio est, quia Christus lux odit tenebras, & iussit prædicari omni creaturæ in lumine, & super tecta: sic ordo doctorum est quasi præcipuus in Ecclesia, nec quisquam indifferenter debet sibi prædicationis officium vsurpare. Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur? nec nude dicenti se missum à Deo, est credendum, cùm hoc hæreticus asserat: sic in simplicibus, & non literatis sacerdotibus est sacerdotale officium honorandum: & aliud est fratrem delinquentem corripere, quod est secundum Euangelium; & aliud reprehendere manifeste, quod nulli licet secundum Euangelium.

2057 *Cap. XIII.* Excommunicamus.

EXcommunicantur omnes hæretici quocunque nomine dicantur. Item damnati de hæresi relinquantur brachio sæculari puniendi debita pæna; quorum bona, si sunt laici, confiscantur, si clerici, applicantur ecclesijs, à quibus stipendia receperunt. Item suspecti de hæresi, nisi debite se purgauerint iuxta considerationem suspicionis, & qualitatem personæ, excommunicentur, & vitentur, donec satisfaciant; & si per annum perstiterint in excõmunicatione, condemnentur vt hæretici. Item potestates sæculares moneantur, & censuris cogantur iurare publice, quod exterminabunt ex suis dominijs, & terris hæreticos ab ecclesia damnatos, siue potestas sit temporalis, siue perpetua; & si negligunt suas terras purgare ab hæresi, excommunicentur à Metropolitano, & cæteris Episcopis comprouincialibus; & si infra annum non satisfaciant, significetur

Papæ,

Papæ, qui ex tunc denunciet vassallos solutos à fidelitate, & terram exponat Catholicis occupandam, saluo iure Dominij principalis, dummodo in hoc Dominus principalis non obstet, nec ponat impedimentum. Item Catholici, qui insigniuntur signo Crucis ad exterminandos hæreticos, gaudent eadem indulgentia, & priuilegio, quo gaudent accedentes in subsidium terræ sanctæ. Item credentes, receptores, defensores, & fautores hæreticorum excommunicantur; & talis excommunicatus, si intra annum non satisfaciat, est infamis, nec admittitur ad publica officia, & consilia, vel ad eligendos alios ad huiusmodi, nec ad testificandum, nec potest testari, nec succedere hæreditati; in quocunque negotio nullus cogitur illi respondere, sed ipse tenetur respondere alijs; causæ non perferantur ad eius audientiam, & si sententiet, non valet sententia; non potest patrocinari; si facit instrumenta, non tenent; sic de similibus. Si est clericus, deponitur ab officio, & beneficio; & qui contemnunt tales vitare postquam sunt ab ecclesia notati, sunt excommunicati, donec satisfecerint. Nemo administret eis ecclesiæ sacramenta, nec eos Christianæ tradat sepulturæ, nec accipiat eleemosynas, aut oblationes eorum. Qui secus facit, priuatur suo officio, in quo non restituetur sine speciali indulto Sedis Apostolicæ; & si sint regulares, non seruentur eorum priuilegia in illa Diœcesi. Item qui præsumpserint vsurpare sibi officium prædicandi sine authoritate Sedis Apostolicæ, vel ordinarij, excommunicentur; & nisi resipuerint, alia pœna puniantur competenti. Item Archiepiscopi per se vel per alias idoneas personas, semel in anno visitent parochiam, in qua est fama habitare hæreticos, & aliquos probos viros; vel si expedit, totam viciniam compellant iurare, vt si quos hæreticos sciuerint, vel conuenticula, vel vita, & moribus decedentes à communi vita, & moribus fidelium, eos Episcopo indicent, & Episcopus vocet ad se accusatos, qui nisi se purgauerint ab obiecto reatu, vel si post purgationem relabantur in pristinam perfidiam, puniantur canonice: Si vero obstinate renuerint iurare, reputentur tanquam hæretici ex hoc ipso. Item Episcopus, si est negligens in purgando suo Episcopatu ab hæresi, vel remissus, cùm id certis indicijs apparuerit; deponatur ab Episcopatu, & alter idoneus substituatur, qui velit & possit confundere hæresim.

Trid. sess. 5. Ref. 2. sess. 24. R. 4.

Glos. Sola suspicio, siue præsumptio inducit purgationem canonicam, si tamen est probabilis, alias non; & semper attenditur qualitas infamiæ, & personæ. Item licet instrumenta facta ab excommunicato non valeant, tamen rescriptum impetratum ab excommunicato valet, quia habet vim à concedente, & non ab impetran-

te, sed debet exprimi excommunicatio; secus hodie non valet, nisi in certis casibus. *c.1. de rescriptis in 6.* Item qui participat excommunicato scienter, & non corrigit, est excommunicandus. *c.quod in dubijs, de sent.excomm.* Item quando Papa non sibi reseruat absolutionem, videtur alijs indulgere, *c. nuper, de sent. excomm.* & sic videtur quod Episcopus potest dispensare, quando non est reseruata dispensatio Papæ.

2058 *Cap. XIV.* Sicut. *Greg.ix.*

LAicis cuiuscunque Ordinis sint, est interdictum officium prædicandi, quia ordo doctorum est præcipuus in ecclesia.

2059 *Cap. XV.* Excommunicamus.

OMnes hæretici, qui sunt excommunicati, & damnati ab Ecclesia, tradantur brachio seculari; si sunt clerici, prius degradentur, vt in *c.excommunicamus*. Item si qui prædictorum hæreticorum deprehensi volunt redire ad pœnitentiam, detrudantur in perpetuo carcere. Item credentes erroribus hæreticorum iudicantur hæretici ab ecclesia.

Glos. Hodie sine distinctione magistratus seculares hæreticos traditos sibi ab inquisitoribus debent interficere. *c. vt inquisitioni, de hæret. in 6.*

2060 *Cap. XVI.* Absolutus.

LIberantur ab omni obligatione, siue fidelitatis, siue homagij, siue iuramenti, &c. qui in manifestam hæresim lapsis tenebantur astricti.

Glos. Si aliquis sub pœna teneatur huiusmodi lapsis aliquid soluere, licet non soluat non incidit in pœnam, quia semper tacite intelligebatur conditio, si ille talis remanserit, vt ei possit communicari. *c.ne quis arbitretur, 22.q.2.*

IN SEXTO LIB. V.

DE HÆRETICIS. Tit. II.

2061 *Cap. I.* Quoniam Episcoporum. *Greg. ix.*

Trid. sess. 13 Ref. 2. CLericus in sacris quando pro crimine hæresis est tradendus brachio seculari, vel perpetuo murandus, sufficit solus eius Episcopus ad eum degradandum, conuocatis Abbatibus, & alijs Prælatis, & Re-

& Religiosis; ac personis litteratis suæ ecclesiæ, si ita expedire iudicauerit.

. *Glos.* Pro degradatione presbyteri, in alijs casibus, debent esse sex Episcopi, tres in Diacono. *c. si quis sumendus,* 15.q.5.

2062 *Cap. II.* Quicunque. *Alex. iv.*

QVi scienter præsumpserit dare sepulturæ ecclesiæ hæreticos, credentes, receptatores, defensores, vel fautores, est excommunicatus donec satisfecerit idonee; nec meretur absolutionem, nisi proprijs manibus publice extumulet, & proijciat huiusmodi corpora damnatorum, & ille locus careat perpetua sepultura. Item sunt excommunicandi laici, qui publice, vel secrete disputant de fi: de Catholica. Item hæretici, credentes, receptatores, defensores, fautores eorum, & ipsorum filij vsque ad secundam generationem, non possunt admitti ad aliquod beneficium ecclesiasticum, vel officium publicum: si secus fiat, factum est irritum, & inane. Item Ecclesiasticus, qui ad preces hæretici alicuius est adeptus aliquod beneficium Ecclesiasticum, est priuatus acquisito; & si illud scienter recipit, fit inhabilis ad alia, vel similia beneficia. Item emancipatio filiorum, quorum parentes deteguntur fuisse hæretici ante emancipationem, est nulla: quia statim ac pater est hæreticus, filij sunt sui iuris, nec indigent emancipatione.

. *Glos.* Excommunicati sepulti in loco sacro sunt extrahendi, si cognoscuntur; secus si non possunt dignosci ossa, vt *c. sacris, de sepult.* Item nec sunt sepeliendi manifesti vsurarij. *c. quia, de vsur.* nec qui moriuntur in torneamentis. *c. 1. de torneam.*

2063 *Cap. III.* Filij.

QVando parentes decumbentes in lecto vocant hæreticos, vt ab ipsis consolentur, & sic moriuntur, tunc mortuorum filij, vel hæredes non admittuntur ad probandum quod eorum parentes non erant sanæ mentis, quando petierunt illam consolationem, si dum viuebant erant diffamati de hæresi, vel suspecti, vel legitime constiterit, quod quando petierunt hæreticos, erant sanæ mentis; si secus, admittuntur ad probandum præmissa, non tamen per vxores, filios, familiares, vel aliquos ex suis, sed per alios testes fide dignos specialiter fidei zelatores.

2064 *Cap. IV.* Super eo.

RElapsi, idest qui abiurarunt errorem, vel se purgarunt in examinatione proprij Antistitis; & iterum reincidunt in abiura-

tam

tam hæresim, sine audientia relinquantur iudicio seculari, etiam si conuertantur. Verum si in eis apparent signa manifesta pœnitentiæ, non denegantur eis petita sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; & sic ecclesia non claudit suum gremium redeunti.

2065 *Cap. V.* In fidei fauorem.

COntra hæreticos, credentes, fautores, receptatores, & defensores eorum in negotio inquisitionis, admittuntur ad testificandum excommunicati, participes, & socij criminis, si præsumantur non dicere falsa: præsumpsio sumitur ex coniecturis verisimilibus, ex numero, & qualitate personarum, & ex alijs circumstantijs.

Glos. Quando non proceditur per modum inquisitionis, sed accusationis, vel exceptionis, non admittuntur, quia standum est iuri antiquo, quando non est correctum.

2066 *Cap. VI.* Præsidentes.

OFficiales alicuius Regni, Prouinciæ, vel loci licet sint excommunicati, & de facto tantum, & non de iure habeant iurisdictionem, possunt tamen, & debent, contra hæreticos, credentes, fautores, receptores, & defensores exercere iustitiam, & suum officium, quando sunt requisiti ab ordinarijs, vel inquisitoribus, vel delegatis; quando non possunt sine periculo moræ, vel negotij recurrere ad superiores legitimos. Item qui requirunt huiusmodi excommunicatos, non incurrant excommunicationem. Item prædictis officilibus nihil intelligitur concessum in alijs casibus.

Glos. Quando sine moræ dispendio possent recurrere ad superiores legitimos, si recurrunt ad excommunicatos, sunt excommunicati ob communionem. *c. nuper, de sentent. excomm.*

2067 *Cap. VII.* Cum contumacia.

SVspectus de hæresi vocatus ab inquisitoribus, vt de fide respondeat, si quia est contumax non parendo, vel se absentando, excommunicatur, & per annum in ea est pertinax, ex tunc condemnabitur tanquam hæreticus.

Glos. Propter suspicionem citatus, vt veniat responsurus, si est contumax fit vehementer suspectus, & excommunicatus; si per annum in illa perstitit, vehemens præsumptio transit in violentam; & ex tunc, vt hæreticus condemnatur: quare non vehemens præsumptio, sed violenta inducit condemnationem. Item in citatione est exprimendum, vt veniat responsurus de fide; in alijs criminibus

si ci-

ſi citatus non venit reſponſurus, & per annum perſiſtat in executione, habetur pro conuicto, non pro hæretico.

2068 *Cap. VIII.* Accuſatus.

QVando quis de prima hæreſi non eſt conuictus (nam conuictus punitur pœna relapſorum) nec conſtabat plene, ſi tamen erat vehemens ſuſpicio contra ipſum, ſi hæreſim in iudicio coram Epiſcopo, vel Ordinario abiurauit, & poſtea labitur in illam hæreſim, cenſetur relapſus ex quadam fictione iuris, licet ante abiurationem ſuam crimen hæreſis non fuerit probatū contra ipſum; & punietur pœna relapſorum. Si autem ſuſpicio fuit leuis, & modica, & tamen abiurauit ſuam hæreſim cum purgatione, ſi labitur non cenſetur relapſus, ſed lapſus, & licet ſit grauiter puniendus, non tamen vt relapſus, ideſt non eſt comburendus, ſed degradandus, & perpetuo murandus. Item hæreticus in vna ſpecie hæreſis, vel ſecta, vel in vno articulo, vel ſacramento, & deinde ſpecialiter, & generaliter abiurat hæreſim, ſi deinde in aliam ſpeciem hæreſis, vel ſectam incidit, vel alio articulo, vel ſacramento, iudicatur vt relapſus in hæreſim. Item ille, de cuius lapſu in hæreſim ante, vel poſt abiurationem conſtat, ſi poſtea hæreticos recipiat, deducat, viſitet, vel aſſociet, aut dona, vel munera eis donet, vel mittat, vel fauorem impendat, qui excuſari non poſſit, etiam ſi ſine adoratione, vt dicunt, merito iudicatur vt relapſus, quia id fit ex conſequentia probati erroris. Item teſtis periurus, licet poſt pœnitentiam repellatur, tamen in cauſa hæreſis ſi vult corrigere ſuum periurium, deponendo contra ſe, vel alios ſuos complices, ſi manifeſtis indicijs appareat talem non ex leuitate animi, vel fomite odij, vel corruptione pecuniæ, ſed ſolo Fidei Catholicæ zelo, ſuum dictum corrigere; niſi aliud obſiſtat, admittitur, quia in fauorem fidei, & in caſu exempto. Item inquiſitores non debent ſe intromittere, nec punire exercentes diuinationes, & ſortilegia, niſi manifeſte ſapiant hæreſim; ſed relinquant eos puniendos ſuis iudicibus. Item inquiſitores non poſſunt ſe intromittere in cauſis vſurarum, etiam ſi ſint contra illos, quibus pro crimine hæreſis iniuſſerunt reſtitutionem vſurarum, & illi obligarunt ſe & ſua bona. Item quando fautor hæreticorum, non tamen hæreticus promiſit inquiſitoribus, & obligauit ſua bona ad faciendam pœnitentiam, quam inquiſitores iniungere vellent, ſi moritur antequam iniungatur ei pœnitentia, hæres mortui non poteſt cogi ad ſatisfaciendum. ſi vero antequam moreretur, fuit pœnitentia iniuncta, nondum tamen peracta, & pœnitentia erat complenda in bonis temporalibus, tunc hæres debet cogi ad explendam talem

pœnitentiam, quia iam bona transierunt cum hoc onere. Item quando quis moritur hæreticus; licet in vita eius non fuerit lata sententia pro confiscatione bonorum; tamen post mortem confiscantur, quia hęres non debet admitti ad successionem bonorum hæretici. Item clerici, qui impediunt instruendo citatos hæreticos, vel eorum credentes de veritate celanda, vel dicēda falsitate, vel eos indebitè liberando, possunt ab inquisitoribus castigari debita pęna, vt incarceratione, vel alia, prout culpa exigit; si sunt religiosi, vel sunt immurandi, vel grauiori pœna puniendi, quàm laici, si inuenti sunt deliquisse in hæresi, vel consimilibus.

Glos. Delictum non dicitur bene probatum, etiam si constet de plena præsumptione vehementi: & hoc nota pro lege, quæ requirit plenam probationem. Item consuetudo vult, vt suspectus in vno articulo cogatur abiurare omnem hæresim generaliter. Item vere relapsus dicitur, quando constat vere, & perfecte prius incidisse in hæresim, de qua fuit conuictus. Sed si prius solum erat præsumptio contra ipsum, non dicitur vere, sed ficte relapsus; est tamen puniendus pœna relapsorum, ac si vere esset relapsus. Item qui iurauit in vno articulo, & abiurauit suam hæresim specialiter, si deinde errat in altero articulo non dicitur relapsus; secus si abiurauit generaliter, etsi principaliter suam hæresim. Item crimina extinguuntur morte; & pro crimine extincto non imponitur pœnitentia, nisi prius fuerit imposita. Item post quadraginta annos à morte patris, filij si bona fide possederunt, non possunt spoliari.

2069 *Cap. IX.* Statutum. *Vrban. iv.*

STatuta loci, quæ directe, vel indirecte impedire, vel retardare possunt inquisitorem, ne procedat, non valent; & rectores compellantur censuris, vt statutum deferant inquisitori; & si tale reperitur, est reuocandum, vel moderandum, ne impediatur, vel retardetur processus inquisitionis aliquo modo.

2070 *Cap. X.* Ne aliqui. *Clement. iv.*

OFficium inquisitoris non spirat morte cōcedentis, v.g. Papæ &c. nec quo ad negotia, quæ nondum erat cœpta, vel orta.

Glos. Intelligitur de inquisitore simplici, quia si erat cum clausula, *& vsque ad beneplacitum voluntatis*, est distinguendum, vt in. *c. si gratiose, de rescrip. in 6.*

2071 *Cap. XI.* Vt officium.

QVando sunt plures inquisitores singuli, vel coniunctim, simul possunt cognoscere causas, & in condemnandis, vel absoluendis

uendis reis secundum canones anteponant timorem Dei respectibus humanis, sed solerter considerent in absoluendo, ne simulate, & fraudulenter conuertantur absoluendi, & se & inquisitores decipiant. Item quando super crimine hæresis, vel ipsum tangentibus testes sunt excipiendi, accipiantur coram publico notario, & adhibeantur duæ personæ religiosæ, & discretæ: & si notarius commode haberi non potest, scribantur depositiones testium per duos viros idoneos. Item Inquisitores possunt cogere ad scribendum testimonia loco notarij, religiosos, qui in seculo exercuerunt officium notarij, non obstante iure, vel regula, sic & clericos seculares, & alios etiam quibus est à sede Apostolica commissum. Item inquisitor potest inhibere prædicationem quæstoribus, & alijs, quando ipse vult facere aliquem actum inquisitionis, vel vult prædicari hæreticis. Item inquisitor potest inuocare auxilium brachij secularis ad capiendum hæreticum, vel impedientes capturam remota appellatione, non obstantibus priuilegijs sub quacumque forma verborum. Item inquisitor potest facere, vt magistratus, vel officialis iuret seruare, & facere seruari à suis subditis omnes constitutiones à Sede Apostolica promulgatas, ac probatas contra hæreticos; & si nolint iurare, vt infames, & fautores, ac suspecti de hæresi priuentur officio, & regimine, nec in posterum ad officium publicum assumantur.

Glos. Religiosus non potest in alijs causis exercere officiũ tabellionis. *c. debent, sup de offic. ordinar.* Item inter istas consuetudines non est prioritas, neque posterioritas, quia simul sunt approbatæ.

2072 *Cap. XII.* Vt commissi. *Bonif. viij.*

Conceditur facultas inquisitoribus, vel eorum singulis committendi citationes, & denunciationes sententiarum, quas ferent contra hæreticos, credentes, receptores, defensores, fautores eorum; vocandi quoslibet peritos, vt eis assistant dum ferunt sententiam, & consilium dent, prout iudicauerint expedire, & iniungendi ipsis peritis in virtute obedientiæ, vt super his pareant. Item conuocandi clerum oppidi, vel ciuitatis, prout expedierit negotio fidei. Item procedendi contra illos, de quibus constat quod deliquerũt in fide in prouincia talis inquisitoris, licet deinde se trãstulerint in aliam. Item faciendi, vt eis assignentur libri & scripta, in quibus continentur inquisitiones, & processus contra hæreticos facti per quoscunque authoritate Apostolica, vel legatorum. Item mitigandi, vel mutandi pœnas illorum, qui humiliter obedientes suis mandatis sunt in carcere, vel muro reclusi, si ita expedire iu-

dicauerint;

dicauerint; & hoc fiat simul cum prælatis, quorum iurisdictioni subsunt. Item priuandi, & priuatos declarandi dignitatibus, & beneficijs ecclesiasticis de consilio Diœcesanorum, vel, eis absentibus, Vicariorum suorum,& officijs publicis, ac honoribus quibuscunque eosdem hæreticos, credentes, receptores, defensores, & eorum filios, & nepotes; & Diœcesani in priuando, vel declarando tales priuatos beneficijs sunt requirendi, si non constet eos legitime,& scienter contulisse beneficia talibus; tunc enim non sunt requirendi, sed puniendi à suo iudice.

Glos. Qui peccauit peccato hæresis in vna prouincia, v. g. Rauennati, & modo est in alia, v. g. Mediolani, inquisitor Mediolanensis potest cognoscere causam huius; quia vbi quis inuenitur, conuenitur de crimine: & sic aliquando duo inquisitores cognoscunt Rauennæ & Mediolani. *c. per hoc eod.* Item cum priuat officijs publicis,& honoribus, non requiritur consilium instituentis, sicut in beneficijs, sed hodie dic, vt in *c. multorum eod. in clem.*

2073 *Cap. XIII.* Contra Christianos.

CHristiani qui transeunt, vel redeunt ad Iudaismum, licet in infantia fuerint baptizati,vel metu mortis,nō tamē absolute, & præcise coacti sint baptizati, sunt puniendi tanquam hæretici, si sint confessi, vel per Christianos, vel per Iudeos conuicti; sic contra fautores,& receptores eorum,sicut contra fautores hæreticorū.

Glos. Tamen bona Iudeorum deuoluentur ad filios Catholicos, vt. *c. Iudæi. 1. q. 4.* vel cofiscantur. *c. cum secundum, eod.*

2074 *Cap. XIV.* Decreuit.

CAtholicarum vxorum dotes non confiscantur propter hæresim maritorum, si quando contraxerunt matrimonium nesciebant illos esse hæreticos.

Glos. Præsumuntur ignorare, nisi probetur. *c. præsumimus, de reg. iur. & c. 2. eod.*

2075 *Cap. XV.* Statutum Fælicis.

FIlij hæreticorum credentium, vel fauentium ex paterna linea vsque ad secundum gradum, ex materna vsque ad primum, non possunt habere beneficia, vel officia; & intelligitur quando parentes, vt tales, ideſt hæretici, mortui sunt; secus quando constat fuisse eos emendatos,& reincorporatos Ecclesiæ, & ad mandatum Ecclesiæ pœnitentiam pro culpa egisse, vel recepisse,vel paratos ad eam recipiendam fuisse.

Glos.

Glos. Intelligitur etiam de filijs illegitimis.

2076 *Cap. XVI.* Inquisitores.

INquisitor deputatus à Sede Apostolica, vel ab alio non potest inquirere de hæresi, vel procedere contra Episcopos, nisi in litteris commissionis Sedis Apostolicæ expresse ponatur quod possit. Si tamen inquisitor Episcopum vel eo superiorem sciuerit, vel inuenerit commisisse crimen hæresis, aut esse diffamatos, vel suspectos de hoc, tenetur denunciare Sedi Apostolicæ.

Glos. Deputatus ab alio quam à Papa, licet exprimatur in sua facultate etiam contra Episcopos, tamen non potest contra Episcopum procedere, nisi sit expressum in litteris Apostolicis. Item nec potest inquirere, vt causam instructam remittat Papæ. *c. constituit, de appellat.* Item in constitutione odiosa non comprehenduntur Episcopi per verba generalia expressa, nisi exprimantur Episcopi, propter eorum prærogatiuam. *c. quia periculosum, de sent. excom.* Vide *c. ex eo, extrau. comm.* vbi declaratur hoc capitulū.

2077 *Cap. XVII.* Per hoc.

QVando Papa legat generaliter negotium hæreticorum alicui in aliqua Diœcesi, non derogat Diœcesano, quin possit procedere in eodem negotio authoritate ordinaria, vel delegata, si eam habet; & de eodem facto possunt inquirere ordinarius, & inquisitor communiter, vel diuisim; & si diuisim procedant, tenentur inuicem communicare processus, vt veritas melius inueniatur, etiam nisi in tali casu alter alteri iudicauerit deferendum, sententia proferatur simul per vtrosque, & si non conueniant, mittatur ad Sedem Apostolicam negotium sufficienter instructum per vtrosque. Item Episcopus, siue ordinaria, siue delegata potestate procedat, seruet in procedendo illum modum, quem inquisitores per iura communia, vel speciales concessiones seu ordinationes Sedis Apostolicæ debent seruare.

Glos. Inter Episcopum, & inquisitorem non datur locus præuentioni, sed quilibet potest processare. Item secus est quando Papa legat specialiter. Item inquisitores possunt processare simul, & separatim. Vide *extr. de hæret. c. multorum*; tamen vna tantum sententia fertur.

2078 *Cap. XVIII.* Vt Inquisitores.

PRincipes & rectores seculares obediant Episcopis, & inquisitoribus; & intendant in captione, inuestigatione, & diligenti custo-

custodia hæreticorum, & fautorum, cùm fuerint requisiti, & tradantur in carceres Episcoporum, vel inquisitorum, vel alibi in districtu, vbi Episcopus, vel inquisitor mandauerit; & custodiantur arcte per viros Catholicos deputandos per Episcopum, vel inquisitorem, donec eorum negotium terminetur per iudicium Ecclesiæ. & quando condẽnati de hæresi ipsis relinquuntur, statim eos accipiant, & sine dilatione puniant; non obstante appellatione, vel proclamatione eorum, quia hæc sunt illis interdicta à legibus. Item prohibetur Dominis, & officialibus prædictis, vt non cognoscant, vel iudicent de crimine hæresis, quia est ecclesiasticum; nec liberent à carcere captos pro hæresi sine licentia, vel mandato Episcopi, vel inquisitoris; nec executionem sibi iniunctam prompte facere, vel adimplere detrectent; nec præsumant directe, vel indirecte impedire sententiam, vel processum iudicum, inquisitorum, vel Episcopi. Si quis prædictorum præsumpserit contra facere, vel se opponere vel impedire, & qui scienter in prædictis dederit auxilium, consilium, fauorem, est excommunicatus; & si per annum est pertinax in excommunicatione, ex tunc condemnabitur vt hæreticus.

Glos. Potestas secularis non adhibebit custodiam ad custodiendum homines suspectos, sed ipse Episcopus, vel inquisitor. Item in causa criminali sententia lata potest mandari statim executioni, non spectatis decem diebus: sed Panor. oppositum tenet. Item sacrilegium est mixti fori; & sic laicus sacrilegus potest capi à iudice seculari, & ab ecclesiastico, sed datur locus præuentioni *c. concil. generale de foro comp.* Item iudex secularis, si suum subditum capere non potest timentem excommunicationem, potest petere ab ecclesiastico, vt illum excommunicet; & ecclesiasticus tenetur excommunicare. *c.1. de for. comp.* Item ab excommunicatione huius cap. potest Episcopus absoluere, quia non est reseruata. Item hodie est faciendum vt in *Clement. multorum eod.*

2079 *Cap. XIX.* Cum secundum.

BOna hæreticorum sunt ipso iure confiscata; sed executio confiscationis, vel occupatio bonorum non debet fieri ante sententiam promulgatam ab Episcopo, vel à persona ecclesiastica habente potestatem. nec mirum: quia qui contrahit incæstuosas nuptias, vel raptoris, contradicentibus parentibus, vel qui prohibita transuehunt, priuantur ipso iure; multo magis hic.

Glos. Idem Clementina, *excommunicamus*, *eod.* Item impetrator potest auferre dominium rerum à singulis in causa legitima.

An

An in matrimonio ex raptu amittantur data à raptore, & cui acquirantur, & num ſecundum leges, vel canones? vide ibi. Item bona hęretici eccleſiaſtici titulati, ſi ſint eccleſiarum non confiſcantur, *c. volentes, Clement. eod.* Item bona laicorum hæreticorum ſunt confiſcata ipſo iure à tempore commiſſi criminis; idem in crimine læſæ maieſtatis: & valet confiſcatio, etiam ſi ille habeat filios catholicos, ita vt ipſa bona per fiſcum vindicentur de manibus poſſeſſoris, nullo dato pretio, etiam ſi per multas manus tranſierint, & ſi aliquid loco pretij eſſet in bonis hæreticorum. Si autem volens committere crimen prius alienat bona, deinde committit, vide Spec. de donat. Ioan. Andr.

2080 *Cap. XX.* Statuta.

IN negotio hæreticorum poteſt procedi ſimpliciter, & de plano ſine ſtrepitu iudicij, vel figura, ſeu aduocati. Item ſi propter potentiam reorum timetur imminere graue periculum accuſatoribus, teſtibus, vel deponentibus, ſi publicentur nomina, tunc eorum nomina non publice, ſed ſecrete coram Epiſcopo vel eo abſente coram Vicario, quando inquiſitores procedunt: etſi procedit Epiſcopus coram inquiſitoribus, ſi commode haberi poſſunt, & ſemper etiam coram alijs perſonis prouidis, honeſtis, & iuris peritis, quibus ſerio manifeſtetur, & explicetur totus proceſſus; & de eorum conſilio procedatur ad ſententiam, & condemnationem, & ad cognitionem iudicis inſtruendam adhibeatur plena fides depoſitionibus talium teſtium, non obſtante quòd deponentium, vel teſtium nomina non fuerint eis oſtenſa. Item conſultoribus prædictis poſſunt indicere ſecretum de præmiſſis; & ſi opus fuerit, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, ſi violant ſecretum; ſed inquiſitores Epiſcopum, vel Epiſcopus inquiſitores hac de cauſa non excommunicet, ſed in virtute ſanctæ obedientiæ tenentur ad ſecretum. Item præcipitur Epiſcopis, & inquiſitoribus, vt vbi eſt ſecuritas non dicant eſſe periculum; & ſic nomina ſupprimant: nec vbi eſt periculum dicant eſſe ſecuritatem; & ſic nomina vulgentur. Item decreta, & reſponſa Pontificum circa inquiſitionem, quæ hic non contradicunt, maneant in ſuo robore.

Gloſ. Licet ordo iudiciarius multa requirat, quorum aliqua ſunt de ſubſtantia. *c. vn. de litis conteſtat.* tamen contra hæreticum non ſeruatur. Item ſine figura, & ſtrepitu iudicij quid importet, vide *ibi* & *in Clement ſæpe de verb. ſignif.* ideſt, quando dicitur, *ſine figura*, nullum ordinem iuris ſeruare tenetur; ſecus quando dicitur, *ſine ſtrepitu.* An inferior Papa, etiam Legatus, in caſu non per-

misso à iure possit cognoscere de causa, vel eam committere de plano sine strepitu, & signra iudicij, vide. Item periculum etiam est quādo timetur mors vel rruncatio filiorum, parentum suorum, deuastatio substantiæ ipsorum, & his similia. Item hodie semper timetur tale periculum, ideo indistinctè nunquam publicantur nomina. Vide repert. inquisit. verbo, *nomina*.

CLEMENTIN. LIB. V.

DE HERETICIS. Tit. III.

2081 *Cap.* Multorum. *Clem.v.*

NE detrimentum sentiant fideles, si inquisitores excedant metam sui officij, negotium inquisitionis fiat tam per Episcopum diœcesanum, quam per inquisitores sine carnali amore, odio, vel timore, vel affectione commodi temporalis. & quamuis quilibet ex prædictis possit citare, arrestare, capere, ac tutæ custodiæ mancipare, etiam in compedibus, vel manicis ferreis, & inquirere contra illos, prout in Domino visum fuerit; non potest tamen Episcopus sine inquisitore, vel inquisitor sine Episcopo, vel eius officiali, vel in sede vacante, sine officiali à capitulo delegato (si intra octo dies, postquam se se requisierint, possint inuicem alterius habere copiam) non potest inquā tradere carceri arcto, qui magis sit ad pœnā quam ad custodiam, vel tormentis, vel ad sententiam procedere; & si secus præsumptum fuerit, nullum sit, & irritum ipso iure. Si autem neuter horum nequeat, vel nolit personaliter conuenire, tunc possit Episcopus, vel eius officialis, vel delegatus sede vacante committere suas vices, vel per litteras significare suum consilium vel consensum inquisitori, & contra. Item carcer quilibet inquisitionis erit communis Episcopo, & inquisitori: habeat duos custodes principales, discretos, industriosos, & fideles; vnum, quem volet Episcopus, cui etiam Episcopus prouidebit; alterū inquisitor, cui etiam inquisitor prouidebit: & quilibet horum poterit habere sub se fidelem & bonum ministrum. Item in quolibet conclaui eiusdem carceris erunt duæ claues diuersæ, quarum vnam vnus, alteram alter custos habebit; & eam, quando est ministrandum carceratis, poterit committere, vel subdelegare ministro. Item coram Episcopo, vel sede vacante coram capitulo, & inquisitoribus, vel eorum substitutis prædicti custodes, antequam suum officium exequantur, ad sacra Dei Euangelia corporaliter à se tacta iurabunt, quod fideliter adhibebunt omnem diligentiam ad custodiam incarceratorum pro hæresi; & quòd vnus non loquetur alicui incarcerato in secreto, quin

quin alter custos audiat; & quòd fideliter, & absque diminutione ministrabunt incarceratis prouisionem, quam recipiunt ex communi ordinatione, & id quod à parentibus, amicis, vel alijs fidelibus offertur, dum superiores non contradicant: similiter iurent coram Episcopo, & inquisitore, etiam si carceres non sint communes, sed solius Episcopi. Item notarij inquisitionis iurabunt coram Episcopo, & inquisitore, vel substitutis, exercere fideliter suum officium. Idem faciant aliæ personæ necessariæ ad exercendum officium. Item Episcopi, inquisitores, & eorum substituti, sub præcepto obedientiæ, vt discretè, & promptè procedant contra suspectos, vel diffamatos de hæresi, nec malitiose, vel fraudulenter alicui falso imponant talem labem, vel quod ipsos impediat ab executione officij inquisitionis. Quod si odio, gratia, amore, lucro non procedunt, vel vexant innocentem, tunc Episcopus, vel superior est suspensus ab officio per triennium, alij sunt excommunicati ipso facto; & est reseruata Summo Pontifici excepto mortis articulo, & præmissa satisfactione, nullo suffragante priuilegio. Item confirmantur omnia iura, quæ spectant ad officium inquisitionis, quæ non obuiant præsenti decreto.

Glos. Ieiunia indicta ab inquisitore, vt eruat veritatem, sunt tormenta, & sic non potest solus sine Episcopo. Item licet vnus solus non possit condemnare ex hoc titulo, tamen potest absoluere secundum ius antiquum, quod non est innouatum. Item pro Sede vacante in hoc casu potest intelligi etiam quando esset quis prouisus Episcopus, sed non posset administrare, quia non habuit litteras. *arg.c.2. de transl.* An capitulum Sede vacante possit visitare, videtur sic, quia est actus iurisdictionis; videtur non quia cum non sit expressum, non est ei attribuendum. Item in iuramento corporali non sufficit præsentia, sed requiritur tactus libri Euangeliorum in Italia, ex consuetudine etiam cuiusuis scripti; alia vero iuramenta, quæ non requiruntur à iure, vel à iudice, possunt fieri sine tactu scripturæ. Item iura varie loquuntur. Item alter custos solus sine socio potest alloqui incarceratos &c. non de secretis. Item in mortis articulo contrafaciens non absoluitur, nisi præmissa satisfactione, si potest, & tempus patitur; alioquin det cautionem. *c.vlt.de sent. excom. in 6.*

2082 *Cap.* Nolentes.

OFficium inquisitionis non committatur nisi attingenti quadragesimum annum. Item deputati ab inquisitore, vel Episcopo, vel capitulo non extorqueant pecuniam ab aliquo, prætextu offi-

cij inquisitionis, nec attentent applicare fisco bona Ecclesiæ ob delictum clericorum, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, à qua non absoluantur, nisi plene satisfecerint dominis, vel in mortis articulo. Item notarij, officiales, fratres & socij, qui hoc sciuerint, illos in secreto arguant, & corrigant in secreto; & si probare possunt, denuncient superioribus, qui amoueant tales ab officijs; & superiores scribant ecclesiæ sub præcepto obedientiæ. Item præcipitur inquisitoribus, vt non abutantur concessione portandorum armorum, nec habeant plures officiales, nisi necessarios, qui se conferant cum inquisitoribus ad officia exequenda.

Glos. Quando in constitutione ponitur, *ex tunc*, non expectantur duo menses, sed statim obligat post publicationem; & licet in conscientia non liget ignorantes, sed contra factum in foro exteriori non excusantur.

Glos. Quoad pœnas non loquitur de Episcopis sed de commissarijs.

2083 *Cap.* Ad nostrum.

REprobat, & damnat Beguardos, & Beguinas in Alemania, & eorum errores, tanquam puniendos pœna canonica; & inquisitores inquirant in hos, & exerceant suum officium, nisi pœnitentes sponte abiurent, & satisfaciant. Errores horum erant. Primo, quod homo in hac vita potest venire ad tantam perfectionem, vt sit impeccabilis, nec amplius possit in gratia proficere, ne quis perfectior Christo possit inueniri. Secundo, homo post hanc perfectionem non debet amplius ieiunari, vel orare, quia cum sensualitas sit omnino subiecta rationi, potest corpori concedi quicquid voluerit. Tertio, non est subiectus obedientiæ, vel præcepis Ecclesiæ. Quarto, homo potest ita finalem beatitudinem assequi in via, sicut in patria. Quinto, quælibet natura intellectualis, est in se beata naturaliter, & anima non indiget lumine gloriæ, vt eleuetur ad Deũ videndum. Sexto, exercere se in actibus virtutum est hominis imperfecti; perfectus homo licentiat à se virtutes. Septimo, osculum mulieris cum ad hoc natura non inclinet, est peccatum mortale; sed actus venereus non est peccatum, cùm ad hoc inclinet natura, & homo tentetur. Octauo, in eleuatione Sacramenti non debent assurgere, vel reuereri, quia est imperfectio relinquere contemplationem: & sunt etiam alij errores.

EXTRA-

EXTRAV. COMM. LIB. V.
DE HÆRETICIS.

2084 Cap. Ex eo. *Benedictus ij.*

DEclarat *cap.per hoc, eod. in 6.* ideſt, quod tunc ordinarius & inquiſitores debent proceſſus communicare, quando vtrique agunt ſeiunctim, & non quando Epiſcopus tantum, vel inquiſitores tantùm agunt; & proceſſus ſunt communicandi in fine tantũ, quando nihil reſtat niſi promulgare ſententiam. Excipitur, quando alter commode procedere non poteſt, niſi alterius actis viſis: & in hoc caſu ſemel tantũ in toto negotio copia tribuatur, ne detur locus fraudi, licet in iure ciuili quando ex actitatis alterius eſt ferenda ſententia, ter prius monſtrentur. Item Epiſcopus procedens non petat partem prouentuum deputatorũ officio inquiſitionis de bonis hæreticorum propter expenſas factas, quia ordinarius proprijs ſtipendijs, ſeu expenſis debet inquirere. Similiter nec expoſcant rationem prouentuum officij inquiſitionis ab inquiſitoribus, non obſtante mandato, vel conſuetudine; ſed inquiſitores illos reddant, cui Romanus Pontifex iuſſit reddi.

2085 Cap. Vás electionis. *Ioann. xxij.*

DAmnat tanquam erroneos articulos Ioannis de Poliaco Doctoris Pariſienſis. Primus erat: qui confitentur fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confeſſiones tenẽtur eadem peccata iterum confiteri proprio ſacerdoti. Secundus, quòd ſtante *c. omnis vtriuſque ſexus, Conc Lat.* Papa non poteſt facere, quod parochiani non teneantur omnia ſua peccata proprio ſacerdoti, ideſt parochiali curato confiteri, imo nec Deus poteſt facere, quia implicat. Tertius, quòd nec Papa, nec Deus poteſt dare generalem poteſtatem audiendi confeſſiones alicui, ita vt confeſſus eadem peccata non teneatur iterum confiteri parocho.

2086 Cap. Cum Matthæus.

ORdinarij, vel inquiſitores ſancti officij, vel quicunque alij iudices, ſiue ordinarij, ſiue delegati non præſumant quoquomodo procedere contra Apoſtolicæ Sedis officiales, vel nuncios, vel contra aliquem ipſorum quacumque occaſione vel cauſa, nec promulgare excommunicationem, vel ſuſpenſionem, vel aliam ſententiam ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ concedenda in litteris

faciente plenam mentionem de præsenti decreto: & si quid contra hoc decretum tentatum fuerit, est inane & irritum. Verum si officiales, vel Nuncius Sedis Apostolicæ indebite aliquid forte attentent, vel faciant, tunc Diœcesani, inquisitores, vel alij iudices ordinarij, vel delegati, ad quos illud negotium pertinet, plene se informent de illo negotio, & studeant illud significare Domino Papæ, vt prouideat.

DECRETALIVM LIB. V.

DE SCHISMATICIS, ET ordinatis ab eis. Tit. VIII.

2087 *Cap.* Quod à prædecessore. *Ex Conc. Later.*

ORdinationes factæ à schismaticis,& ab ordinatis ab eis sunt irritæ. Item qui acceperunt dignitates Ecclesiasticas, vel beneficia, carent impetratis. Item alienationes factæ de rebus ecclesiæ per schismaticos, vel laicos non valent, & res sine omni onere reuertuntur ad ecclesias; & qui præsumit facere contra prædicta, est excommunicatus. Item qui sponte iurarunt de tenendo schismate, sunt suspensi à sacris ordinibus, & dignitatibus.

Glos. Ordinationes factæ à schismatico non sunt irritæ quantum ad ordines, dummodo sint factæ secundũ formam ecclesiæ, sed sunt irritæ quantum ad executionem, nisi cum eis dispensetur. *infra c. 2.* vel nisi probet ordinatus se ignoranter à schismatico accepisse. *c. si quis à simoniacis, 9. q. 1.* Item ecclesia dum habet pastorem hæreticum, vel schismaticum, intelligitur vacare. *c. 1. de præscript.* & acta in præiudicium ecclesiæ non valent. *c. si qua, 12 q. 2.* sed acta in commodum, vt quia acquisiuit, an valeant? videtur sic, quia illud est introductum in fauorem ecclesiæ.

2088 *Cap.* Fraternitati. *Innoc. iij.*

ORdinatus à schismatico est statim repellendus ab officio, nisi legitime probet secum fuisse dispensatum ab habente authoritatem.

Glos. Qui dicit secum fuisse dispensatum, tenetur probare dispensationem: nec sufficit ad probandam dispensationem fuisse factam, probare, quod sit ordinatus ab eo qui sciebat eum esse indignum, & se-

& secum poterat dispensare. *c.diuersis fallacijs,de cler.coniug.c.quicumque,dist.*81. vbi deponitur concubinarius ordinatus ab eo,qui secum poterat dispensare, quia requiritur vt intendat dispensare quod expressa causa præsumitur. *c.clerico iacente,dist.*50. Item dispensatio potest probari per testes. Item si peccatum est occultum, confiteatur Episcopo secreto, & petat dispensationem, & obtineat litteras super hoc; si vero est publicum,& publice fuit dispensatum, non poterit postea accusari. *c. ex tua,de fil. presbyt.* & *c.de his,de accusat.* si est occulta dispensatio, potest accusari, etiam post pœnitentiam. *c.admonere,*33.*q.*2. Item schismaticus Episcopus reuersus ad ecclesiam, & receptus in suo ordine, non potest dispensare cum ordinato à se, sicut nec simoniacus cum ordinato à se. *c. præsentium,*1.*q.*5. tandem solus Papa dispensat cum scienter ordinato à schismatico. *c.quia diligentia, de elect.* & cum eo qui in apostasia ordinem suscepit. *c.vlt.tit.*10.

IN SEXTO LIBER V.
DE SCHISMATICIS. Tit. III.

2089 *Cap.* Ad succidendos. *Bonif.viij.*

DEponit à Cardinalatu Iacobum, & Petrum Columnenses, & imponit alias pœnas: filios etiam Ioannis, qui fuit frater Petri de Columna,inhabilitat ad Cardinalatum, & dignitates perpetuo in Ecclesia Romana, alibi vero vsque ad quartam generationem; & qui prædictos Petrum & Iacobum habuerit pro Cardinalibus, est excommunicatus.

Glos. Iam fuit reuocata à Benedicto.*c.dudum bonæ mem.in extr.* & Clemens V. & Ioann. XXII. crearunt Cardinales. An Collegium Sede vacante succedat in iurisdictione, & eius exercitio? videtur quod sic, saltem in his, quæ de grandi necessitate imminenti,& euidenti expediri oportet, prouideant, *cap. vbi periculum*, *de electione in 6.*

EXTRAV. COMM. LIB. V.
DE SCHISMATICIS.

2090 & 91 *Cap.* Dudum bonæ mem. *Bened.xi.*

BEnedictus XI. reuocat *cap. ad succidendos, in 6.* factum à Bonif. VIII. contra Columnenses exceptis paucis.

DECRETALIVM LIB. V.

DE APOSTATIS, ET REITErantibus baptiſmata. Tit. IX.

2092 *Cap. I.* Præterea. *Alex. iij.*

CLerici qui relicto ordine clericali, & habitu ſuo tanquam laici conuerſantur in apoſtaſia, ſi in crimine comprehenſi teneantur, non liberantur per cenſuram Eccleſiaſticam.

Gloſ. Si prædicti fuerint ter admoniti, & non ſe correxerint, nullo priuilegio eccleſiaſtico gaudent. *c. in audientiam.* & *c. ſi contingit, de ſent. excomm.* ſi ſecus, capientes illos ſunt excommunicati; ſed eccleſia non præcipit eos liberari. *c. 2. ne cler. vel mon.*

2093 *Cap. II.* Ex litterarum.

QVando aliquis acolythus in minori ætate miniſtrauit ſacerdoti rebaptizanti; ſi peccatum eſt occultum, poteſt promoueri ad ſuperiores ordines, & agat pœnitentiam de peccato; ſi peccatum eſt publicum, non poteſt promoueri, niſi fiat religioſus, & in fauorem Religionis cum eo diſpenſetur.

Gloſ. Minor ætas non excuſat in totum; ſed vt mitius puniatur. *c. pueris, de delict. pueror.* Item irregularitas, quæ conſurgit ex proprio delicto, nō tollitur per ingreſſum Religionis ſed cum eo diſpenſatur in fauorem Religionis, vt *hic*, & *c. 1. de eo qui fur. ord. recip.* ſed illa quæ nō ſurgit ex delicto proprio tunc tollitur, & ſine diſpenſatione poteſt ordinari, ſed non ad dignitatem. *c. in quibuſdam, de pœnis, c. 1. de filijs presbyt.*

2094 *Cap. III.* Tuæ fraternitati. *Inocent. iij.*

CLerici infamati de apoſtaſia, ideſt quod habitum dimiſerunt, non ſunt relinquendi in habitu ſeculari, ſed cenſuris cogendi vt deficiente probatione canonice ſe purgent.

Gloſ. Intelligitur de clerico in ſacris, vel de profeſſo *c. penult. de reg.* nam clerici in minoribus poſſunt in totum renunciare ordini clericali. *c. vlt. de vita & honeſt. cler.* & *c. 10. de cler. coniug.* imo poſt trinam admonitionem perdit priuilegium.

2095 *Cap. IV.* Quidam ſicut.

QVi voluntarie ſunt baptizati, ſi deinde ad priores ritus, & ſuperſtitiones reuertuntur, ſunt per prælatos coercendi.

Cap.

2096 *Cap. V.* Anobis. *Honor.iij.*

APostatæ qui dimisso habitu detinentur in carcere, & nec minis, nec blanditijs adduci possunt, vt habitum reassumant, possunt si videbitur, sub graui custodia referari ita vt miseram vitam ducant.

Glos. Intelligitur de professis, vel de clericis in sacris. *c. tua eod.* Item apostatæ possunt in carcere detineri donec resipiscant, & tunc fit cum eis misericordia.

2097 *Cap. VI.* Consultationi.

MOnachus in apostasia ordinatus licet deinde fuerit abbati reconciliatus, & pœnitentiam fecerit, tamen non poterit ministrare in illo ordine suscepto sine dispensatione Summi Pontificis.

Glos. Dispensare, vt in apostasia ordinatus ministret in ordine, est reseruatum Papæ. *c. excommunicamus de haeret.* & *c.penult. & vlt.de filijs presbyt.* Item si iterata vnctione fuerit maculatus. *c.salube rrimum.*1.*q.vlt.* Item, qui rebaptizati sunt. *c.bis,& c.eos quos de consecr. d.*4. Item qui in subuersionem fidei ordinantur ab hæreticis. *c. conuenientibus.* 1.*q.*7. Item si regularis ad aliam religiouem transisset, & ibi ordinaretur, posset sine dispensatione ministrare in ordine suscepto. *c. ex parte de temp. ord.* quia non fuit ordinatus in apostasia.

DECRETALIVM LIB. V.

DE HIS QVI FILIOS OCCIDErunt. Tit. X.

2098 *Cap.* Veniens. *Alex.iij.*

MVlier quæ sponte, licet ex iracundia, filium occidit, est inducenda vt in monasterio agat perpetuam pœnitentiam; & si nolit ad hoc induci, & timetur de incontinentia, detur licentia vt nubat, ne inhoneste viuat.

Glos. De hac pœna secundum can. vide *c. vlt. eod.* Item si non esset præsumptio de incontinentia, non datur facultas nubendi propter suum crimen. *in adolescentia,*23.*q.*2.

Cap.

2099 *Cap.* Intelleximus. *Lucius iij.*

MVlier quæ occidit filios, non est separanda à suo viro, vt possit gubernare alios filios, sed agat aliam pœnitentiam, & consulatur alijs filijs, etiam si iurasset separationem à viro.

Glos. Quia est illicitum iuramentum. *c. tua nos de iureiur.* Item hæresis, & infidelitas separat coniuges à cohabitatione, non à matrimonio.

2100 *Cap.* De infantibus.

Trid. sess. 24. de matr. can. 5.

QVando reperiuntur infantes mortui in lecto, & nescitur à patre, vel matre, si sint oppressi, vel naturaliter mortui, parentes non debent esse omnino tuti, sed agant aliquam pœnitentiam ad arbitrium superioris; si vero sunt certi quod ipsi eos suffocarunt, grauiter deliquerunt, & agant pœnitentiam, secundum aliquos trium annorum, quorum vnum in pane, & aqua.

Glos. Si culpa fuit leuis, trium annorum; si vero grauis, quinque annorum. *c. quæsitum de pœnit. & remiss.* si nulla, non sunt puniendi nisi ad cautelam. *c. is qui de pœn. & remiss.* & *c. considerat de pœn. d.* 1.

DECRETALIVM LIB. V.

DE INFANTIBVS, ET LANGVIDIS expositis. Tit. XI.

2101 *Cap.* Si à patre. *Gregor. ix.*

INfans expositus à patre, vel ipso sciente, vel ratum habente est liber à patria potestate; sic & libertus, vel seruus, vel languidus si exponitur. Idem dicendum, si eisdem denegentur alimenta. Item qui hos suscipiunt, non acquirunt ius in eorum personis.

Glos. Ratihabitio in maleficij retrotrahitur, & mandato comparatur. *c. cum ad sedem de rest. spol.* Item si ipso ignorante vel contradicente fuit expositus, non noceat ei, sed soluat expensas. Item si non habebat vnde eum aleret, tradat Xenodochio, vel quoquo modo potest illum adiuuet. Item idem iuris est de dictis personis, idest, filio, liberto, seruo, si sint languidi in quacunque ætate, vel eis alimenta impie negentur; fiunt enim liberi, nec in eorum

bona

bona possunt domini aspirare. Item si monasterium expulit monachum, vel si redire volentem salua disciplina non recipit, & monachus aliquid acquirit in sæculo, & moritur, monasterium non habebit ipsius bona. *c. vlt sup. de relig. & transf. de relig.*

DECRETALIVM LIB. V.

DE HOMICIDIO VOLVNTARIO, vel casuali. Tit. XII.

2102 *Cap. I.* Si quis per industriam. *In Exodo.*

QVi per insidias, & industriam occidit proximum, est deponendus, vt moriatur, seu euellatur ab altari.

Glos. Qui per insidias hominem occidit, non habet immunitatem ab ecclesia, sicut nec publicus latro. *c. inter alia, de immun. eccles.* sic qui ea spe in ecclesia vel cœmiterio delinquunt, vt ibi liberentur, non defenduntur. *c. vlt. de immun. eccles.* hoc est euelli ab altari.

2103 *Cap. II.* Interfecisti.

QVi potuit aliter se liberare, & tamen furem vel latronem occidit, imponuntur ei pœnitentiæ per quadraginta dies, quas vide. Si non potuit aliter se liberare, & sine odio occidit, non imponitur ei pœnitentia; sed si vult, ieiunet & faciat elemosinas; sed si est presbyter, non deponitur, tamen agat pœnitentiam dum vixerit.

Glos. Non deponitur, quia non est formaliter homicida, tamen fit irregularis, quia potius debuit dimittere sua, quam illum occidere. *c. suscepimus eod.* sed cum eo dispensatur ex misericordia, vt habeat beneficium sine executione ordinis. non loquitur, quando non potuit euitare.

2104 *Cap. III.* Si perfodiens. *Aug.*

QVando quis occidit furem nocturnum, non imputatur ei homicidium; secus si diurnum, quia in die poterat cognoscere, quod venerat ad furandum, non ad occidendum; ideo non debebat occidi. Vnde in legibus secularibus impune occiditur nocturnus fur, & non diurnus, nisi armis se defendendo.

Glos. Quia est vim vi repellere, *c. incontinenti. c. sine internallo. c. si vero de sent. excom.* & *c. significasti eod.* sed post vim illatam non possunt

possunt prosequi & percutere, licet secundum aliquos possim præuenire illum qui vult me interficere.

2105 *Cap. IV.* Cum iuramento. *Hier.*

QVando aliquis promittit, & iurat se facturum aliquid in genere, non intelligitur si sit illicitum, vt homicidium.

Glos. De hoc habes in. *c.quemadmodum de iureiur.* Item sub iuramento generali non venit id quod specialiter datum non fuisset.

2106 *Cap. V.* Si aliquis.

QVi causa odij, vel libidinis dat homini, vel mulieri remedia, vel venena, vt non possit generare, vel concipere, vel nasci soboles, teneatur vt homicida.

Glos. Habetur homicida quantum ad pœnam legalem, & quantum ad spiritualem, idest peccatum, sed non quantum ad irregularitatem, nisi fœtus fuerit animatus. *c.sicut,eod.*& *c.quod vero* 32.*q.*2.

2107 *Cap. VI.* Sicut dignum. *Alex.iij.*

IN qualitate pœnitentiæ imponendæ discretus iudex debet considerare quantitatem, & qualitatem delicti, ætatem, scientiam, sexum, conditionem delinquentis, locum, & tempus in quo deliquit. Et agitur de his qui cooperati sunt in morte Sancti Thomæ Cantuarienensis: vnde variè punitur qui occidit, & qui est associatus animo occidendi, non tamen occidit, vel animo solum defendendi occisorem, & qui incitauit ad homicidium in communi, vel ad hoc in particulari, & qui custodiunt sarcinas occidentium, & qui occupant bona occisi, & qui communicant in executione; & si clerici dent auxilium, consilium, &c.

Glos. Homicidium committitur facto, consilio præcepto, defensione. *c.significasti eod.* & *c.*2.*de cler.pugn.in duell.* Item homicidiũ vel committitur voluntate, aut casu, aut necessitate. Si voluntate, vel fit facto, vel præcepto, vel consilio. *c.si quis viduam d.*50. vel lingua, & exhortatione. *c.quod in dubijs, de pœnis.* & in his casibus semper homicida est irregularis, nec debet promoueri, sed in perpetuum deponi, *vt hic*, & *c.si quis viduam*; etiam si interficiat paganum, & casus sit occultus, non potest ministrare. *c. vlt. de temp. ordin.* Si vero casu committitur, si aliquis dabat operam rei licitæ, & adhibuit diligentiam, quam potuit & debuit, in nullo imputatur, ac si non fuisset. *c. ex litteris eod. c.significasti, c.dilectus*, nisi esset graue scandalum, & tanta laboraret infamia, vt ei esset indicenda purgatio. *c.ex litteris eod.* Si vero non adhibuit diligentiam quam debuit

debuit, tunc imputatur ei, quia negligentia habetur culpa, ita vt non possit ordinari, vel vti ordine suscepto. *c. presbyt. c. ad audientiam, eod.* nisi Papa dispenset. *c. tua nos eod.* Si vero dabat operam rei illicitæ, siue adhibuit diligentiam, siue non, semper ei imputatur. *c. clerico. dis. 50. c. si quis voluntate. c. continebatur eod.* Si ex necessitate, idest defensionis, si erat euitabilis, imputatur, & ad superiores non promouetur; sed in susceptis toleratur. *c. de his. dist. 50.* si erat ineuitabilis, sine omni dispensatione potest in susceptis ministrare. *c. quia te d. 50.* sed an possit ascendere ad superiores, sunt opiniones.

2108 *Cap. VII.* Presbyterum.

PResbyter, qui intuitu disciplinæ percutit puerum, v.g. in capite, ita vt post paucos dies moriatur, si mortuus est ex ipsa percussione, vel incurrit infirmitatē, qua deinde moritur, deponitur ab officio sacerdotali, & perpetuo remouetur à ministerio altaris.

Glos. Qui in castigando etiam licite, si excedit limites disciplinæ, fit irregularis, licet sit innocens quo ad gratiam, idest non peccet, *c. si quis non iratus 15. q. 1.* Item qui causam dat, vt qui dat causam infirmitati, & ex infirmitate moritur, fit irregularis. *c. de cætero eod.* Item si post infirmitatem puer conualuit & postea recidiuauit, magister est irregularis, quia semper causa sufficit. *c. ad audientiam eod.* & *c. si quis semel, de pœn. d. 2.* saltem propter dubium.

2109 *Cap. VIII.* Continebatur.

CLericus qui ludit aliquo ludo sæcularium, vel cum seculari, si casu aliquis occiditur, non potest ordinari sine dispensatione Papæ, nec ministrare in diaconatu in aliquo tempore; potest tamen dispensari vt ministret in subdiaconatu.

Glos. Isto casu illicite ludebat, quia cum laico; vel non adhibuit diligentiam omnem, quia sciens naturam ludi, quod victor portabatur humeris, debebat à se auferre falcem, ne si quis ipsum ascenderet, feriretur, vt contigit. non sic in casu sequentis *c. lator.*

2110 *Cap. IX.* Lator.

HOmicidium pure casuale sine culpa non impedit quin aliquis ordinetur; vt si quis me proijcit in terram, & casu meus cultellus illum ferit, & moritur, ego non sum irregularis.

Glos. Quia ludus erat licitus, & cum clerico, & solum fuit passus, & nihil fecit, non sicut præcedenti cap.

Cap.

2111 *Cap. X.* Suſcepimus.

QVi ad defendendum ſua ligant latrones, & alter ligantium, ne deinde interimeretur, latrones occidit, ſimul peccant, & fiunt irregulares, quia pro conſeruandis rebus tranſitorijs non ſunt interficiendi homines, & fit contra manſuetudinem Eccleſiaſticam.

Gloſ. Loquitur de clericis, qui licet poſſint latrones capere, vt res ſuas recuperent. *c. 1. de depoſ. c. ſi res.* 14. *q. 6.* tamen defendendo ſua non debent armis reſiſtere; & non de laicis, qui poſſunt res ſuas & patriam armis tueri, & præuenire hoſtem. Item pœnitentiæ ſunt arbitrariæ: *c. tempora plenitudinis.* 27. *q.* 1.

2112 *Cap. XI.* De cætero.

QVi dat cauſam homicidio, non poteſt promoueri.

Gloſ. Si dat cauſam propinquam, ſecus de remota, *c. exhibita, eod.* vel etiam ſi remotam, ſed cum animo nocendi faciat, vel minori diligentia. *c. presbyterorum eod.*

2113 *Cap. XII.* Ad audientiam. *Clem. iij.*

CLericus corrigens ſuum famulum, & verberans cum cingulo quo cinctus erat, & caſu ex vagina egreſſus cultellus verberatum vulnerauit, & cum aliquandiu vixiſſet & conualuiſſet à vulnere, poſtea alia grauiori infirmitate vexatus mortuus eſt, ſi conſtat quod ex alia infirmitate ſit mortuus, quam ex vulnere, presbyter eſt liber, & poteſt celebrare; ſi eſt dubium an ex vulnere ſit mortuus, tunc presbyter non miniſtret in ſacris, & agat ſalutarem pœnitentiam; poteſt tamen concedi vt in minoribus ordinibus miniſtret, quia in dubio tutior ſententia eſt eligenda.

Gloſ. Si res dubia, non eſt ferenda certa ſententia. *c. graue,* 11. *quæſt.* 3.

2114 *Cap. XIII.* Dilectus. *Innoc. iij.*

QVando clericus licite, vel ob licitam cauſam equitat, & equus ſine culpa ſeſſoris fracto freno currit, & puerum interficit, non fit irregularis, & poteſt celebrare, quia non dedit operam rei illicitæ, neque actu, nec voluntate commiſit homicidium.

Gloſ. Qui dat operam rei licitæ, & caſu homicidium committitur ſine præcedente culpa, non fit irregularis; ſed ſi de leui credebat poſſe frangi frenum, eſſet iam in culpa. *c. ſignificaſti eod.* vel ſi propter ſuam imperitiam equus taliter laſciuiſſet. Item actus homicidij non ſufficit ad irregularitatem, niſi adſit voluntas, vel cul-

pa.

pa. *c. ex litteris eod. c. hi, qui d.* 50. nisi scandalum aliud induceret, tamen secus est in promouendo, quia tunc solo actu creditur irregularis. *c. vlt.* 15. *q.* 1.

2115 *Cap. XIV.* Ex litteris.

QVi dat operam rei licitæ, & adhibita diligentia aliquis interficitur, non est irregularis, nisi contra eum graue scandalum oriatur, vel tanta laboret infamia, vt sit ei indicenda purgatio canonica. v.g. presbyter deponens de curru fenum, eijcit perticam, facta prius diligenti circumspectione, si puer quis inueniatur mortuus, non est irregularis, nisi adsit scandalum, vel tanta infamia &c.

Glos. Scandalum reddit hominem irregularem, etiam si res aliter se habeat; & sic punitur innocens propter scandalum: *c. tua de cler. ægrot c. cum teneatur de præb.* Idem si tanta infamia; sed purgatur vtraque. *c. tua de cohabit. cler. cum mul.*

2116 *Cap. XV.* Ex litteris.

MOnachus inseruiens ad deponendam campanam de campanili, si ipso mouente lignum corruit, & occidit puerum, si agebat rem necessariam & vtilem in loco, per quem non credebat aliquem transire, vel vbi insistere, vel illuc de consuetudine venire, quando mouit lignum, non est irregularis; sed potest promoueri ad altiores ordines.

Glos. Idem *c tua. c. vlt. c. dilectus, c. ad audientiam eod.* imo si crederet aliquem transire, & clamauit, caue, caue, non est irregularis.

2117 *Cap. XVI.* Significasti.

CLericus equitans, cum equus se proiecisset in aquam, eum stimnlauit calcaribus, & præter intentionem mulierem interfecit, si non sciebat equum tale vitium habere, iniungatur ei ad cautelam pœnitentia competens, qua peracta potest ministrare in susceptis, & promoueri ad maiores.

Glos. Si sciuisset vitium equi, non fuisset sine culpa; & sic leuissima culpa facit hominem irregularem. *c. continebatur. eod.* Item quod ita sit casus potest constare, quando deest alia probatio per iuramentum: quia quando quæritur de conscientia alicuius, statur iuramento eius. *c. si vero de sent. excom. c. præsentium. de test. c. pastoralis de excomm.* præcipue si est bonæ famæ. Item ad cautelam dat pœnas, quando res est dubia. *c. excommunicatorum* 23. *q.* 5. & pœnitentia debet esse leuis, cùm non fuerit culpa.

Cap.

2118 *Cap. XVII.* Petrus.

QVando clericus prohibet fieri homicidium, nec dat causam homicidij, si v.g. consanguinei clerici occidunt v.g. Abbatem, qui spoliauit clericum beneficio, non est irregularis; & sic potest officium ministrare, & in presbyteratum ascendere. quod si esset infamatus, debet se purgare.

Glos. Quomodo prædicta veritas potest constare, in *c. significasti, præced.* idest per iuramenta, vel per testes, si qui fuerunt præsentes, quando prohibuit fieri homicidium, vel per ipsosmet quibus prohibuit. Item infamatus non potest promoueri, nisi se purget, *c. ex tua, de purg.* nisi graue scandalum esset. *c. ex litteris, eod.* An qui non prohibuit, sed non dedit consilium, sit irregularis? videtur nō. *c. quia præsulatus,* 1. *q.* 4. nec de voluntate debet quis se purgare. videtur sic in *c. quia præsulatus,* & *c. significasti.* nam imputatur ei, qui videtur consentire, dum audiens tacet, & non contradicit. Itē causa, vel occasio, quæ facit irregularem, non debet esse remota, & larga: v. g. quia propter clericum fuit occisus; sed debet esse propinqua. *c. ad audientiam,* & *c. de cætero, eod.*

Trid. sess. 14. Ref. 7. 2119 *Cap. XVIII.* Significasti.

QVando clericus percussit sacrilegum asportantem ab ecclesia Eucharistiam, & ornamenta, & alij seculares hoc videntes percusserunt eundem sacrilegum, & occiderunt, & ignoratur an percussio facta à clerico fuerit ad mortem; ita esset iudicandum: si potest constare, quod percussio facta a clerico non fuit lethalis, ex qua sola sine alijs non fuisset mortuus, vt si percussio apparet fuisse tam modica, & tam leuis, & in ea parte corporis, in qua iudicio peritorum non solet esse ad mortem; & si percussor non habuit voluntatem occidendi, neque ipsius studio, consilio, vel mandato, alij vulnerarunt, de quibus est ipsi credendum, quando non accusatus, neque denunciatus, sed sponte & ex se ipso petit consilium salutare; non est iudicandus irregularis: sed post pœnitentiam iniunctam ad cautelam ministret in officio, dummodo possit celebrare officium sacerdotale sine scandalo. Quod si res est dubia, & discerni non potest, à quo vulnere percussus interijt, in dubio sacerdos habebitur irregularis, & homicida; & licet in re non esset, tamen tutius est cessare à celebratione. Itē si sacerdos fuit prius percussus à sacrilego, & postea eum repercussit cū ligone in capite, est irregularis tum ratione instrumenti, quod cum graue sit, non solet leuem plagam inferre; tum ratione partis percussæ, idest capitis, quod modico ictu lethaliter lædi-

læditur. Item omnia iura & leges permittunt vim vi repellere; sed debet fieri cum moderatione inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad iniuriam propulsandam.

Glos. Voluntas imputatur in homicidio, licet ex vulnere non fuisset mortuus. *c. quia prælatus.* Item in iudicio animæ cuilibet est credendum, quia non est verisimile, quod quis sit immemor suæ salutis. *c. sancimus. 1. q. 7.* Item quando vnus vulnerat, & alter occidit, primus secundum leges non tenetur nisi de vulnerato; secundus de occiso; secus secundum canones. *c. vlt. 25. q. vlt.* Item licet vim vi repellere cum moderamine, *eod.* sed debet fieri in continenti, & non ex interuallo. *c. si cum, de sent excom.* & causa defensionis, & non vlciscendi. *c. quod culpatur 23. q. 1.* nec debet excedere modum defensionis ex proposito. *c. non inferenda 23. q. 3.* Et qui repercutit clericum se defendens, & excedit modum non ex proposito, non est excommunicatus. *c. perpendimus, de sent excom.* & si vis est facta personæ, est repellenda antequam inferatur, vel dum fit, vel post primam percussionem, si percussor vult iterum percutere; sed si nolebat iterum percutere, & percussus percussit, potius est vindicta quam repulsio. Item moderamen seruatur, si tantum fiat illud sine quo violentia repelli non posset, etiam si hominem interficias. Si autem vis infertur rebus, est licitum repellere vim in continenti, vel inferendam, vel illatam, quam citius sciuerit, & poterit collectis amicis. *c. olim. de rest. spoli.* sed iniuriam illatam iam personæ ex interuallo non licet repellere, quia esset vindicta.

2120 *Cap. XIX.* Tua nos.

Religiosus peritus chirurgus exercens chirurgicam cum omni diligentia, & causa pietatis, si ex ea mors sequitur fit irregularis, quia deliquit vsurpando alienum officium, quod ei non congruebat: sed post actam pœnitentiam potest cum eo dispensari, vt celebret. si secus, non cum diligentia, vel non causa pietatis, ei interdicatur executio ordinis. Item qui iudici seculari tradit insignia relicta à fure, à quo fuit vulneratus, vt cultrum, calceos, licet ille fur à iudice interficiatur, non fit irregularis, & potest ordinari.

Glos. Quare excusetur iste qui misit instrumenta relicta à fure iudici, vide ibi.

2121 *Cap. XX.* Sicut.

Qvi facit mulierem prægnantem abortiri, si conceptus erat animatus, fit irregularis; si non, secus.

2122 Cap. XXI. Postulasti.

SI clericus ciuiliter petit iustitiam simpliciter à iudice seculari contra laicum, & iudex illum punit pœna mortis, clericus non fit irregularis.

Glos. Quia est præter intentionem clerici. Item hodie est præmittenda protestatio, *c. eod in 6.*

2123 Cap. XXII. Exhibita. *Honorij.*

PVer ludens cum alio puero fugiente, si ad terrorem proijcit lapidem, nec tangit, sed fugiens incidit in alium lapidem, & vulneratur, qui deinde per imperitiam medici, & iniuriam patris moritur, si insequens veniam petat à patre defuncti, & pater affirmat & iurat illum nihil commisisse in morte sui filij, ille insequens potest ordinari, non enim est irregularis.

Glos. Licitum est pueris ludere.

2124 Cap. XXIII. Ioannes.

SAcerdos dum dat operam rei licitæ, vt pulsando campanam ad congregandum populum ad diuina, si casu fortuito, & fine sua culpa aliquis interficitur, v.g. cadẽdo tintinabulũ nõ fit irregularis.

2125 Cap. XXIV. Petitio.

CLericus, qui contra inimicos Christianorum, vt saracenos, pugnat cum alijs, & hinc inde multi interficiuntur, si dubitat aliquem interfecisse, v. g. ex eo quod aliquos percussit, in tali dubio abstineat vt irregularis.

Glos. Clerici in bello iusto possunt hortari milites contra hostes ad pugnam. *c. igitur hortatu 23. q. vlt.* tamen in propria persona non possunt pugnare. *c. quicumque ibid.* & *c. clerici*, & *ex multo, de voto.*

2126 Cap. XXV. Quidam.

PResbyter dum dat operam rei licitæ adhibita diligentia, quam debuit, si sequatur alicuius mors, non fit irregularis, nec quoad officium, nec quoad beneficium, quia non tenetur præuidere omnes casus fortuitos, vt in. *c. Ioannes.* satis est quod tempestiue, & alta voce præmonuerit circumstantes, quibus periculum imminebat, quod intelligere, & fugere poterant.

Glos. Casus fortuiti non imputantur alicui, nisi præcesserit culpa, mora, vel pactum. *c. vn. de commod. c. bona fides, de depos.*

IN SEXTO LIB. V.

DE HOMICIDIO, Tit. IV.

2127 *Cap.* Pro humani *Conc. Lugd.*

QVi per assassinos fecerit interficere aliquem Christianum, vel mandauerit, licet mors non sequatur, vel eos receperit, defenderit, vel occultauerit, incurrit ipso facto excommunicationem, & depositionem à dignitate, honore, ordine, officio, beneficio, ita vt possint conferri alijs ab eo, ad quē spectat collatio; & est etiam cum suis mundanis bonis perpetuo diffidatus à Christiano populo, ita vt quando constiterit probabilibus argumentis aliquem tale scelus commisisse, requiratur alia sententia excommunicationis, depositionis, vel diffidationis contra eum.

Glos. Iste textus est localis pro his qui euntes Romam interficiebant. Item loquitur de assassinis, qui sunt sub dominio alicuius Principis. Item si aliquis mandauit aliquem interfici per assassinos, & deinde antequam sequatur mors, reuocabit mandatum, an sit excommunicatus? Resp. affirmatiue, quia ex solo mandato quis est ligatus, vt in tex. Item bona diffidati possunt occupari, vt bona hostium in bello iusto. Item ab hac excommunicatione potest absoluere ordinarius, quia non est seruata Papæ.

2128 *Cap.* Prælatis.

PRælati & clerici de suis malefactoribus possunt deponere querelam coram iudice sæculari, & petere emendam sibi fieri, & prouidere ne contra eos de cætero talia fieri præsumant, etiam si in tali casu pœna sanguinis à iudice irrogari debeatur, licet deinde iudex mortem inferat secundum iura, dummodo expresse clerici protestentur, quod non intendant ad vindictam, vel pœnam sanguinis; non fiunt irregulares; alioquin si timore irregularitatis non auderent conqueri, daretur occasio alijs ipsos trucidandi, & ipsorum bona deprædandi.

Glos. Declarat *c. Maximilian. 23. q. 3.* & *c. vnum solum q. 5.* & *c. postulasti, eod.* Item si accusat clericum coram laico, dabit pœnas. *c. si diligenti de foro comp.* sed potest laicum coram ecclesiastico iudice. *c. cum sit de foro compet.* Item iniuriam passus tenetur relinquere rancorem, non emendā. *c. si quis contristatus d. 90* & *c. si is qui 23. q. 4.* Item protestatio debet esse expressa, nec sufficit tacita; & esset cautela facere publicā scripturā. *c. ex diligenti, de simonia.*

2129 Cap. Is qui.

QVi mandat aliquem verberari, licet expressè prohibeat, ne occidatur, vel mutiletur, si sequatur mors, vel mutilatio, fit irregularis, quia mandando fuit in culpa, & debuit cogitare hoc posse euenire, vt excedantur fines mandati.

Glos. Qui dat operam rei illicitæ, omnia quæ inde sequuntur, illi imputantur. Item pro irregularitate requiritur mutilatio membri, & non sufficit debilitatio talis, vt reddatur inutile. Item digitus non est mébrum, sed officium mébri, & sic eius amputatio non facit irregularem. Item non habet locũ in eo qui licite verberari mãdat.

CLEMENTIN. LIB. V.

DE HOMICIDIO VOLVNTARIO, vel casuali. Tit. IV.

2130 Cap. Si furiosus.

SI furiosus, vel infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, non fit irregularis; nec ille, qui mortem aliter vitare non valens occidit, vel mutilat suum inuasorem.

Glos. Honesta personæ cui est dedecus fugere, si ne fugiat resistendo interficit suum inuasorem, fit irregularis, licet nõ veniat puniendus in foro seculari. Similiter fit irregularis, si occidit inuasorem non suum, sed patris sui, filij, coniugis, vel personæ coniunctæ, quam aliter iuuare non poterat, quia non habetur necessitas ineuitabilis, licet secundum Innocent. non fiat excommunicatus, qui non peccat, sed irregularis, quia irregularitas incurritur sine peccato. Item puer minor septennio excusatur ab irregularitate.

DECRETALIVM LIB. V.

DE TORNEAMENTIS. Tit. XIII.

2131 Cap. Felicis. Concil. Later.

TOrneamenta ad ostentationem virium, & audaciæ, vnde mortes proueniunt, prohibentur. Et si quis in his moritur, careat sepultura Ecclesiastica; tamen petenti non est deneganda pœnitentia.

Glos.

Glos. Sed negatur sepultura, & conceditur pœnitentia, & etiam Eucharistia, si petat, quæ venit sub nomine pœnitentiæ. *c. quod in te est, de pœnit. & remiss.*

2132 *Cap.* Ad audientiam. *Alex. iij.*

QVi accessit ad locum torneamenti non animo pugnandi, sed alia causa, vt exigendi debita; si casu moriatur, est sepeliendus in loco sacro.

EXTRAVAG. IOAN. XXII.

DE TORNEAMENTIS. Tit. IX.

2133 *Cap.* Quia.

REuocat constitutionem Clementis V. & pœnas in ea positas contra exercentes torneamenta; & permittit torneamenta iustras, & hastiludia.

Glos. Sed hodie sunt omnino prohibita.

DECRETALIVM LIB. V.

DE CLERICIS PVGNANTIBVS in duello. Tit. XIV.

2134 *Cap. I.* Porro. *Alex. iij.*

CLericus si sponte alicui duellum obtulit, vel oblatum acceptauit, est deponendus: sed si non est sequuta mors, vel mutilatio, potest cum eo Episcopus dispensare.

Glos. Est prohibitum. *c. monomachiam, 2. q. 5.* vide Trid *sess. 25. ref. c. 19.* & tunc sunt excommunicati, etiam si non sequatur duellum; & solus Papa dispensat.

2135 *Cap. II.* Henricus. *Calest. iij.*

CLericus qui secundum consuetudinem patriæ in aliqua lite deficiente probatione introducit pugilem, qui in duello pugnet cum litigante, si aliquis interficiatur est irregularis: quia homicidium cōmittitur non solum facto, sed etiā præcepto, consilio, defensione: tamen poterit Episcopus cū eo dispensare circa beneficium.

Glos. Trid. *sess. 25. ref. 19.* quando dispenset.

DECRETALIVM LIB. V.

DE SAGITTARIIS. Tit. XV.

2136 *Cap.* Artem. *Innoc. iij.*

SVnt excommunicandi qui exercent mortiferam artem ballistariorum, & sagittariorum contra Christianos, & Catholicos.

Glos. In bello iniusto. Item quando iudex dicit, *Præcipio sub pœna*, vel *sub interminatione excommunicationis*, vel *sub excommunicatione*, est excommunicandus. Sed quando fertur excommunicatio sub conditione, vt *excommunico quicumque furtiue ad ordines accedit*, tunc est excommunicatus. *c. solemnitates. d. 63. & c. 1. de eo qui fur. ord. recep. c. 1. de locat. c. sicut, de simonia.*

DECRETALIVM LIB. V.

DE ADVLTERIIS, ET STVPRO. Tit. XVI.

2137 *Cap. I.* Si seduxerit.

QVi seducit virginem non desponsatam, & dormit cum ea, dotabit eam, & habebit eam in vxorem; & si pater virginis nolit eam dare, dotabit eam secundum morẽ regionis.

Glos. Hæc olim in Exodo, nunc aliter secundũ leges, de quo infra.

2138 *Cap. II.* Peruenit.

QVi decipit, & stuprat virginem, ducat eam in vxorem; & si eam renuit, corporaliter castigatus, & excommunicatus detrudatur in monasterium, in quo agat pœnitentiam, & à quo non egrediatur sine licentia.

Glos. Habeat in vxorem, si virgo, & pater voluerit. Item castigetur, idest relegetur; vel si est vilis persona, verberetur, & si per vim hoc fecerit, capite plectatur, vel secũdum quod visum fuerit iudici.

2139 *Cap. III.* Si vir. *Concil. Arelaten.*

MAritus sciens suam vxorem deliquisse, nec egisse pœnitentiam, idest pœnituisse, cùm adhuc in fornicatione permaneat, si vixe-

vixerit cum illa erit reus, & particeps delicti. Si vero mulier dimissa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum reuerti, debet, sed non sæpe, recipere peccatricem.

Glos. Vir cælans, & non denuncians adulteram ad pœnitentiam peccat mortaliter, *c. si peccauerit* 2. *q.* 1. & *c quemadmodū de iureiur.* quia est patronus turpitudinis, & committit crimen lenocinij. Item post pœnitentiam debet eam recipere debito honestatis, & non necessitatis, quia adhuc posset eam accusare de adulterio.

2140 *Cap. IV.* Maritis. *Concil. Paris.*

MAritus ex suspicione potest accusare vxorem de adulterio, & in accusando præfertur alijs; sic & in defendendo.

Glos. Ex suspicione violenta, & non ex temeraria.

2141 *Cap. V.* Significasti. *Alex. iij.*

SI mulier publice fateatur se intra Ecclesiam peccasse cum sacerdote, est imponenda mulieri condigna pœnitentia; & ecclesia est reconcilianda aspersione aquæ benedictæ. Si sacerdos negat crimen, indicatur ei canonica ad arbitrium purgatio coram quinque presbyteris; & si se purgare potest, permittatur ministrare in officio suo; si non potest, suspendatur ab officio suo; & hoc fiat, etiam si presbyter, qui nunc negat, iam confessus fuerit coram alio sacerdote, qui hoc affirmat.

Glos. Confessio vnius super eodem crimine alteri non nocet, sed tantum indicitur ei purgatio, si sit infamatus. Item ad dictum vnius, si alter negat, ecclesia est purganda. Item dicta paucorum non infamant, sed prædicto indicitur purgatio, non propter confessionem mulieris, sed quia prius erat infamatus. *c. inquisitionis de accusat.*

2142 *Cap. VI.* Intelleximus. *Innoc. iij.*

SI coniux separata à viro petat sibi restitui virum, vir est cogendus accipere mulierem: sed si constet per euidentiam rei, vel legitimam confessionem mulieris sponte fuisse adulteratam, non est cogendus vir illam assumere, nisi per legitimos testes, qui non possint à viro reprobari: constet virum etiam fuisse adulteratum, tunc enim vir cogetur accipere vxorem affectu maritali, quia cum ius matrimonij in vtroque læsum sit, paria delicta tolluntur mutua compensatione.

Glos. Licet mulier sponte recedat de domo viri sui, si volens redire non fuerit admissa, intelligitur spoliata, & sic audienda. Item vir non potest obijcere adulterium vxori, si ipse est adulteratus, si

eam tradidit adulterandam. *c.dispensare de eo qui cog.conf. uxor.* Si violenter fuerit oppressa, vel fraudulenter, putans nimirum adulterum esse suum virum; si credens suum virum absentem esse mortuum, & alteri nupsit; si post adulterium reconciliauerit eam sibi maritus, &c.

2143 *Cap. VII.* Tua fraternitas.

QVi coniugi in adulterio deprehensæ denegabat debitum coniugale, si deinde ipse manifeste adulteretur cum alia, debet coniugem affectu maritali tractare, quia paria crimina delentur mutua compensatione.

Glos. Si alter coniugum publice fornicatur, reliquus potest ei debitum negare; & si alter publice fornicatur, primus recuperat potestatem suam: & sic solo facto adulter perdit ius petendi debitum; & si reddit, sibi præiudicat, nec eam accusare potest; secus si ad mandatum Ecclesiæ reddit. An vero possit eam expellere domo, res est dubia; verius quod sic. Item si adulterium est secretum, non priuatur quis iure petēdi debitum, nisi per sententiam iudicis Item si alter adulteratur, non requiritur sentētia iudicis pro cōpensatione.

DECRETALIVM LIB. V.

DE RAPTORIBVS, INCENDIARIIS, & violatoribus ecclesiarum. Tit. XVII.

2144 *Cap. I.* De illis. *Concil. Meldens.*

QVi deprædantur, vel rapiunt in aliena diœcesi, sunt excommunicandi à prælatis illius loci; nec exeant à parochia, donec plene satisfaciant; & excommunicatio est significanda proprio Episcopo, ne eos recipiat, donec restituant in loco furti.

Glos. Ratione delicti sunt de foro illius loci vbi deliquerunt, & illuc mittendi à proprio iudice. *c. postulasti. c. vlt. de foro compet.* tamen si crimen est facile, potest à proprio iudice condemnari.

2145 *Cap. II.* Super eo.

HIs qui violenter rapiunt, vel ei, qui deprehenditur manifeste violare ecclesiam, non est danda pœnitentia nisi prius restituat si potest; & si non potest, nisi det firmam, & plenam securitatem emendandi, tunc enim potest dari pœnitentia; & si moriatur, sepultu-

pultura; secus non. Quod si presbyteri, vel clerici tentauerint prædictis siue in vita, siue in morte dare pœnitentiam, vel interesse sepulturæ, vel acceptare eorum eleemosynas, vel esse participes de rapinis, deponuntur ab ordine & beneficio; de peccato autem contrito non est denegandum viaticum.

Glos. Qui petit pœnitentiam pro aliquibus peccatis, & non pro omnibus, non est illi deneganda, quamuis non valeat ad vitam æternam, saltem valebit ad minus supplicium subeundum. *c. falsas de pœn. dist. 5. c. quod quidem de pœnit. & remiss.*

2146 *Cap. III.* Excommunicationi. *Concil. Later.*

QVi præsumunt capere, vel spoliare rebus Christianos nauigantes, & qui naufragos spoliant bonis, nisi ablata restituant sunt excommunicati.

Glos. Postquam fuerint moniti, vel postquam fuerint in mora.

2147 *Cap. IV.* In Archiepiscopatu. *Alex. iij.*

EPiscopi, quando eis delegatur à Principe, possunt de criminibus iudicare, & punire in pecunia, vel fustibus, excepta tamen vindicta sanguinis: sed quando crimen meretur mortem, vel mutilationem, remittatur ad Principem.

Glos. Hodie omnia possunt iudici Ecclesiastico committi præter mortem, & mutilationem. Item etiam si Episcopus habeat temporalem potestatem pœnam mortis, & mutilationis, alteri demandare debet.

2148 *Cap. V.* In litteris.

INcendiarius Ecclesiæ si pœniteat in morte, potest absolui, & in loco sacro sepeliri; & hæredes debent reficere damna de bonis relictis.

Glos. Incendiarij, & ecclesiarum fractores sunt ipso iure excommunicati. *c conquesti, de sent excom.* & si ab ecclesia sunt publicati, non possunt ab alio absolui. *c. tua nos, de sent. excomm.*

2149 *Cap. VI.* Cum causam. *Lucius iij.*

NOn est raptus, quando mulier consentit, & si fiat matrimonium, tenet; & si consummetur, non potest ingredi Religionem, vel continentiam profiteri sine consensu viri: & potest probari matrimonium fuisse, vel exprobationibus viri, vel ex confessione mulieris.

Glos. Ad dissolutionem coniugij spiritualis in fauorem matrimonij

monij carnalis creditur confeſsioni coniugum, quia nemo putatur immemor ſuæ ſalutis; ſecus ad diſſolutionem matrimonij carnalis. *c.ſuper eo, qui cogn. conſ. vxor.* ſed ſi confiterentur non ad diſſolutionem matrimonij carnalis, ſed mutuæ ſeruitutis propter adulterium, crederetur eis, *c.ex litteris, de diuor.* & *c.penult. ſup.tit.prox.*

2150 *Cap. VII.* Accedens. *Innoc.iij.*

Trid. ſeſſ. 24. Ref. 6.

RApta cum raptore poteſt contrahere, ſi ambo conſentiant, licet prius diſſenſerint, dummodo ſint legitimæ perſonæ.

DECRETALIVM LIB. V.

DE FVRTIS. Tit. XVIII.

2151 *Cap. I.* Qui furatur.

QVi furatur hominem, & vendiderit, conuictus morte moriatur.

Gloſ. Liberum, ſcilicet non ſeruum.

2152 *Cap. II.* Fures.

FVres & latrones, qui in peccato occiduntur, nō eſt pro his orandum. ſed ſi vulnerati confitentur ſuo presbytero, vel diacono, eis non denegatur Communio.

Gloſ. Et etiam ſepultura, quia iam confeſſi ſunt, in neceſſitate etiam laico. *c.ſanctum eſt, de conſ.d.* 4. Idem pro decedentibus notorie in peccato mortali non eſt orandum.

2153 *Cap. III.* Si quis.

QVi propter neceſſitatem, v.g. famis, vel nuditatis furatur, non eſt ei grauis pœnitentia imponenda, ſed reſtituat.

Gloſ. Intelligitur de modica neceſſitate, quia ſi eſſet magna, omnia eſſent communia, *c.*1.*d.*42.

2154 *Cap. IV.* Qui cum fure.

NOn ſolum fur, ſed furti conſcius, qui quærenti poſſeſſori furem non indicat, reus eſt furti.

Gloſ. Si participat de furto, vel occultat furem, tenetur reſtituere. Item presbyter tenetur indicare furem.

Cap.

2155 *Cap. V.* Ex litteris. *Alex. iij.*

FVr occultus, ideſt de quo non eſt nota, vel infamia manifeſta, facta ſatisfactione, & ſaltem aliqua parte pœnitentiæ, poteſt ordinari, ſi aliud non obſtat.

Gloſ. Cap. vlt. de temp. ord.

EXTRAV. COMM. LIB. V.

DE FVRTIS.

2156 *Cap.* Infidelis. *Ioann. xxij.*

EXcommunicat aliquos fures, qui furati ſunt bona Eccleſiæ Peruſinæ, & tranſtulerunt in Lucanam vrbem; & hic habetur praxis monendi malefactores, vt intra certum tempus ſatisfaciant, aliter excommunicentur; & modus publicandi excommunicationem.

DECRETALIVM LIB. V.

DE VSVRIS. Tit. IX.

2157 *Cap. I.* Plures. *Alex. iij.*

QVi data pecunia poſſeſſiones in pignus accipit, debet fructus pignoris deductis expenſis in ſortem principalem computare: qua expleta reddendum eſt pignus libere. & ſi non eſt expleta, ſi ſoluatur id quod reſtat, reſtituat pignus; alioquin eſt vſura. Item clericus qui eſt vſurarius, eſt deponendus ab officio Eccleſiaſtico. Item ſi laicus aliquis habet iuſtè poſſeſſionem Eccleſiæ, quæ in beneficium clerico fuit data, poteſt clericus illam in pignus recipere, & non computare fructus, ſed pro ſe retinere, & non eſt vſura, quia ſuum recipit, vel ſaltim hoc modo redit res ad Eccleſiam.

Gloſ. Idem ſi eſſet feudum eccleſiæ, & aliter recuperari non poſſet. *c. conqueſtus, eod.* ſed interim eccleſia non accipiat ſeruitia à laico vaſallo. *c. 1. de feud.* ſimiliter laicus poteſt ſibi redimere ſuam poſſeſſionem de manu iniuſti detemptoris; non poſſet tamen redimere eodem modo poſſeſſionem non ſuam, quia cum fructus non ſunt ſui, eſſet vſura; ſic nec clericus poſſeſſionem quæ non fuit ſibi aſſignata in beneficium, niſi de licentia eccleſiæ, cuius nomine fructus

ctus perciperet. Item in primo casu expensæ, quæ sunt deducendæ, debent esse necessariæ; & sic posset rem detinere donec deducat expensas.

2158 Cap. II. Quoniam.

DIcit idem quod in *c. plures*, & loquitur tam de clericis, quam de secularibus; & addit quod sunt compellendi ad restituendum pignora districtione ecclesiastica, quando deductis expensis receperunt ex fructibus sortem principalem.

2159 Cap. III. Quia in omnibus.

VSurarij manifesti non admittantur ad communionem altaris: & si sic moriuntur, nec ad sepulturam, nec eorum oblationes recipiantur; & clerici, qui ab ipsis accipiunt, vel eos sepeliunt, restituant accepta, & sunt suspensi donec satisfaciant ad arbitrium Episcopi.

Glos. Non datur sepultura alicui, quando constat mortuum in mortali. *c. monachi, de statu reg.* Item restitutio est facienda danti.

2160 Cap. IV. Super eo.

NOn potest quis accipere vsuram, idest inuolui crimine vsurarum, vt redimat vitam captiuorum, quia vsura in vtroque testamento prohibetur; nec in ea potest dari dispensatio. & si est prohibitum mentiri, etiam pro soluenda vita alterius, multo magis vsuram accipere.

2161 Cap. V. Cum tu.

VSurarij sunt cogendi pœna, vt restituant ijs, à quibus acceperunt, vel eorum hæredibus; qui si non supersint pauperibus, & si non habent vnde restituant, non debent affici pęna, excusantur enim paupertate; si habent prædia empta ex vsuris, vendant illa, & restituant.

Glos. De pœnis vide *c. præterea eod.* Item constitutio contra vsurarios extenditur tam ad illos, qui post illam, quam ad illos qui ante illam peccauerunt. Item quando constitutio retrotrahitur, vide *c. vlt. de const.* Item vsurarius tenetur mittere vsuras domino absenti, sed expensis domini; & si sumptus itineris rei summam excedit, vel si ignorat vbi sit dominus, non tenetur vagari, sed det pauperibus. Item vsurarius semper tenetur restituere, nec habetur ratio ne egeat; & si nihil habeat, tenetur quando veniet ad pinguiorem fortunam. Item res empta pecunia vsuraria semper est restituenda,

quia

quia succedit pecuniæ, si causa lucratiua peruenit ad alios, secus si alia causa ex bona fide.

2162 *Cap. VI.* In ciuitate.

QVi vendit merces, quæ tempore venditionis non valent nisi quinque, sed quia vendit ad tempus spectata pecunia, vendit sex, licet in foro exteriori forma contractus non iudicabitur vsuraria, quia non excedit dimidium iusti pretij: tamen vendens peccat contra iustitiam, nisi dubium sit merces tempore solutionis valituras sex, plus minusue; & tutius esset à tali contractu cessare, quia Deus intuetur cor.

Glos. In iure ciuili licet contrahentibus se decipere infra dimidium pretij. *c. cum dilecti, de empt. & vend.* Sed non in lege Diuina, dubium tamen excusat à peccato vsurararum. *c. vlt. eod.* idest dubium, quod plus minusuè valebit tempore solutionis.

2163 *Cap. VII.* Præterea.

EPiscopus suum parochianum vsurarium si admonitus non desistit, si est clericus, suspendat ab officio, & beneficio: si laicus, excommunicet donec satisfaciat.

Glos. Vsurarius clericus repellsetur ab obtento. *c. si quis oblitus,* & *c. quoniam multi* 14. *q.* 4. & ab obtinendo. *c. inter dilectos, de excess. prælat.* Sed Episcopus potest post satisfactionem cum talibus dispensare, quia non prohibetur.

2164 *Cap. VIII.* Conquestus.

FRuctus pignoris computantur in sortem, qua expleta redditur pignus, nisi pignus sit terra de feudo monasterij.

Glos. In casu feudi non debet recipere seruitium à vassallo, *de feudis. c.* 1. & *c.* 1. *eod.* Item sunt alij casus, quibus accipitur vt interesse, & non vsura, vt *infra c. salubriter.* sic si vendo tibi prædium cum hac conditione, vt quoties restituero pretium reddas mihi prædium, tunc vltra pretium possum recipere fructus, nisi pretium esset paruum; ac proinde præsumeretur contractus factus in fraudem vsurarum; sic pecunia potest dari ad pompam cum lucro; sic si quod detur in pœnam sine fraude vsurarum, & sunt hæc interesse. Verùm hæc dubia sunt, & non videntur omnia esse tuta in cōscientia.

2165 *Cap. IX.* Tua nos.

FIlij, & extranei hæredes vsurariorũ ijsdem pœnis sunt cogendi ad restituẽdas vsuras, quibus cogerẽtur defuncti vsurarij, si viuerẽt.

Glos.

Glos. Pro quanto valet hæreditas. Item è conuerso filius defuncti potest repetere vsuras extortas à patre. *c. Michael, eod.*

2166 *Cap. X.* Consuluit. *Vrban. iij.*

VSurarius mentalis, idest, qui sine conuentione, sed eo animo mutuat, vt aliquid plus vltra sortem accipiat, & secus non mutuaret, in conscientia tenetur restituere. Item qui mutuat, & non concedit parabolam iuramenti, donec, quamuis sine exactione aliquod commodum assequatur, peccat, & restituat. Item qui propter dilationem solutionis plus accipit restituat.

Glos. Intelligitur causa mutui, & spe lucri principaliter, quia secundario liceret; imo debitor naturaliter est ei obligatus, ad antidora.

2167 *Cap. XI.* Quam perniciosum.

QVando manifestus vsurarius conuenitur de vsuris, si appellat ad subterfugiendum solutionem, non admittitur appellatio, maxime si vsuris publice renunciauit.

Glos. Idem de quocumque, qui in aliquo crimine existens manifeste vult se tueri, in eo crimine appellando. *c. cum sit Romana, de appellat.* & hoc quando non exprimitur iusta causa appellandi, quia si iniuste grauaretur, & iusta causa appellauerit, esset admittenda appellatio. *c. cum inter, de except.*

2168 *Cap. XII.* Post miserabilem.

PRincipes seculares cogant Iudæos remittere vsuras Christianis, & Christi fideles sub pœna excommunicationis abstineant à commertijs, & omnimoda communicatione cum Iudæis, donec remittant prædictas vsuras.

Glos. Iudæi coercentur ab ecclesia non directe, sed indirecte, licet foris sint, & si offendunt hominem, etiam directe, non si offendunt solum Deum.

2169 *Cap. XIII.* Tuas dudum.

NOn obstante iuramento quod exigunt vsurarij ab his, quibus vsuras exigunt, iudex debet compellere restituere vsuras, vel non exigere per censuras Ecclesiasticas remota appellatione.

Glos. Cogat relaxato prius iuramento. *c. ex administratione, de iureiur.* & hanc relaxationem potest petere qui iurauit, quia huic petitioni non renunciauit. *c. cum inter, de renunc. c. ad audientiam, quod metus causa.* & si iurauit etiam non petere absolutionem, tamen

men poteſt vſurarium denunciare. *c. quemadmodum, de iureiur.* licet ob priuatum commodum denunciet.

2170 *Cap. XIV.* Quia fruſtra.

SI vſurarius impetret litteras vt ſibi reſtituantur vſuræ, quas ab eo alius extorſit, non audiatur, ſi prius ipſe non reſtituat eas, quas ab alijs accepit; quia qui peccat in legem, fruſtra inuocat legis auxilium.

Gloſ. Intelligitur quando contra eandem legem numero peccauit, ſecus ſi contra aliam. Item vt audiatur vſurarius non ſufficit dare cautionem de reſtituendo, cum poſſit reſtituere, ſecus ſi non poteſt, vel pars remittit: ſi nulla pars apparet, det pauperibus. Si vſurarius ſit ſecretus, & à reo excipitur, recepta probatione nõ auditur.

2171 *Cap. XV.* Cum in diœceſis.

COntra vſurarios manifeſtos aliis argumentis, ſi nullus accuſator apparet, poteſt ordinarius procedere cum pœnis. *c. quia in omnibus eod.*

2172 *Cap. XVI.* Salubriter.

QVando ſocer dat genero in pignus poſſeſſionem pro dote numerata obligata, gener non tenetur computare fructus pignoris in ſortem principalem, cùm frequenter dotes fructus non ſufficiant ad ſupportanda onera matrimonij.

Gloſ. Alios caſus, in quibus fructus non computantur in ſortem principalem, habes *c. conqueſtus, eod.* Item licet fructus prædij dotalis, pecudum dotalium, fundi, cretifodini, vel argentifodini ſpectent ad maritum. *l. diuortio. §. ſi fundum. ff. ſoluto matr.* non tamen fætus ancillarum dotalium, nec fructus ex lapifodinis dotalibus percepti, quia lapis non renaſcitur nec in arboribus non cædendis. Item licet emolumentum rei dotalis ſit mariti, non tamen erit eiuſdem periculum, vel euictionis, vel deteriorationis; dummodo res non conſiſtat in pondere, numero, & menſura, quia harum periculum ſpectat ad maritum.

2173 *Cap. XVII.* Michaël.

QVi repetit ſibi reſtitui vſuras à ſe, vel ſuo patre extortas, non auditur ſi ipſe non reſtituit vſuras, quas ipſe vel ſuus pater fecit, & ipſe eſt hæres.

Gloſ. Si non eſt hæres non tenetur. *c. tua nos, eod.*

Cap.

2174 *Cap. XVIII.* Quanto.

SI Iudæi graues, & immoderatas vsuras extorſerint à Chriſtianis, ſubtrahatur eis participium Chriſtianorum, donec de immoderato grauamine ſatisfecerint competenter; & ſi opus fuerit, compellantur Chriſtiani cenſuris eccleſiaſticis poſtpoſita appellatione abſtinere ab eorum commercijs. Iiſdem pœnis compellantur Iudæi ſatisfacere pro decimis, & oblationibus debitis, quas ſoluebant domus, & poſſeſſiones eorum, quæ prius erunt Chriſtianorum.

Gloſ. Hodie non poſſunt habere bona immobilia per extrauag. Pauli III. & Pij. V. Item Iudæi puniuntur indirectè. Item dum prohibentur graues vſuræ, non conceduntur moderatæ à contrario ſenſu: graues enim vſuræ dicuntur, quæ excedunt legitimum modum à lege ſtatutum. *l. eos. C. de vſuris.*

2175 *Cap. XIX.* Nauiganti. *Greg. ix.*

QVi mutuat, v.g. nauiganti, & eunti ad nundinas pecunias, & ſuſcipit in ſe periculum pecuniarum, ſi ex hoc accipit aliquid vltra ſortē, eſt vſurarius. Item qui dat v.g. decem aureos, vt in alio tempore v.g. meſſis reddantur totidē menſuræ grani, vel olei, vel vini, licet quando dantur pecuniæ, plus valeant mēſuræ; tamē ſi dubitatur veriſimiliter, an tēpore ſolutionis ſint valituræ plus vel minus, nō eſt iudicandus vſurarius. Item qui pannum, granū, vinum, vel alias merces vendit, vt in certo tempore plus accipiat, quā tempore contractus valeant, ſi eas tempore contractus non erat venditurus, & dubitatur an tempore ſolutionis plus, vel minus ſint valituræ, non eſt vſurarius propter idem dubium, vt in ſecundo caſu.

Gloſ. Si certum eſt quod tempore ſolutionis plus ſint valituræ illæ merces, quam tempore contractus valeant, eſt vſura. Dubium verum enim ſolum illos excuſat; ex dilatione enim ſolutionis, tam emptor quam venditor expectat commodum, & exponunt ſe periculo: plus enim, vel minus tales merces poſſunt valere tali tempore, ſed tutius videtur à talibus contractibus abſtinere, &c.

IN SEXTO LIBER V.

DE VSVRIS. Tit. V.

2176 *Cap.* Vſurarum. *Greg. x.*

PRæcipit obſeruari *c. quia in omnibus, eod.* & nulla vniuerſitas, vel ſingularis perſona permittat alienigenas vſurarios exercentes,

tes, vel exercere volentes ducere in terris suis domos ad hoc, vel conductas habere, vel alias habitare; & huiusmodi vsurarios manifestos intra tres menses expellant de terris suis, nec alios admittant; & nemo illis domos locet, vel sub alio titulo concedat ad fænus exercendum. Qui contrafecerit. si sunt Ecclesiastici, etiam Patriarchæ, Archiepiscopi, suspensionis; si minores personæ singulares, excommunicationis; si collegium, vel vniuersitas, interdicti sententiam ipso facto incurrant: & si per mensem sunt obstinati, ipsorum terræ sunt interdictæ, dum ibi habitant vsurarij; si fuerint laici, compellantur per censuram Ecclesiasticam ab ordinario ab huiusmodi excessu, cessante omni priuilegio.

Glos. Qui non seruat cap. hoc, & *c. quia in omnibus*, vt qui recipit ad communionem, etiam ad officia Diuina publicos vsurarios, peccat mortaliter. Item, quæ differentia sit inter ciuem, municipem, accolam, aduenam, & incolam, vide *l. 3. ff. ad municip. l. ciues, C. de inco. lib.* 10. *&c.* Item oriundus de Ciuitate dicitur, qui ibi ortus est, vel cuius pater inde originem duxit; non sic in auo.

2177 *Cap.* Quanquam.

MAnifestis vsurarijs morientibus, si testentur, vt restituantur vsuræ acceptæ, siue explicent quantitatem, siue non, non non datur sepultura Ecclesiastica, donec fuerit satisfactum, prout patiuntur facultates eorum, vel nisi dent cautionem de restitutione facienda ipsismet dominis, vel alijs, qui dominis possunt eam acquirere; vel his absentibus, ordinario, vel eius vices gerenti, vel parocho suæ parochiæ coram aliquibus fide dignis: & sic per hos acquiritur actio dominis, vel notario publico, de mandato ordinarij. & si quantitas est certa, est exprimenda; si minus arbitraria, cum obligatione restituendi residuum. Item qui contra prædictum modum sepelit in ecclesia præsumendo prædictos, incurrit pœnas. *c. quia in omnibus eod.* idest suspensionis & excommunicationis *cap. eos qui de sepultur.* Item publici vsurarij non possunt testari, & factũ testamentum non valet; & nullus intersit eorum testamentis, nisi satisfaciant, vel dant cautionem, vt supra, & nullus admittat eos ad confessionem, vel absoluat nisi cum cautione prædicta, vel satisfaciant.

Glos. Vsurarius dicitur manifestus in foro animæ, si publice coram testibus, & sacerdote, qui est iudex ipsius, fatetur se vsurarium. Item an quando facultates vsurarij non sufficiunt, hæres debeat satisfacere primo venientibus, vel pro rata? Resp. antiquioribus. Item licet ad hæredem nihil peruenerit vsurarum, tenetur

tamen illas restituere, in quantum se extendunt vires hæreditatis: *c.vlt.sup.de sepult.* dummodo adiuerit hæreditatem cum beneficio inuentarij: alioquin enim saltē in foro animæ tenebitur ad soluendas vsuras, etiam vltra vires hæreditatis. Item per idoneam cautionem præstandam ab vsurario antequam absoluatur, &c. intellige pignora, vel fideiussores: & si hoc noc possit præstare, iuret se fideiussores, & pignora dare non posse, & se satisfacturum. *c.vlt sup.de sent. excomm.* Item vsurarius non solum non potest condere testamentum, sed neque etiam codicillum, nisi prius satisfaciat vel det idoneam cautionem, &c. Vide.

CLEMENTIN. LIB. V.
DE VSVRIS. Tit. V.

2178 *Cap.* Ex graui.

OFficiales Communitatum, qui faciunt, scribunt, dictant statuta, vt vsuræ soluantur, vel solutæ non restituantur, cum repetuntur, vel si ita iudicant, & hæc cum præsumptione, sunt excommunicati. Similiter si dicta statuta intra tres menses non delent à libris Communitatum si possunt, vel si prædicta statuta, vel consuetudines obseruare præsumpserint. Item fæneratores quando agitur de causa vsuraria, cogentur censura Ecclesiastica producere suos libros rationum. Item qui pertinaciter affirmare præsumit, exercere vsuram non esse peccatum, est hæreticus; & si sunt diffamati, vel suspecti de huiusmodi errore, ordinarij, & inquisitores procedant contra eos, tanquam contra diffamatos, & suspectos de hæresi.

Glos. Multa de statutis circa vsuras, vide.

DECRETALIVM LIB. V.
DE CRIMINE FALSI. Tit. XX.

2179 *Cap. I.* Falsidicus.

TEstis falsus tribus personis est obnoxius: Deo, Iudici, Innocenti. Item falsus testis est, qui mendacium dicit, & qui veritatem occultat, quia ille vult nocere, hic non vult prodesse.

Glos. Testi falso, quia tres offendit, triplex pœna datur: quia Deum offendit, septem anni pœnitentiæ. *c.quicumque 6.q.1.* Quia iudi-

iudicem delusit, infamabitur. *c. quisquis conuictus* 12 *q*. 5. & verberibus castigabitur. *c. illi qui*. 5. *q* 5 vel extraordinariè punietur. Quia denique proximum læsit, iuxta modum læsionis punietur. *c. nihilominus*. 3. *q*. 9.

2180 *Cap. II.* Super eo. *Lucius iij.*

SEntentia lata autholitate litterarum falsarum non est mandanda executioni. Item quando ordinarius videt rescriptum Papæ esse redarguendum falsitatis, non debet ei adhibere fidem, nec obseruare quod per illud mandatur, sed retineat diligenter eum, qui rescriptum præsentauit.

2181 *Cap. III.* Ad audientiam. *Vrban. iij.*

CLericus falsans sigillum Principis, non punitur pœna sanguinis, sed degradatur, & imprimitur in eo character, seu signum, vt ab alijs discernatur, & in exilium extra prouinciam mittitur.

Glos. Falsans litteras Apostolicas post degradationem statim traditur Curiæ seculari puniendus. *c. ad falsariorum eod.* non sic qui Regis. Item character non ita profunde debet infligi, vt sanguinem eliciat, sed in superficie cutis, nec à iudice Ecclesiastico. *c. sententiam ne cler. vel mon.*

2182 *Cap. IV.* Dura. *Innoc. iij.*

EXistens in Curia non accipiat litteras Apostolicas, nisi de manu Papæ, vel eius officialium ad id deputatorum: & si persona est tantæ authoritatis, vt ita deceat, mittat nuncium ad Cancellarium Papæ, vel ad Papam, qui modo prædicto accipiat illos. Qui contrafecerit, si est laicus, est excommunicandus; si est clericus, est suspendendus ab officio, & beneficio, & ab ordinario, à quo mox non potest absolui. Item, qui habens litteras falsas Apostolicas, eas intra viginti dies non resignet, vel destruat, est excommunicatus, à qua solus Papa absoluit.

Glos. Primus casus hodie non seruatur, quia in Curia quilibet per nuncium accipit litteras, & Papa scit, & tolerat, nisi sit excommunicatus, vel nisi litteræ ita essent recipiendæ de manu Papæ, vel bullatoris tantum, vt alioquin essent falsæ. *c. licet, prox.* Item incurrit aliam excommunicationem, *c. falsariorum, eod.* Item si falsitas fuit latens, & ipse fecit diligentiã, ipse excusatur, secus nõ. Item Papa quando aliquid sibi reseruat, intelligitur alijs denegare illud; & quando non seruat absolutionem, alijs concedit, *c. nuper de sent. excom.*

2183 Cap. V. Licet.

PApa declarat nouem modos cognoscendi falsitatem in suis litteris. Primus, vt falsa bulla, falsis litteris apponatur. Secundus, vt filum de vera bulla extrahatur ex toto, & per aliud filum immissum falsis litteris inseratur. Tertius, vt filum ab ea parte in qua carta plicatur, incisum cum vera bulla falsis litteris immittatur, sub eadem plicatura cum filo similis canapis restauratum. Quartus, cùm à superiori parte bullæ altera pars fili sub plumbo rescinditur, & per idem filum litteris falsis incerta reducitur infra plumbum. Quintus, cùm litteris bullatis, & redditis in eis aliquid per rasuram tenuem immutatur. Sextus, cùm carta artificijs dealbatur, & iterum inscribitur. Septimus, cum cartæ abolitæ, & abrasæ alia subtilissima carta conglutinatur. Octauus, cum non recipiunt litteras de manu Papæ, vel bullatoris. Nonus, qui falsas litteras sub bulla vera proijciunt. Sed in his duobus falsitas difficile cognoscitur, nisi vel ex modo dictaminis, vel ex forma scripturæ, vel ex qualitate cartæ; in alijs verò facilius, vt in adiunctione filorum, vel in collatione bullæ, vel motione, vel obtusione, præsertim si bulla non sit æqualis, sed alibi magis tumida, alibi magis depressa.

Glos. Præter hos nouem modos sunt alij septem modi falsitatis: Primò, ex dicto, vel tacito litteræ sunt falsæ. *c. super litteris de rescript.* & tunc non punitur. Secundo carta est falsa, quando dicitur in ea, *Omnes canonici fuerunt*, in ea tamen non erant omnes. *cap. quando, de his quæ fiunt à præl. sine conf. cap.* Tertio, si carta appareat rasa vel mutata in loco suspecto. *c. olim de priuil. c. inter dilectos, de fid. instr.* Quartò, rescriptum præsumitur falsum, licet non sit, si habet in se vitium latinitatis. *c. ad audientiam de rescrip.* Quintò, si instrumentum suspectum inducitur, producens detinetur falsarius. *c. iubemus de probat.* Sexto, si Episcopus appellatur filius, vel si Papa vni loquitur in plurali. *c. 6. eod.* Septimo, si rescriptum est impetratum sine mandato, dicitur falsum. *cap. nonnulli de rescript.* Item si litteræ Apostolicæ sint clausæ, in quocunque loco sit rasura non nocet, quia non est præsumptio contra impetrantem. Item optimus modus ad cognoscendum an aliquæ chartæ sint rasæ, etiam si subtilissime, est ponere illas inter oculos & solem, statim enim cognoscetur rasura. Item modi principales falsificandi litteras continentur his versibus.

Forma, stylus, filum, memba, littera, sigillum:
Hæc sex falsata dant scripta valere pusillum.

Cap.

2184 Cap. VI. Quam graui.

Litteræ Apostolicæ, in quibus Papa vocat Episcopum, *dilectum filium*, & non fratrem, vel cum loquitur vni, ponit in plurali *vestras*, sunt falsæ. Quare falsitas litterarum cognoscitur, tum in bulla, & filo, & carta; tum in stylo.

2185 Cap. VII. Ad falsariorum.

Omnes falsarij litterarum Apostolicarum, qui per se vel alios exercent vitium falsitatis, sunt excommunicati; & si sunt clerici, perpetuo sunt priuati omni officio, & beneficio ecclesiastico; & tradatur Curiæ sæculari puniendus vt laicus falsarius. Item qui falsis litteris vtuntur, tanquam Apostolicis, si sunt clerici sunt spoliandi officio, & beneficio; si laici, tandiu sint excommunicati, donec satisfaciant; & in vtrisque grauius puniatur malitia, quam negligentia: & debent diligenter prius examinare litteras, quibus vtuntur, quia ignorantia non excusabit. Idem obseruandum circa eos, qui falsas litteras impetrant.

Glos. Si probauerit se adhibuisse omnem diligentiam quam potuit, vt si petijt à perineribus, non est ei imputandum. *c. dura, eod.*

2186 Cap. VIII. Accedens.

Qvando quis impetrauit litteras Apostolicas habentes formam de simplici iustitia, & deprehenditur in eis falsitas, si impetrans cognoscens illas esse falsas illis non vtitur, non est puniendus, nec priuandus officio, vel beneficio, quia non præsumitur falsificasse, cùm huiusmodi litteræ facile obtineantur.

Glos. Vna præsumptio elidit aliam circa idem factum, *c. litteras de præsumpt.* Et sic in his quæ de facile possunt haberi, non præsumitur dolum commissum: & in re modica potest probari ignorantia per iuramentum. *c. si vero de sent. excom.* ob quam est eis vsus. Sed qui vtitur litteris falsis, quæ facile haberi non possunt, non excusatur per ignorantiam, quia præsumptio stat contra ipsum.

2187 Cap. IX. Ex conscientia.

Rasura paucarum litterarum, quæ animum sapientis non debent mouere ad dubitandum, v.g. in loco non suspecto, non probat litteras esse falsas. Et si pars contraria obligauit se sub periculo causæ probare litteras esse falsas, & tantum ostendit hanc rasuram, non probat, & causam perdit, cui libere renunciauit.

Glos. Rasura in narratione nullam generat suspicionem. *c. ex litteris, & c. inter dilectos de fide instrum, & c. licet sup.*

EXTRAVAG. IOAN. XXII.

DE CRIMINE FALSI. Tit. X.

2188 *Cap.* Prodiens.

FAlsificans monetas, in ære, vel figura, vel pondere, vel falsas introducens in regnum Franciæ scienter, est excommunicatus reseruatus Papæ.

EXTRAV. COMM. LIB. V.

DE CRIMINE FALSI.

2189 *Cap.* Spondent. *Ioann. xxij.*

QVi faciunt alchimium aurum, vel argentum, & qui fieri mandat secuto facto, & qui ministrat scienter, & qui vtuntur illo, dando tantundem de bona moneta soluant pauperibus, & sunt perpetuo infames; & si non habent in bonis, soluant in persona arbitrio iudicis; & si sunt clerici, priuantur etiam beneficijs, & fiunt inhabiles.

DECRETALIVM LIB. V.

DE SORTILEGIIS. Tit. XXI.

2190 *Cap.* In talibus.

QVi præsumit inquirere furta sortilegijs, vel obseruare aliquas diuinationes, pœniteant quadraginta dies.

Glos. Quandoque permittitur aliquid fieri per sortem. *c.vlt. eod.* quia sors de natura sua non est mala, sed timetur ex vsu ne cadat in idololatriam. Item qui vtitur sortilegijs, si est laicus, communione priuatur; si vero clericus, officio, & beneficio potest priuari. *c.non oportet cum duobus seqq. 26.q.5.*

2191 *Cap.* Ex tuarum. *Alex iij.*

PResbyter, qui per inspectionem astrolabij furta requirit, etiam si sint bona ecclesiæ, & ex bono zelo, & simplicitate faciat, tamen

men suspenditur ab altaris ministerio per annum, si ita videtur Episcopo.

Glos. Pœna est arbitraria supra annum, non tamen minus anno: quo elapso celebret ex dispensatione, quia de iure communi esset priuatus. *c. non oportet, 26. q. 5.*

2192 *Cap.* Ecclesia. *Honor. iij.*

EPiscopus non est eligendus per sortem: electio enim per sortem damnatur; nec compromissarius est eligendus per sortem.

Glos. Quando datur facultas, v.g. tribus eligendi pastorem, non possunt eligere vnum ex ipsis tribus, quia omnes tres simul habent potestatem eligendi, & duo sine tertio non possunt eligere, nec factum valet; & nemo se ipsum potest eligere. *c. cum ad nostram, de instit.* Sed si potestas fuit data eligendi vnum, vel ex se, vel ex alijs, tunc duo possunt eligere tertium. Obijcies, capitulum potest eligere vnum de se: sed isti tres quibus datur simpliciter potestas eligendi, repræsentant capitulum; ergo possunt. Resp. capitulum eligere de iure ordinario, & communi; hos vero per potestatem sibi à capitulo delegatam.

DECRETALIVM LIB. V.

DE COLLVSIONE DETEGENDA. Tit. XXII.

2193 *Cap.* Scripta. *Greg.*

QVando accusator desistit ab accusatione, & conuenit cũ accusato in amicitia, iudex ex officio potest inquirere super illo crimine, ne concordia sit ex præmio facta, & non ex charitate.

Glos. Quando liceat recedere à lite in causa ciuili, vel criminali, vide ibi.

2194 *Cap.* Crimina.

CRrimina semel audita, etiam si deinde accusator desistat, & pacificetur cum accusato, tamen Iudex debet punire.

2195 *Cap.* Audiuimus. *Alex. iij.*

DEbent priuari beneficijs clerici qui collusionem faciunt in causa beneficiali: v.g. vt si beneficiarius patiatur se molestari ab

alio, & postea, quasi transegerint, actor cedit liti, & reus dat illi pensionem cum futura successione.

Glos. Collusio est *inter actorem & reum latens, & fraudolenta conuentio*. Item hæc pensio non potest sine Episcopo, & ad vitam. *c. de catero, de transact.*

2196 *Cap.* In tantum.

QVando per collusionem absoluuntur crimina, potest vbi hoc constiterit, de nouo inquiri, & accusari.

Glos. Vt si reus corrumpit testes, iudices, ac inquisitores, &c.

DECRETALIVM LIB. V.

DE DELICTIS PVERORVM.

Tit. XXIII.

2197 *Cap.* Pueris. *Greg. ix.*

PVeri grandiusculi puniuntur in commissis peccatis, vt in furto, mendacio, periurio, &c. sed mitius quam puberes.

Glos. Si sunt doli capaces.

2198 *Cap.* Referente. *Alex. iij.*

MItius punitur puer, quàm maior. Vnde si puer minor quatuordecim annorum casu sagitta alium interficiat, non obstante consuetudine loci non est puniendus in pecunia, nec pater pro ipso.

Glos. Non dicit quod non punitur secundum iura, cùm esset minor quatuordecim annorum, & dabat operam rei illicitæ; sed non punitur secundum consuetudinem pœna pecuniaria: fit tamen irregularis, & punitur pœna spirituali seu canonica, tamen mitius cum eo agitur propter ætatem.

DECRETALIVM LIB. V.

DE CLERICO VENATORE.

Tit. XXIV.

2199 *Cap.* Episcopum. *Concil. Aurelian.*

Trid. sess. 24. Ref. 12. NOn licet Episcopo, presbytero, vel diacono, habere canes, accipitres, vel huiusmodi ad venandum. Quod si quis in his sæpe de-

pe detinetur, ad voluptatem, suspendatur, Episcopus à communione tribus mensibus, presbyter duobus, diaconus ab omni officio.

Glos. Si non licet ad voluptatem, ergo ad necessitatem, vel recreationem, est licita venatio non clamosa, sed non sæpius. *c. an putatis, d. 86.* non tamen Episcopis. *c. 1. d. 36.* Item venatio oppressiua hominum est illicita. *c. non est peccatum, d. 6.* sic adulatoria per verba. *c. qui veneratoribus. d. 86.* arenaria, & est mala. *c. infamis, 3. q. 6.* saltuosa, & clamosa, & est licita laicis, non clericis: quieta, & hæc est licita clericis.

2200 *Cap.* Omnibus.

OMnibus seruis Dei interdicuntur venationes, & syluaticæ vagationes cum canibus, & accipitribus & falconibus.

Glos. Idest clericis, qui specialiter dicuntur serui Dei. *c. cum secundum, de presb.*

DECRETALIVM LIB. V.

DE CLERICO PERCVSSORE.

Tit. XXV.

2201 *Cap.* Si quis. *Conc. Agat.*

CLericus in sacris, si est percussor, corripiatur à crimine; & si non se emendat, deponatur.

Glos. Non quodlibet mortale sufficit ad damnandum, si semel est commissum; vnde percussor si corripitur, non deponitur, dummodo talis percussio non faciat enormem læsionem.

2202 *Cap.* Præterea. *Greg.*

EPiscopus qui crudeliter iubet aliquem fustigari, licet ex hoc non moriatur, quia post octo menses moritur, tamen suspenditur duobus mensibus ab ordine.

Glos. Ex prolixitate temporis, idest octo mensium præsumitur non mortuum ex illa fustigatione, & contra ex breuitate præsumitur. *c. si qua fœmina, d. 50.* & si dedisset occasionem mortis, esset perpetuo irregularis. *c. de cætero, de homicidio.*

2203 *Cap.* Præsentium.

CLericus qui est præsens in conflictu, sed ex parte repellentium vim, & lapides iecit, & nullum percussit, sunt tamen ab alijs

aliqui

aliqui interfecti, suspenditur per biennium à celebratione Missarum.
Glos. Si fuisset dubium an interfecerit, repelleretur omnino, *c. vlt. de cler. pugnan. in duel.* sed si erat certus, quod non interfecit, repellitur per duos annos ad cautelam saltem, & vt clerici talem conflictum euiteut. lege *c. significasti, de homicidio*.

2204 *Cap.* Continentia. *Calest. iij.*

CLericus, qui in iusto conflictu, v.g. ad resistendum prædonibus cum alijs arma sumpsit, in quo aliqui fuerunt interfecti, sed ipse neque facto, neque consilio interfecit, potest vlterius ordinari in subdiaconatu tantum, & ministrare ex dispensatione.

Glos. Licet non sit culpabilis, tamen ad cautelam punitur, vt supra. *c. 3.* licet sit factus religiosus.

DECRETALIVM LIB. V.

DE MALEDICIS. Tit. XXVI.

2205 *Cap.* Innotuit. *Clem. iij.*

QVi profert verba contra officium, vel beneficium Papæ, est puniendus, ne de cæterò contra Ecclesiam Romanam loquatur, & alijs sit terror.

2206 *Cap.* Statuimus. *Greg. x.*

QVi præsumit publice blasphemare, Episcopus præcipiat, vt per septem dies Dominicos existat præ foribus Ecclesiæ in manifesto, dum fiunt Missarum solemnia, & vltimo die feria, pallio, & calceis, & ligatus corrigia circa collum, & ieiunet septem ferijs præcedentibus in pane & aqua; nec in ecclesiam ingrediatur: & si potest, quolibet die horum reficiat tres, vel duos, vel vnum pauperem; vel si non potest reficere, iniungatur alia pœnitentia, & si non vult facere prædictam pœnitentiam, interdicatur ei ingressus ecclesiæ, & in morte careat ecclesiastica sepultura. Item Princeps secularis hunc puniat, si est diues in quadraginta solidis; alioquin in triginta, vel viginti, vel saltem in quinque; & hoc siue blasphemet Deum, siue Sanctos, & multo magis Beatam Virginem; & si iudex secularis est negligens, Episcopus illum cogat.

DECRE-

DECRETALIVM LIB. V.

DE CLERICO EXCOMMVNICATO, *deposito, vel interdicto ministrante.*

Tit. XXVII.

2207 *Cap. I.* Si quis Episcopus.

CLericus depositus iuste pro certo crimine, si ausus fuerit attractare ministerium sibi iam commissum, abscondatur ab ecclesia.

Glos. Idem si iniuste, modo sententia non sit contra ordinem iuris. *c. Episcopus*, 11. *q.* 3. quia tunc esset nulla sententia. *c. ei qui*, 2. *q.* 6. *c. accedens, vt lite non contest.*

2208 *Cap. II.* Si quis presbyter. *Concil. Antioch.*

DEgradatus, vel pro certo crimine ab officio depositus, si per contemptum, vel superbiam præsumptuose ministrat in aliquo prohibito, & correctus ab Episcopo adhuc præsumptuose perdurat, excommunicetur omnimode; & qui cum eo communicat est excommunicatus: quod etiam est obseruandum de alijs excommunicatis. Quod si adhuc persistit in eodem, & Episcopus non potest eum emendare, damnetur exilio iudicio Regis per requisionem ecclesiæ.

Glos. Degradatus si celebrat, conficit, & contrarium est error.

2209 *Cap. III.* Clerici. *Alex. iij.*

CLerici excommunicati, vel interdicti si ante absolutionem celebrant diuina officia, & moniti non desistunt, sunt perpetuo deponendi.

Glos. Solus Papa dispensat in simpliciter depositis, in alijs Episcopus. An possit dispensare Legatus, vide ibi.

2210 *Cap. IV.* Latores.

QVando multi excommunicati, vel interdicti præsumunt celebrare diuina officia, si non excedunt numerum quadraginta, omnes deponuntur ab officio sacerdotali in perpetuum: si vero excedunt, & est multitudo magna, tunc deponuntur in perpetuum tantum hi, qui magis dederunt causam delicti, alij vero ad tempus; sed omnibus iniungitur pœnitentia arbitrio Ordinarij.

Glos.

Glos. Multitudini non parcitur, nisi quando timetur scandalum, & multorum strages, si seruetur rigor. Item vltra quadraginta dicuntur multi. *c. cum causam, de test.* sed aliquando pauciores dicuntur multi, sunt enim respectiui. Item pœna eorum qui excommunicati, suspensi, interdicti celebrant, est depositio ab officio. Item depositus ab officio, est etiam depositus à beneficio, quia vnum datur propter aliud. Item suspensus à beneficio potest celebrare, & beneficia acquirere. Item quando quis est suspensus ab officio vel beneficio, dubium est, an abstinere debeat ab vtroque, vel à nullo: sed tutius videtur quod ab vtroque.

2211 *Cap. V.* Illud dominus.

IN dubio an quis sit excommunicatus, v.g. quia dubitat, an contra eum sit lata sententia, vt quia per solam famam audiuit, debet se gerere tanquam excommunicatum, & non tractare sacramenta; secus incidit in pœnas canonum contra excommunicatos celebrantes. *c. latores, eod. in 6.* & *c. si quis Episcopus.* 11. *q.* 3. sed cum eo misericorditer solus Papa solet dispensare, & dum est excommunicatus, debet multo magis alios vitare, quam vitari.

Glos. Excommunicatus, vel suspensus nec publicè, nec priuatim debet celebrare, vel sacramenta alijs ministrare. *c. presbyterum, d.* 28. sed alia officia præter Missam occulte, & vt priuata persona potest dicere. *c. quod in te, de pœn. & remiss.* & *c.* 2. *eod.* Item propter famam celebrationis debet quis abstinere. *c. cum desideres, de satisfact. excomm.* sed dicta paucorum non faciunt famam. *c. inquisitionis, de accusat.* nec tenetur aliquibus credere. *c. non solum,* 11. *q.* 3.

2212 *Cap. VI.* Fraternitati.

SI excommunicati præsumpserint celebrare, sunt spoliandi omnibus beneficijs.

Glos. Potest Episcopus eos in perpetuum deponere. *c. latores, eod.* sed non potest cum eis dispensare. *c. clerici, eod.*

2213 *Cap. VII.* Postulastis.

EXcommunicatis non possunt conferri beneficia, & collatio non tenet; & qui scienter illis confert, suspenditur à collatione beneficiorum, donec mereatur consequi veniam super hoc. Item qui celebrant diuina officia in loco interdicto, si est clericus, priuatur beneficijs Ecclesiasticis; si regularis, vel monialis, detrudetur in arctius monasterium ad peragendam pœnitentiam.

Glos. An excommunicati sint priuandi beneficijs quæ habebant, vide

vide Pan. & *c. cum bona de atat. & qualitat.* Et an Episcopus possit dispensare cum excommunicato vt obtineat beneficium, vide *c. clerici eod.* & *c. nuper de sent excom.* Item celebrantes in loco interdicto sunt suspensi & irregulares. *c. vlt. de excess. prælat.* vnde possent deponi. *c. latores eod.* Item excommunicatus petens beneficium si dicat se iniuste excommunicatum, non auditur. *c. illud eod.*

2214 *Cap. VIII.* Proposui.

SI aliquis fuit excommunicatus, & postea absolutus, si ei confertur beneficium, collatio tenet.

Glos. Consideratur an tempore inuestituræ quis fuerit excommunicatus, vel non. *c. cum bona de ætat. & qualitat.* Sicut in rescriptis impetratis consideratur, an tempore datæ fuerint excommunicati. *c. dilectus. de rescript.* quia si post excommunicetur, rescriptum non perditur, sed suspenditur. *c. prudentiam de off. deleg.* sic tempus electionis consideratur, an tunc sit idoneus. *c. dudum de elect.* Item quando quis est excommunicatus, semper præsumitur excommunicatus, nisi probet se absolutum: & sic qui absoluitur, saltem ad cautelam, semper litteras absolutionis habeat. Item cum aliquis dicit talem esse excommunicatum, & ille negat, in tali dubio vtriusque testes admittuntur. *c. per tuas de sent. excom.* & *c. cum tu de testib. c. cum contingat. de off. deleg.* Item quando Episcopus communicat cum excommunicato, licet sit quædam præsumptio pro absolutione, tamen non sufficit ad probandum non esse excommunicatum. *c. vt desideres, de sent. excom.*

2215 *Cap. IX.* Apostolicæ. *Greg. ix.*

QVi suspensus celebrat cum ignorantia probabili, non fit irregularis, secus si ignorantia fuit crassa, supina, aut erronea.

Glos. Absens, & ignorans potest excommunicari, & suspendi. *c. cum sic Romana de appellat.* & quandiu ignorans se excommunicatum celebrat, non peccat, vt hic habes, & sic supenditur effectus excommunicationis. Probabile est quod electio de ipso facto non teneat, licet ignoret se excommunicatum, vel suspensum. Item quando absens excommunicatur per litteras, si excommunicans vult illũ statim esse excommunicatum, statim est excommunicatus: (sed non obest ei donec sciat) si non, non, nisi donec litteras acceperit, sic erit.

2216 *Cap. X.* Si celebrat.

EXcommunicatus excommunicatione minori si celebrat peccat, sed non fit irregularis, & potest eligere, & exercere ea, quæ

sunt

ſunt iuriſdictionis. Item ſi talis excommunicatus fuerit ſcienter electus, eius electio erit irritanda. Item peccat conferendo ſacramenta, ſed collata tenent, quia eſt remotus à perceptione, & non à collatione ſacramentorum, dummodo hæc non faciat in contemptum Eccleſiæ, ideſt contra prohibitionem Eccleſiæ ſe ingerat communioni excommunicatorum, quia tunc eſſet excommunicatus maiori, & priuandus.

Gloſ. Qui ignoranter eligunt excommunicatum minori, electio non valet; & qui ſcienter, priuantur iure eligendi. *c. cum in viuis, & c. ſcriptum, de elect.* Item vide ibi multa circa excommunicationem minorem.

DECRETALIVM LIB. V.

DE CLERICO NON ORDINATO miniſtrante. Tit. XXVII.

2217 *Cap.* Si quis baptizauerit. *Hormiſda.*

QVi temerè ſine ordine baptizat, vel alia officia ordinis exercet, abijciatur ab eccleſia, & nunquam ordinetur.

Gloſ. Ideſt, ſi quis non ordinatus baptizat, vt ordinatus, & tanquam ex officio; ſecus ſi in neceſſitate vt laicus. *c. ad limina, 30. q. 1.*

2218 *Cap.* Ex litteris. *Vrbanus.*

DIaconus ſi Miſſam celebrat, non poteſt promoueri ad ſacerdotium, & maneat ſuſpenſus per duos, vel tres annos arbitrio ordinarij, & miſericorditer conceditur ei beneficium, ne cogatur reuerti ad negotia ſeculi; ſed interim curetur, vt dignam pœnitentiam faciat, & melius eſſet ſi fieret religioſus.

Gloſ. De hoc habes *capitulum, presbyter de ſacram. non iteran.* vbi manus impoſitio eſſet ſupplenda, & non iterandus ordo. Item ſi digne pœniteat, Epiſcopus poteſt diſpenſare, vt promoueatur ad ſacerdotium, quia hic non prohibetur.

DECRETALIVM LIB. V.

DE CLERICO PER SALTVM promoto. Tit. XXIX.

2219 *Cap.* Tuæ litteræ. *Innoc.iij.*

QVi ignoranter de subdiacono fit presbyter omisso diaconatu, iniungatur ei digna pœnitentia, quia ignorantia fuit crassa, seu negligentia; qua peracta ordinetur diaconus, quia non intelligitur iteratum, quod factum esse nescitur: mox permittatur misericorditer ministrare in sacerdotio.

Glos. Qui ante ætatem contrahit matrimonium, non tenet, nisi malitia suppleat ætatem: sed qui ordinatur, ordo tenet, sed est suspensus ab executione. Item qui ordinatur infra annos discretionis, an teneatur deinde seruare continentiam, & permanere in ordine? Resp. quod si antequam ordinaretur, contradixit, vel potius eo ipso quod sciuit, & cognouit se esse ordinatum, non tenetur. Imo si simpliciter fuit coactus, non imprimitur character. Item Episcopus in isto casu suo iure potest dispensare. *c. pastoralis, de sacram. non iteran.* Item si quis nullum minorem ordinem haberet, & promoueretur ad sacerdotium, vere reciperet ordinem; non tamen, si promoueretur ad Episcopatum: Ordo enim Episcopatus necessario supponit sacerdotium *arg. c. ex litteris, infra de excess. prælator.* Si vero quis ordinaretur in Episcopum prætermisso diaconatu, vel subdiaconatu, vere esset Episcopus, quamuis non posset conferre illum ordinem, quem non habuit. *arg. c. gratia.* & *c. ventum,* 1. *q.* 1. & *c. Duibertum, q.* 1. & *c. quomodo, de consecr. dist.* 4.

DECRETALIVM LIB. V.

DE EO QVI FVRTIVE ORDINEM suscepit. Tit. XXX.

2220 *Cap.* Veniens. *Alex.iij.*

QVi furtiue ordinem suscipit, si contra hoc facientes erat lata sententia excommunicationis, non potest Episcopus cum eo dispensare, vt vltimus ordinetur; & monendus est vt fiat regularis,

gularis, vt misericorditer cum eo dispensetur auctoritate Papæ; si non erat excommunicatio, Episcopus potest, imposita prius condigna pœnitentia arbitraria.

Glos. Furtiue ordinatur, qui citra conscientiam sui Episcopi, & sine examinatione ordinatur. *c.extra conscientiam,d.64.* Item Episcopus non potest dispensare cum excommunicatis, qui Diuinum officium exercere præsumunt. *c. vlt. eod.* Item ingressus Religionis non tollit irregularitatem.

2221 *Cap.* Cum lator.

QVi acceptis minoribus accipit furtiue subdiaconatum, Episcopus potest permittere, vt in minoribus se exerceat; secus de maiori, nisi ingrediatur Religionem; & postquam ibi honeste vixerit, Abbas poterit dispensare in ordinibus sacris.

Glos. Minores ordines possent in vno die omnes conferri. *c.1. de temp.ord.* Trid.vero *sess.23.n.11.* admonet per temporum interstitia esse conferendos. Item hæc permissio Episcopi est intelligenda vt in *cap.sup.* idest si excommunicatio non fuit lata, quia si fuit, non potest. Idem de Abbate cum Religioso.

2222 *Cap.* Innotuit.

QVi præcedente sententia excommunicationis, ne quis se ingerat ad duos ordines sacros suscipiendos, eos suscipit non ministret in susceptis; & si fiat Religiosus, peracta debita pœnitentia de licentia Papæ poterit cum eo dispensari.

Glos. Prædictus non solum non potest ministrare, sed de rigore est deponendus. *c.cum illorum de sent.excomm.* & *c.latores, de cler. excomm.ministr.* Item qui habet facultatem dispensandi, vt quis in susceptis ministret, non potest dispensare vt superius ascendat.

DECRETALIVM LIB. V.

DE EXCESSIBVS PRÆLATORVM & subditorum. Tit. XXXI.

2223 *Cap. I.* Peruenit. *Alex.iij.*

MAndatur ne Episcopi, seu Prælati presbyteros irrationabiliter grauẽt, vel inhoneftè tractent, & nõ tallias, & exactiones indebitas præsumant in eos exercere, nec sine iudicio

eos

eos suspendant, vel eorum Ecclesias subijciant interdicto, nec eos excommunicent sine ordine iudiciario, nec permittant eos habere duas Ecclesias, quarum vna sufficit, sub pœna, quæ sit ad timorem aliorum.

2224 *Cap. II.* Ad hæc.

NOn potest Episcopus priuare presbyteros suis ecclesijs, iuribus, redditibus, consuetudinibus, vel ea minuere.

Glos. Sine causa, vel sine eorum consensu. *c.ad audientiam, sup. de eccles. ædif.* An mortuo Rectore Episcopus cum Capitulo possit præiudicare futuro? Vide. sed negatiue videtur respond. Item consuetudo, de qua loquitur, debet esse præscripta. Item hodie seruandum est *c.dudum, de reb.eccl.non alien.*

2225 *Cap. III.* Ad aures.

QVi potest conferre beneficium, vel ecclesiam prouidere, illud sibi pro suo vsu retinere, vel conferre non potest; & si facit, collatio non tenet; & ecclesia est alij danda, & ipse puniendus.

Glos. Et si ipse debet instituere, non potest se instituere, sed alium, vt sit differentia inter dantem, & recipientem. *cap. vlt. de instit.* sed si causa custodiæ eam retineret, liceret. *cap. bonæ, de appellat.*

2226 *Cap. IV.* Clerici.

QVi sodomia laborant, si sunt clerici, deijciantur à clero, & in monasterio detrudantur; si laici, excommunicentur.

Glos. Imo secundum leges capite puniuntur.

2227 *Cap. V.* Sane si.

SVbditi non tenentur obedire superiori in his, in quibus sunt liberi, per priuilegium Papæ, vt Abbas non debet obedire Episcopo, quando agitur de libertate ordinis concessa à Papa.

2228 *Cap. VI.* Illud etiam.

VIcarius qui contra fidem, & iuramentum conuictus, vel confessus fuerit falso sibi assumpsisse personatum, non admittatur in eodem Episcopatu ad executionem sui ordinis.

2229 *Cap. VII.* Cum ad quorundam. *Cælest.iij.*

SEntentia lata, v.g. excommunicatio contra aliquem priuilegiatum ex eo quia non obediuit in his, quibus erat priuilegiatus,

non tenet; vt v.g. quia non soluit procurationem Episcopo visitanti cum pluribus personis, quam concedat Conc. Lateran. 1.

2230 Cap. VIII. Sicut vnire.

Trid. sess. 7. Ref. 6 & sess. 14 Ref. 9. sess. 24. Ref 5. sess. 24. R. 15.

SIcut Episcopi non possunt vnire Episcopatus sine consensu Papæ, sic nec inferiores possunt vnire ecclesias sine consensu Episcopi: nec sufficeret solus consensus Metropolitani, quia metropolitanus non debet aliquid tentare in Diœcesi sui suffraganei sine consensu suffraganei.

Glos. Solus Papa reseruauit sibi quædam, quæ alij impunè non possunt; idest restituit depositos Episcopos, deponit eosdem, diuidit Episcopatum in duos, vnit duos in vnum, eximit Episcopos, & Abbates, probat scripta aliorum, & concilia, declarat articulos fidei; & cum dubitetur de aliquo articulo, ipse soluit; facit Synodum generalem, transfert sedem Episcopalem de loco ad locum, mutat Episcopos, nullus appellat ab ipso, &c. Item Archiepiscopus est iudex ordinarius omnium Episcoporum suæ Diœcesis, sed non subditorum, nisi aliquibus casibus. *c. Pastoris, de offic. ord. c. Romani in 6. eod.*

2231 Cap. IX. Quam sit graue. *Innoc. iij.*

CLericus, qui publicè gloriatur de crimine quod commisit, puta quod cognouerit fœminam, debet suspendi à beneficio, & ab officio, si scandalum sit sequutum, v.g. si maritus remisit vxorem cognitam à clerico.

Glos. Quamuis confessio extra ius facta præiudicet, tamen nemo sine accusatore damnari debet. Vnde iste clericus non punitur ex illa sua confessione, nisi occasionaliter, scilicet propter scandalum, & infamiam ortam contra mulierem eiectam. Item aliquando quis punitur sine accusatore. vide *c. vt nostrum, vt ecclesiast. benef. sine dim. conf.* & *c. vlt. de confess.*

2232 Cap. X. Ex litteris.

ESt prohibitum Episcopo indicere purgationem ferro candenti, nec debet præstare auctoritatem specialiter, nec personaliter interesse, vt pœna corporalis alicui infligatur. Quod si directè, vel indirectè suo consilio, vel auctoritate homicidium sequatur, fit irregularis; vnde reputatur indignus altaris ministerio: & quia sine ministerio altaris non potest implere officium pontificale, est amouendus ab Ecclesia, & alius idoneus eligendus.

Glos. Purgatio candentis ferri est prohibita. *c. sententiam ne cler.* *vel*

vel mon. Ideo Episcopus erat puniendus. Item clericus potest Principibus in criminalibus dare consilium in genere dicendo, fures taliter sunt puniendi; sed nihil suggerat in particulari: potest tamen de furibus ponere querelam ciuiliter, *c. tua de homic.* non potest tamen dicere malum, etiam si fur sic euadat; nec authorizare sua præsentia mortē. *c. significasti de homic. c. 2. de cleric pug. in duell.* Item non potest quis esse Episcopus, nisi prius fuerit sacerdos. *c 1. de cler. per saltum &c.* Item quando Episcopus fit irregularis sua culpa, debet cadere; si vero sit impotens, datur ei coadiutor. *cap. 1. de cler. ægr. in 6.*

2233 *Cap. XI.* Inter dilectos.

PErsonis indignis, & vilibus non sunt dandæ dignitates; & si probetur aliquem esse publicum aleatorem, & manifestum vsurarium, vt qui in ludo mutuat vndecim denarios pro duodecim, non obstante consuetudine, quæ corruptela est, collatio dignitatis illi facta est irritanda, & sic improbantur ludi voluptuosi. Item quando contra aliquem probatur, quod in litteris ipsius fuit posita quædam clausula, præter conscientiam iudicum; & sic videretur falsarius: tamen si non probatur, quod dictus accusatus apposuerit illam clausulam, vel quod procurauerit vt ab alio poneretur, vel quod scienter sit vsus litteris falsificatis, non habetur falsarius, præsertim si postquam fuit illi hoc obiectum, non fuit illis vsus. Item si concessio benefitij prius fuit facta alicui, deinde fuit facta alteri, secunda concessio irritatur, licet primus deinde sit repertus indignus; & qui prima concessione non reprobata, secundo concessit, propter hanc inconstantiam, priuetur pro illa vice potestate concedendi.

Glos. Propter vsuram repellitur clericus ab obtinendo; sed de obtento licet iure posset deponi, tamen si se corrigat, potest Episcopus facere ei gratiam. *c. si quis oblitus. c. quoniam multi.* 14. *q.* 4. *c. de Petro d.* 47. Item qui peccatum suum defendit authoritate, vel consuetudine, magis peccat, ideo magis puniendus, *c. nemo* 33. *q.* 4. *c.* 1. *de pœn. d.* 6. Item Iudex potest esse testis de eo, quod gestum est coram se. Item speciale est in litteris Papæ, quod qui eis vtitur falsis, non possit amplius prætendere excusationem. *c. ad falsariorum de cri. fal.* sed in litteris aliorum post vsum potest, quia dolus debet probari non ex præsumptionibus, sed ex perspicuis indicijs, vnde qui dolum allegat, probare debet dolum. Item secundo est speciale, quod falsans litteras Papæ, statim traditur Curiæ seculari, alij non. An qui concedit eandem præbendam primo, & secundo, si prima

est nulla, quia persona erat indigna, & scienter clara, secunda teneat. Resp. negatiue.

2234 *Cap. XII.* Accedentibus.

Trid. sess. 24. de matrim. 12. COgnoscere de causa matrimoniali, iniungere publicas pœnitentias, concedere litteras indulgentiarum,& similia,est munus Episcopi, & nullus eo inferior, vt Abbas, potest, nisi de speciali concessione, vel alia legitima potestate.

Glos. Vt de consuetudine præscripta, quia de iure communi causa matrimonialis spectat ad Episcopum.

2235 *Cap. XIII.* Dilectus. *Honor.iij.*

NOn potest,nec debet cogi sacerdos vt reuelet peccatum auditum in confessione.

Glos. Quia scit vti Deus. *c.omnis de pœn. & remiss.*

2236 *Cap. XIV.* Dilecta.

QVi non faciunt vnum corpus, & consequenter non sunt collegium, non possunt habere commune sigillum, nisi à superiore concedatur.

Glos. Qui non sunt de vno collegio, vel vna societate, licet subsint vni tanquam capiti, non faciunt vnum corpus, & Abbatissa, quæ est caput multorum beneficiatorum non facit vnum corpus, cum his, sicut nec Episcopus cum clero Diœcesis. *c.requisisti de testam.c.cum clericis de verb.sign.* Sed bene facit vnum corpus cum suo capitulo, & sic illi non possunt habere sigillum commune, nec constituere procuratorem, siue actorem ad causam. Item vnum corpus multis modis dicitur, vide. Item non prohibetur quemlibet Rectorem pro se, vel cum suo collegio habere sigillum, sed non vt vnum corpus ad expedienda negotia.

2237 *Cap. XV.* Grauem.

QVi v.g. Archidiaconus,contra iuramentum negat Episcopum, esse dominum suum, vel in foro sæculari deponit quæstionem de re spirituali contra eum, vel qui dat causam, vel consilium inuasoribus Episcopi, & sociorum, perpetuo abscindatur ab Ecclesia, & eius beneficia assignentur idoneis.

Glos. Hic perdet beneficia per sententiam non ipso iure, sicut qui trahit alium in vetitum examen, perdit causam per sententiam non ipso iure. *arg.c.si diligenti sup.de foro compet.*

Cap.

2238 *Cap. XVI.* Nimis iniqua. *Greg. ix.*

PRæcipitur Episcopis ne inferant grauamina Religiosis; & numerat 25. grauamina, vt circa sacramenta, sepulturas, Missas, eleemosynas, oblationes. Vide.

2239 *Cap. XVII.* Nimis praua.

MAndatur Episcopis, vt desistant grauare Religiosos, vt Prædicatores, & Minores, & numerat 192. grauamina. Vide. Trid. sess. 24. Ref. 2.

2240 *Cap. XVIII.* Tanta est.

QVi non seruat interdictum, est suspensus ab officio, & beneficio, & ab omni iurisdictione; & collatio beneficiorum facta ab eo post violationem, est irrita, & intrusi sunt suspendendi ab ipsis beneficijs, & omnibus alijs. Similiter excommunicatio, vel suspensio lata ab eodem est nulla. Item qui extendit manus temerarias in clericos, compelletur ire Romam, inuocato, si opus est, ad id brachio seculari.

IN SEXTO LIB. V.

DE EXCESSIBVS PRÆLATORVM & subditorum. Tit. VI.

2241 *Cap.* Cum ex eo. *Bonif.*

MEndicantes non recipiant de nouo domos, vel loca quæcumque, vel recepta mutent, vel alienent in alios sine licentia Papæ faciente mentionem de hac prohibitione specialiter; si secus, irritum sit. Per hæc tamen non interdicitur, vt qui de licentia suorum superiorum voluerit agere vitam heremiticam, seu solitariam, non possit eligere, seu acquirere, ac mutare domos in heremo, seu locis solitarijs, vbi non habitant seculares.

Glos. Non possunt mutare loca antiqua, quæ ante hanc constitutionem acquisiuerunt; alia vero, quæ post, possunt, v.g. in eodem monte, vel vrbe.

CLEMENTIN. LIB. V.
DE EXCESSIBVS PRÆLATORVM & subditorum. Tit. VI.

2242 *Cap.* Frequens.

ENumerat triginta grauamina, quæ prælati, Episcopi, Religiosis inferebant, quæ vide vltra illa. *c.nimis*. 1. & 2. Et prohibet Episcopis, ne inferant, sed vt regulares cum charitate foueant, & eorum priuilegia seruari faciant.

DECRETALIVM LIB. V.
DE NOVI OPERIS NVNCIAtione. Tit. XXXII.

2243 *Cap. I.* Intelleximus. *Lucius iij.*

POst denunciationem noui operis, si quid siue iure, siue iniuriâ constituatur, debet secundum leges demoliri. Item si Ecclesia in præiudicium alterius constituatur, debet demoliri, prout præcipiunt leges, & canones: quia leges non dedignantur imitari sacros canones, & canones adiuuantur legibus Principum.

Glos. Tanta est vis denunciationis, vt si post eam etiam iniustam ante remissionem, vel satisdationem de opere demoliendo, aliquid fiat, etiam ab eo, qui ius habeat ædificandi, debeat iterum demoliri: sed denunciatio est facienda in re præsenti, & in opere, & non tantû Domino, vt deinde totum opus demoliatur. Item tot debent esse denunciationes, & tot remissiones, quot sunt loca in quibus ædificatur. Item circa Ecclesias, quando deficiunt canones, debet secundum leges iudicari, & in causa Ecclesiastica iudicanda possumus vti legibus. Itē nulla Ecclesia in præiudicium alterius est cōstruenda.

2244 *Cap. II.* Cum ex iniuncto. *Innoc. iij.*

IDem quod in præcedenti: idest, post denunciationem noui operis quidquid fuerit ædificatum, totum est demoliendum, etiam si ædificatum fuit absente domino, etiam si prætendat de iure sibi competere ædificare, quia ei denegatur actio. Item scandala fugienda sunt,

da sunt, omittendo illa, quæ sine peccato mortali omitti possunt, & facienda, quæ sine peccato mortali fieri possunt, & non alia, idest quæ sine peccato non possunt.

Glos. Denunciatio noui operis ad ea tantum pertinet, quæ solo coniuncta sunt, vel in solo fiunt, non ad alia. Opus nouum facit, qui ædificando, vel detrahendo pristinam operis faciem immutat, non autem si quis reficit antiquum. Item qui denunciat nouum opus, prius debet iurare, quod non causa calumniandi denunciat; & hoc iuramentum authore Prætore exigetur, antequam iuret. Item qui simplici verbo nunciat, hoc ipso constituit illum, qui ædificat, possessorem. *l. 1. §. in operis. l. de pupillo. §. meminisse, ff. eod.* Secus si per iacturam lapidis; quare melius, nunciare per lapillum. Item nunciatio potest fieri, vel domino, vel procuratori, vel seruo, vel puero, vel ipsi fabro qui ædificat, sed in præsenti re. Item competit denunciatio, non solum dominis, sed emphiteutæ, & creditori; & si ædificetur in publico, quilibet ciuis denunciare potest. Item si quis antequam ædificetur, ageret cum vicino, ne altius ædificet, nec res defendatur, hoc agat Prætor, vt præstet cautionem vicinus non prius ædificare, quam vltro agat ius sibi esse. *l. si prius, ff. eod.* Item monachi semper præsumuntur iustam litem mouere; quia sua reliquerunt propter Deum.

2245 *Cap. III.* Significantibus. *Honor. iij.*

QVi nunciat nouum opus, potest vel ostendere de suo præiudicio, v. g. probando plateam ad se pertinere; & interim cessetur ab opere, vel recepta cautione de demoliendo opere permittere statim ædificari. Item quidquid post appellationem tentatur est irritum.

2246 *Cap. IV.* Is cui. *Greg. ix.*

SI is qui denunciat vult probare suum ius, is qui ædificabat, etiam si offerat cautionem de destruendo opere, tenetur expectare per tres menses, & interim cessare ab ædificio.

Glos. Est in optione denunciantis, an velit statim docere de suo iure, vel vsque ad tres menses, vel statim recipere cautionem, vt ædificetur.

DECRETALIVM LIB. V.

DE PRIVILEGIIS, ET EXCESSIBVS priuilegiatorum. Tit. XXXIII.

2247 *Cap. I.* Epiſcopalia. *Leo j.*

EPiſcopalis dignitas non debet concedi, vel reſidere niſi in Ciuitatibus numeroſis, & inſignibus, ne vileſcat numeroſitate ſui.

2248 *Cap. II.* Sicut in iudicijs. *Greg. ix.*

ECcleſia in iudicijs non vult turbare priuilegia laicorum, ſed vult reſiſtere laicis præiudicantibus Eccleſiæ; & dum tales laicos coercet, non agit contra legem, ſed legi fert ſubſidium.

Gloſ. Eccleſia non vult ſibi ius laicorum, quia iuriſdictio eſt diſtincta. *c. nouit, de iudic. c. cauſam, qui fil. ſint legit.*

2249 *Cap. III.* Cum & plantarem. *Alex. iij.*

REligioſi non accipiant decimas de manu laicorum ſine conſenſu Epiſcopi, & non debent excedere priuilegia illis conceſſa, agendo contra auctoritatem Epiſcopalem cum ſcandalo. Item Religioſi etiam exempti nō admittant ad Diuina excommunicatos, & interdictos nominatim à quocumque. Item Religioſi in eccleſijs quæ ad ipſos pleno iure non pertinent, cum vacant, non inſtituantur, ſed inſtituendos Epiſcopo præſentent, & ei de cura ſpirituali reſpondeant, nec inſtitutos inconſulto Epiſcopo amoueant, & Religioſis rationem reddant de temporalibus. Item Templarij, & Hoſpitalarij in Eccleſia interdicta ſolum ſemel in anno admittantur ad diuina officia, nec tunc ibi ſepeliantur corpora defunctorum. Item confratres Religioſorum, qui non omnino ſe eis dederunt, ſed remanent in ſuis proprietatibus, ſunt ſubditi Epiſcopo, vt cæteri laici. Itē prædicta intelliguntur de omnibus religioſis; quæ ſi præſumant non obſeruare, eorum eccleſiæ ſint interdictæ, & quicquid faciant ſit irritum.

Gloſ. Qui excedunt priuilegium, vel eo abutuntur, illud amittere merentur. Item excommunicatos nominatim vitare tenentur priuilegiati, ideſt quando nominatim, vel alijs circumſtantijs deſcribuntur. *c. nulli, de ſent. excomm. c. propoſuit, de cleric. exc.* Item plenum ius eſt in temporalibus, & ſpiritualibus. Item quando in loco in-

co interdicto possint celebrare diuina officia, vide *c. fin. de sent. ex. comm.* & qui possint sepelliri, *c. vt priuilegia, eod.*

2250 *Cap. IV.* Dilecti filij.

QVi non timet opponere se rescriptis Ecclesiæ Romanæ, priuandus est priuilegijs.

2251 *Cap. V.* Ad hæc.

PRiuilegiati non possunt sepelire excommunicatos in cœmeterijs; sed si admittant, debent eos eijcere; & si nolunt facere, Episcopus exequatur.

Glos. Sicut non possumus communicare cum excommunicato viuo, sic nec cum mortuo. Ideo hunc sepeliens sit excommunicatus. *c. sacris, de sepult.* secus si in morte petierunt absolui, & per eos non stetit quin absoluerentur, & tunc post mortem sunt absoluendi. *c. à nobis, de sent. excom.* & sic sepeliendi; alioquin non sunt sepeliendi, imo exhumandi si essent sepulti, dummodo ipsorum ossa discerni possint. *c. sacris, de sepult.*

2252 *Cap. VI.* Si de terra.

COntra priuilegium Ecclesiæ præscribitur spatio xxx. annorum, quia videtur in tanto tempore renunciare suo iuri.

Glos. Hodie præscribitur quadraginta annis. *c. accedentibus, eod.* vbi priuilegium per non vsum perditur, sicut & leges abrogantur.

2253 *Cap. VII.* Porrò quauis.

PRiuilegia quantum valeant, & quomodo sint seruanda, cognoscetur ex tenore, vltra quem non est egrediendum.

Glos. Priuilegia sunt stricti iuris, & sunt inspicienda; nec alicui est credendum se habere priuilegium, nisi illud ostendat, *c. cum immune, de off. deleg.*

2254 *Cap. VIII.* Recepimus.

EX eo quod aliquis soluit censum Ecclesiæ Romanæ, non probatur esse exemptus à iurisdictione Episcopi, quia non omnes qui annuum censum soluunt, sunt seruati sub iurisdictione Ecclesiæ Romanæ, sicut nec omnes, qui speciatim sunt sub iurisdictione Ecclesiæ Romanæ, soluunt censum. Quare inspicienda sunt priuilegia, & eorum tenor diligenter considerandus, an sint exempti, & vtrum ad indicium libertatis soluat censum, vel non, sed solum in signum perpetuæ protectionis.

Cap.

2255 *Cap. IX.* Sanè.

PRiuilegia, quæ Papa concedit alicui, inſpecta certa ratione, alius non debet ſibi præſumere.

Gloſ. Etiam in pari ratione, quia priuilegia non tranſeunt in legem communem, ſed ſunt ius ſpeciale, quod non eſt dandum niſi certa inſpecta ratione.

2256 *Cap. X.* Patentibus. *Clem.iij.*

NEmo, licet exemptus, poteſt habere campanas in oratorijs, quæ domi habet; & exempti coercendi ſunt ab Epiſcopo cenſuris, vt ita ſint ſuo iure contenti, vt nõ impediant iuſtitiam aliorũ.

Gloſ. Nec in eis Miſſas celebrare. *c. vnicuique de conſ. d.*8. Item Priuilegiati ſi excedant metas, vel publice delinquant, coercendi ſunt ab Epiſcopo. *c. tuarum, eod. c. recolentes. de ſtat. reg.* Item Papa ſic dat priuilegium, vt non lædat, nec impediat iuſtitiam aliorum. *c. ex tuarum, de vſu pal. c. cum olim, de conſuet. c. ad audientiam, de eccl. ædif.*

2257 *Cap. XI.* Tuarum. *Innoc.iij.*

SI fratres Hieroſolymitani ſancti Ioannis ad colligendas eleemoſynas mittant non Religioſos, ſed alios falsò cruce ſignatos, ſunt priuandi offitio prædicationis; & miſſi, ſi ſunt laici, excommunicandi; ſi clerici, ſuſpendendi ab officio & beneficio, non obſtante priuilegio, vel appellatione. Item qui celebrat in Eccleſia interdicta eſt ſuſpendendus. Item ſuſpenſus ab Ordinario ſi celebrat, ſuſpenditur. Tandẽ priuilegiati non poſſunt alios priuilegiare, vel facere exemptos, vt v.g. non reſpondendi in iudicio. Item qui abutitur permiſſa ſibi poteſtate, merentur amittere priuilegium.

Gloſ. Quomodo Eccleſia ſit rebenedicenda. *cap. propoſuiſti de conſecr. ecc. vel alt.* Item hic loquitur de eccleſia interdicta à iure & ab homine. Item ſi priuilegiatus deliquit in re non exempta, vt in contractu, maleficio, &c. punitur ab Epiſcopo, vt hic: ſi in re exempta, non, niſi aliter ſit expreſſum in tenore priuilegij, vel niſi afferat præiudicium non exemptis. Item celebrantes in loco interdicto de iure ſunt ſuſpenſi. *c. vlt. de exceſſ. prælat.* ſed hic ſuſpenduntur de facto.

2258 *Cap. XII.* Cum olim. *Innoc.iij.*

QVando priuilegiatus inſtrumentum perdidit, poteſt probare ſuum priuilegium per teſtes, qui deponant de tenore inſtru-

menti,

menti, & quod non erat falsificatum præsertim in bulla, carta, & littera; & ad seruandum æqualitatem pars aduersa potest producere suos testes. Item, quando Papa scienter, & re cognita admittit ad osculum aliquem, qui putatur excommunicatus, præsumitur iam non esse excommunicatus.

Glos. Quod dicitu de instrumento Papæ amisso, intelligitur etiam de litteris impetratis à Legato, & amissis. Item Legatus non potest pari ratione probare amissionem instrumenti suæ legationis. *c. cum in iure de off. deleg.* Verum si est vir probus, debet ei credi. Item non sufficit probare solam amissionem instrumenti, nisi in odium illius, qui furatus est instrumentum. Item amissio probatur per iuramentum inducentis. Item si instrumentum fuit exhibitum in iudicio, & ei fides fuit præstita, si deinde perdatur, adhuc potest aduersarius instrumentum reprobare iurando, quod non malitiose hoc apponat.

2259 *Cap. XIII.* Ex parte Abbatissæ.

QVando innouatur priuilegium, non conceditur nouum ius, sed solum ius antiquum conseruatur.

Glos. Exceptio lata contra priuilegium Papæ, vel post appellationem non ligat. Item pendente lite potest peti innouatio priuilegij, secus si pars aduersa contradicit. *c. proximo sup. eod.*

2260 *Cap. XVI.* Cum olim.

ECclesia, quæ se defendit duobus priuilegijs, v. g. Episcopi, & Papæ, si succumbit in vno, v. g. Episcopi, potest defendi cum altero: sic sententia lata à delegatis potest in parte infirmari, & in parte robori.

2261 *Cap. XV.* Accedentibus.

SI aliquis locus ecclesiasticus spatio quadraginta annorum soluit pacifice decimas alteri loco ecclesiastico, intelligitur præscriptum contra ipsius priuilegium, si illud habebat non soluendi decimas. Item si vna pars probat, altera cogitur soluere; si non probat, altera liberatur.

Glos. Iam non sufficiunt triginta anni ad præscribendum, vt in *c. si de terra, eod.* Sed requiruntur quadraginta continui, & sine lite, vt *hic*. Item præscribitur contra priuilegium ecclesiæ particulare, & singulare concessum in fauorem loci, vel personæ: non præscribitur contra priuilegium pertinens ad immunitatem, & libertatem ecclesiasticam, neque contra statuta generalia, quibus Ecclesia regitur, quia his non potest renunciare, *c. diligenti, de for. compet. c. contin-*

git,

git. de sent. excom. Et semper manent inuiolata. 25. *q.* 2. *c.* 1. & 2. Item præscriptio contra ecclesiam facta ab vno non potest obijci ab alijs in eodem priuilegio: quia si renuntiat respectu vnius, non tamen respectu alterius.

2262 *Cap. XVI.* Cum capella.

QVando aliquis est exemptus respectu vnius loci, v.g. capellæ Regiæ, non intelligitur exemptus respectu alterius, v.g. Parochiæ, quam ab Ordinario habet: & sic si delinquit in isto secundo loco, potest puniri ab Ordinario, quia in hoc non est priuilegiatus, & sic potest excommunicari, suspendi, &c.

Glos. Si Abbas obtinuit priuilegium, vt monasterium suum cum omnibus capellis sit exemptum, & processu temporis acquirit alias capellas, si non sunt prioribus accessoriæ, sed sunt ab illis principaliter segregatæ, istæ non participant de priuilegio. Item in capellis possunt esse canonici, & canonici possunt habere Parochias.

2263 *Cap. XVII.* Ex ore sedentis.

Trid. sess. 24 Ref. 2.

QVando conceditur exemptio capiti, v.g. monasterio, non intelliguntur exempta membra, vt sunt capellæ: & sic Abbas ratione membrorum non exemptorum debet subesse Episcopo, exhibendo illi reuerentiam, & veniendo ad synodum Episcopi. Item ex eo quod aliquis Abbas habeat locum in synodo Episcopi, intelligitur teneri ad illam accedere, & ipsius statuta seruare.

2264 *Cap. XVIII.* Ex parte.

QVi recipiuntur sub protectione Papæ cum rebus suis, non intelliguntur exempti ab Episcopo.

Glos. Per verbum inductiuum libertatis datur exemptio, non autem per verbum protectionis. *c. recipimus eod.*

2265 *Cap. XIX.* Pastoralis.

QVando Papa concedit religiosis priuilegium conuertendi in proprios vsus Ecclesias sibi subiectas, non possunt propria authoritate accipere possessionem illarum, sed Episcopus debet eos introducere, quia Papa non derogat iuri Episcopatus quo ad tale priuilegium, nisi aliud in eo explicetur.

Glos. Intelligitur de possessione, quam nunquam habuerunt, non de ea, quam habuerunt. *c. cum inuenissent, de rest spol.* Item Priuilegium cum sit odiosum, non debet extendi, nisi quatenns in eo continetur, & intelligitur concessum sine præiudicio alterius. Item in ge-

in generali concessione non intelligitur id concessum, quod specialiter non fuisset concessum. *c. ecclesia vestra, sup. de elect.*

2266 *Cap. XX.* Petistis.

SI ij, propter quorum delictum fuit positum, interdictum non seruant, tamen alij debent illud seruare. Si vero ij, in quorum fauorem fuit positũ, non seruãt interdictum, nec alij seruare tenentur.

2267 *Cap. XXI.* Quoniam per concessionem.

QVando conceditur priuilegium monasterio, & ecclesijs illi subiectis vtroque iure, vt eorum Monachi non possint excommunicari, intelligitur de Monachis manentibus, & destinatis in his locis tantum.

Glos. Ecclesia subiecta pleno iure, seu vtroque iure, intelligitur quando est subiecta in spiritualibus, & temporalibus, licet Episcopus aliqua temporalia recipiat. *c. cum venerabilis sup. de censib.*

2268 *Cap. XXII.* Quia circa.

QVando Episcopus remittit Decimas indefinite alicui Ecclesiæ, intelligitur non solum de predijs, quæ habeat, sed de habendis: quia beneficia sunt plenissime interpretanda; presertim si Episcopus potuit excipere contra tale priuilegium, & nihil excepit.

Glos. Verbum indefinitum æquipollet vniuersali, & extenditur ad futura.

2269 *Cap. XXIII.* Antiqua.

POst Ecclesiam Romanam, quæ est mater, magistra, & Princeps omnium, primum locum habet Constantinopolitana; secundum Alexandrina; tertium Antiochena; quartum Hierosolymitana: quarũ Patriarchæ à Romano Pontifice recipiunt pallium, idest insigne plenitudinis pastoralis, cui iurant fidelitatem, & obedientiam. Deinde ipsi possunt dare pallium suis suffraganeis, recipientes pro se canonicam professionem, & pro Papa promissionem obedientiæ. Item vbique faciant deferri crucem ante se, pręterquam in Vrbe Romana, vel vbi est Papa, vel eius Legatus vtens insignijs dignitatis. Item in omnibus Prouincijs ipsis subiectis potest appellari ad ipsos, salua appellatione, quæ fit ad Papã, cui ab omnibus humiliter deferendum.

2270 *Cap. XXIV.* Vt priuilegia.

PRiuilegium concessum religiosis, vt possint sepelire suos confratres tempore interdicti, intelligitur de ijs, qui licet maneant

in sæ-

in sæculo, tamen obtulerunt se religioni mutato habitu, vel de illis, qui omnia bona sua dederunt religioni irreuocabiliter, reseruato sibi vsufructu, & non de alijs. Item priuilegium concessum Regularibus, vt si perueniant in loco interdicto, aperiantur eis Ecclesiæ, & celebrentur eis Diuina officia exclusis excommunicatis, intelligitur de vna Ecclesia sola aperienda in vna ciuitate, & semel in anno: si secus fiat, puniantur; & qui abutitur potestate sibi concessa, meretur perdere priuilegium.

2271 *Cap. XXV.* Quod nonnullis.

CONceditur etiam Episcopis, sicut est concessum Regularibus, vt tempore interdicti possint Diuina celebrare ianuis clausis, suppressa voce, non pulsatis campanis, exclusis excōmunicatis, & interdictis; dummodo nō dederint causam Interdicto, nec quicquam doli, vel fraudis congesserint, & nisi hoc ipsum fuerit eis interdictum. Et quandoque, idest non semper celebrent, ne oriatur scandalum.

Glos. Canonici non possunt interesse principaliter vt celebrantes, sed vt alij extranei, si non sunt excommunicati. Item qui est interdictus, licet non deliquerit, non solum non est admittendus ad officia, & sacramenta in loco interdicto, sed neque in alijs locis.

2272 *Cap. XXVI.* Quanto.

PRiuilegio alicuius, v.g. Religionis, non sunt violanda etiam indirecte: vt si ex priuilegio Religionis non sunt excommunicandi, nec debent excommunicari illi, qui cum ipsis tractant, vt qui molunt in molendinis, qui coquunt in furnis eorum, vel in alijs communicant vendendo, emendo, &c. quia sic, licet videantur seruari verba priuilegij, tamen non seruantur, & Religiosi sunt veluti excommunicati, cùm non possint cum alijs communicare.

Glos. In priuilegijs, lege, canone, &c. potius est consideranda vis, & mens, quam verba. *c. intellexistis, de verb. signif.* sic in testamentis, in contractibus, in edictis. Sed quando res est dubia, potius sunt seruanda verba edicti. Item ista Decretalis valet etiam contra ciuitates, quæ similia faciunt, quæ faciebant predicti Episcopi, & sic violant libertatem Ecclesiasticam. Item qui facit in fraudem legis, canonis, vel priuilegij, facit contra legem. Quæ fraus quatuor modis contingit. Primo de persona ad personam: vt cùm vir non potest dare vxori, nec contra, supponit aliam personam, cui donet, donatio non valet. Secundo, de re ad rem: vt non potes mutuare pecuniam filio familias, mutuas triticum, vt vendat, & habeat pecuniam. Tertio, de contractu ad contractum: v.g. mulier non po-

non poteſt donare viro, eidem vendit,& hoc modo donat. Quarto, de contractu ad contractum alio modo:v.g.mulier non poteſt fideiubere, facit ſe debitricem alterius principalem, &c.

2273 *Cap. XXVII.* Ex parte.

QVi ſine tonſura,& habitu incedunt,& in foris factis,ideſt maleficijs deprehenſi,ſi habebãtur omnino tanquam laici,licet poſt delictum,reaſſumant habitũ,& tonſuram;tamen non gaudent priuilegio, & poſſunt puniri à iudice laico ſine pœna excõmunicationis.

Gloſ. Secus eſt, quando conſtat, vel certum eſt illos eſſe clericos, quia iudex eccleſiaſticus debet eos punire. *c. in audientia, c. vero, de ſentent.excomm. c.vlt.de vit.& honeſt.cleric.*

2274 *Cap. XXVIII.* Super ſpecula.

PAriſijs, & in locis vicinis, non legantur Leges, tum quia ibi non ſunt in vſu Imperatorum leges, tum quia melius poſſit ſtudijs ſacræ paginæ inſiſti.

Gloſ. Aliquando ratione vicinitatis, quis ſentit commodum, vel incommodum. *c.ſed & continuo, de pœnit. diſt.* 1.

2275 *Cap. XXIX.* Quia intentionis.

INnouatio priuilegij non inducit nouum ius, nec antiquum tollit, nec alicui præiudicium facit.

2276 *Cap. XXX.* In his.

QVi habent priuilegium celebrandi in altari portatili, poſſunt illo vti ſine conſenſu Epiſcopi, vt ex indulgentia Papæ aliquã gratiam reportent, dummodo non tangant ea, quæ ſunt iuris parochialis; quia in his quæ cognoſcuntur ſpectare ad cultum Diuinum, ſemper benigna interpretatio eſt facienda.

Gloſ. Priuilegium, aliquid debet operari, & priuilegium Principis latiſſime eſt interpretandum.

2277 *Cap. XXXI.* Dudum. *Greg.ix.*

PRiuilegium conceſſum de non ſoluendis Decimis noualium, in quo non fit mentio de lite mota à parte contraria, non extenditur ad decimas, de quibus erat lis, vel quæ erant ſolitæ ſolui.

Gloſ. Sic priuilegium obtentum tacita compoſitione non valet. *c.ex multiplici,de decimis.* Item priuilegium obtentum tacita veritate, vel non faciens mentionem de alio priuilegio non valet,vt reſcriptum. *c.veniens, de reſcript.*

Cap.

2278 *Cap. XXXII.* Quidam.

COnfratres priuilegiatorum quandiu in proprijs domibus morantur, tenentur ad iura Episcopalia, ideſt niſi ſe transferant in totum.

Gloſ. Ad gaudendum priuilegijs non ſufficit ſola receptio, niſi traſlatio ſit plena.

2279 *Cap. XXXIII.* Conſultationi.

TErra, de qua non eſt memoria, quod fuerit culta, ſi redigatur ad culturam per Religioſos, perpetuo erit immunis à ſoluendis decimis.

IN SEXTO LIBER V.

DE PRIVILEGIIS. Tit. VII.

2280 *Cap. I.* Volentes. *Conc. Lugdun.*

EXempti à iuriſdictione Epiſcopi, & ex priuilegio immediatè ſubiecti Papæ, ſi delinquant in Diœceſi Epiſcopi in loco non exempto, ordinarius loci cognoſcit cauſam, & punit: Idem dicendum de cauſa ratione contractus, vel rei in loco non exempto. Sed ſi delictum, vel contractus, vel res ſunt in loco exempto, licet qui conuenitur habeat domicilium in diœceſi Epiſcopi, tamen non poteſt conueniri coram Epiſcopo ratione priuilegij. Similiter, ſi deliquit, vel contraxit, vel habet rem litigioſam in aliena Diœceſi, ſed domicilium in hac, non poterit cognoſci ab Ordinario domicilij, nec ad ſe reuocare cauſam. Prædicta doctrina etiam valet, quando quis obtinuit priuilegium, vt non poſſit conueniri, nec tenetur reſpondere, niſi ſub vno certo iudice: nam ſi concurrit domicilium, & delictum, vel contractus, vel res in loco non exempto, poterit conueniri coram iudice domicilij, ſaluis alijs caſibus, in quibus de iure ſubijciuntur Epiſcopis. Item qui habent priuilegium, quod non poſſint interdici, ſuſpendi, vel excommunicari ab Ordinario, vt ſunt multi Religioſi, in quorum priuilegijs ponitur, ne ſuorum monaſteriorum monachi excommunicentur, ſi prædicti monachi habitent in Prioratibus ſubiectis Ordinario locorum, vt ibi regant, vel reſideant, poſſunt excommunicari, ſuſpendi, interdici ab Ordinarijs, dum ibi morantur.

Gloſ. Prædicta intelliguntur, niſi in priuilegio ſit aliqua clauſula his

la his

la his derogans, v.g. *etiam pro delicto commisso in loco non exêpto*, vel *non obstante constitut Innoc. IV. in Conc. Lugdunen.* Item exempto monasterio sunt exêptæ Ecclesiæ, cæmeteria, hortus atria, areæ, &c.

2281 Cap. II. Cum de diuersis.

VVlt, vt in Curia Romana vigeat studium iuris ciuilis, & canonici, & ibi studentes gaudeant priuilegijs locorum, in quibus est studium generale, & recipiant integros prouentus suos Ecclesiasticos, vt illi.

Glos. In *cap. super specula, eod.* de Magistris, qui sunt in studio, cum licentia superiorum dicitur, quod percipiant fructus, sed non distributiones; & loquitur de Theologis.

2282 Cap. III. Abbates. *Alex. iij.*

ABbates, qui habent priuilegium dandi benedictionem super populum, solum possunt benedicere solemniter populum, in Ecclesijs sibi pleno iure subiectis, quando in eis celebrant diuina officia post solemnia Missarum, & Matutinum, Laudes, ac Vesperas, & non possunt alibi publice, vt per vias ciuitatis, &c. nisi hoc expresse sit in priuilegio concessum. Item non possunt conferre primam tonsuram, nisi conuersis in monasterio, & in quibus habent quasi episcopalem iurisdictionem, nisi aliter constet ex pleno indulto Apostolico. Trid. sess. 23. Ref. 10.

Glos. Benedictionem solemnem, idest, *Sit nomen Domini benedictum*, solum Episcopi dant; non solemnem vero omnes sacerdotes. *c. ecce ego dist. 95.* Item solemnẽ ex priuilegio aliqui Abbates, & alij. Item tunc Ecclesia dicitur pertinere pleno iure ad Abbatem, quando in ea sacerdotes instituit, & omnes obuentiones percipit. *c. de monachis, c. auaritiæ de præben.* Item Abbas non potest ea facere, quæ sunt pure episcopalis ordinis, vt conficere Chrysma, conferre ordines maiores, &c. potest tamen conferre minores. *c. 1. & cap. cum contingat dist. 69.* Et possunt benedicere calices, patenas, vestes sacerdotales, & similia ad vsum suarum Ecclesiarum. *c. 1. de sacr. vnct. c. vestimenta de cons. d. 1.* sed abstineant à consecratione calicis. Item non potest Abbas clericare puros laicos, quia non sunt suæ iurisdictionis, quemadmodum nec Episcopus alterius subditos. *c. vlt. de temp. ordin.*

2283 Cap. IV. Auctoritate.

EXempti in locis non exemptis non præsumant construere oratoria, vel capellas sine licentia ordinarij loci, nec in sic con-

ſtructis celebrent, vel celebrare diuina faciant, nec in tempore interdicti, niſi in caſibus à iure conceſſis; ſi ſecus, compeſcantur ab Ordinario; & ſententia, quam conſeruatores exemptorum ferunt, vt hic reuocatur. Item exempti in locis exemptis non audeant facere præmiſſa ſine licentia, vel priuilegio Papæ. Item exempti non accipiant ſuo nomine, tanquam actores, vel defenſores cauſas, vel lites ſuorum hominum liberorum, etiam ſi ſint ſui cenſuales, idest, qui in poſſeſſionibus habeant dominium vniuerſale, & ſoluant cenſus exemptis, vt dominis directis, dummodo cauſæ ad ipſos homines liberos tantum pertineant.

Gloſ. Secus ſi cauſa eſſet commodum exemptorum, & tangeret dominium directum. Item ſecus in ſeruis, nam lites ſeruorum ſemper in ſe accipere poſſunt. Item exemptus delinquens in loco non exempto punitur ab Ordinario. *c. 1. eod. in 6.* Item nemo ſine licentia conſtruat oratoria. *c. vlt. de ſent. c. patentibus eod.* Sed priuatum in ſua domo poteſt, non erigendo altare cum ara conſecrata, ſed cum imagine poteſt ad orandum. Item exempti, & Religioſi violantes generale interdictum, quod ſeruat mater Eccleſia, ſunt excommunicati ipſo iure. *clem. ex frequentibus*, de exceſſibus Prælator. & vide *c. vlt. de ſent. excom.*

2284 *Cap.* V. Ne aliquis. *Clem. iv.*

PRiuilegium, vel indulgentia conceſſa cuicumque eccleſiaſtico, vel ſæculari in quacumque dignitate, quòd non poſſit excommunicari, vel interdici à quocumque, & quòd ipſius terræ, vel Eccleſiæ non poſſint interdicto ſupponi, non intelligitur de ſententijs latis ab Ordinario; & ſic Ordinarius poteſt illos excommunicare, interdicere &c. Excipiuntur Reges, Reginæ, & eorum filij, & Religioſi non ratione perſonarum tantum, ſed etiam ordinum, vel locorum priuilegiatorum.

Gloſ. Quæ differentia ſit inter Indulgentiam, & Priuilegium, vide *c. in noſtra de ſepul. c. cum perſonæ inf. eod.*

2285 *Cap.* VI. Vt Apoſtolicæ.

ABbates, & alij Prælati inferiores, quibus à Sede Apoſtolica conceditur vſus Mitræ, ſi ſunt exempti, quando interſunt Prouincialibus Concilijs, & Epiſcopalibus Synodis, poſſunt vti mitris aurificatis, ſed non habentibus gemmas, vel laminas aureas, vel argenteas: ſi non ſunt exempti, vtantur ſimplicibus albis, & planis, idest non aurificatis. Sed in alijs locis exemptis vtantur mitris, prout indulta conceſſa à Sede Apoſtolica eis permittunt.

Gloſ.

Glos. Hoc fuit ordinatum, ne detrahatur honori, & authoritati episcopali, quia simplices putant magis ornatum habere maiorem authoritatem. Item ornamenta episcopalia, cum quibus celebratur sunt quatuor. 1. Mitra. 2. Baculus pastoralis. 3. annulus. 4. Caligæ episcopales, seu sandalia.

2286 *Cap. VII.* Cum personæ. *Bonif. viij.*

QVi dicunt se exemptos per priuilegium, vel indulgentiam Sedis Apostolicæ, requisiti ab Ordinario loci ostendant integraliter legenda priuilegia prædicta, vel indulgentias ipsi Ordinario in loco congruo, & securo, vel alijs prudentibus viris sine suspicione, deputatis ab Ordinario, & hoc intra terminum competentem moderandum pro qualitate facti ab Ordinario, vel eius Delegato, cessante tamen iusto impedimento: & teneantur tradere transcriptum de ijs articulis, in quibus est controuersia. Item qui volunt defendere suam libertatem per solam præscriptionem canonicam, fidem faciant de tali præscriptione ipsi Ordinario, vel eius delegato prudenti non suspecto, & interim Episcopus vtatur sua iurisdictione in eos, quia habet intentionem fundatam; donec plene probetur præscriptio canonica. Item qui volunt defendere suam libertatem per priuilegium, & præscriptionem simul, & exhibent priuilegium, vt in principio dictum est: si exhibitum non probat plene libertatem, sed causam probat præscribendi, probent præscriptionem 40. annorum, & quod non fuerit violenta, clandestina, vel precario concessa, & interim Episcopus non exerceat in eos iurisdictionem.

Glos. Locus, in quo debet ostendi priuilegium, debet esse securus à violentia, alioquin posset appellari. *c. accepimus de fide instr. c. accedens, vt lit. non contest. c. ex parte de appell.* Item reus aliquando compellitur edere instrumenta contra se, licet contrarium statuatur in *c. 1. de probat.* vide solutionem in glos. *in verbo, Tradere.* Item præscriptio canonica fit 40. annis, & cum titulo. *c. 1. de præscript. in 6.* & contra Ecclesiam minor non currit. *c. de quarta, de præscript.* Item Ordinarius cognoscit in sua causa, quando est Ecclesiæ, puta, quod sit sua iurisdictio. *c. 1. de cler. mal. c. Romana de pœnis, c. literis de rescript.* Sed melius esset id expedire per Delegatos ad euitandam omnem suspicionem *c. si quis contra de foro compet.* Item non potest subditus præscribere obedientiam contra prælatum. *c. cum non liceat de præscript.* Item priuilegium ex se est fauorabile, sed præscriptio est omnino odiosa. *c. sua c. ex parte de decimis.*

2287 Cap. VIII. Episcoporum.

PRiuilegiati, siue sęculares, siue regulares, qui scienter celebrant, vel celebrare faciunt diuina in ciuitate, vel loco interdicto ab Ordinario, vel Delegato, vel à iure, nisi in casibus à iure concessis, & quod publice excommunicatos, vel interdictos ad diuina officia ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittere præsumunt, præter alias pęnas iuris interdicitur eis ingressus Ecclesiæ, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, satisfaciant competenter.

Glos. Quando, & quomodo liceat in loco interdicto celebrare, statuitur in *c. alma mater de senten. excom. in 6.* idest submissa voce, & ianuis clausis. Item celebrans præsente publico excommunicato non fit irregularis, sed interdicitur ei Ecclesiæ ingressus; & si celebrat in loco interdicto, fit irregularis. *c. his qui de sent. excom. in 6.* Hodie est aggrauata pœna in *c. eos de sepul.* & in *c. ex frequentibus, de sent. excom.* Item hanc decretalem, & eius pœnam, licet aliqui putent habere solum locum in exemptis, verius tamen est, etiam procedere in non exemptis.

2288 Cap. IX. Per exemptionem.

QVando eximitur Ecclesia, intelliguntur etiam exempti eius monachi, vel canonici, & clerici conuersi, & perpetuo oblati, sed non eius Ecclesiæ parochus, quoad pertinentia ad parochiam, nec parochiani. Item quando eximuntur canonici Ecclesię, non est exempta Ecclesia, vel alij eius clerici. Si vero eximantur clerici, intelliguntur exempti, tam canonici, quam clerici, sed non Ecclesia, nisi aliud in priuilegio exemptionis exprimatur.

2289 Cap. X. Si Papa.

DEclarat, quibus formis, modis, clausulis, vel verbis, in priuilegijs probatur exemptio: v. g. Si Papa in priuilegio, vel scriptura facta non principaliter super sententia exemptionis, narret aliquam Ecclesiam ad ius, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ, vel similia verba, non ideo probatur exemptio, nisi de libertate aliter doceat. Item si super Ecclesiæ exemptione sententiando, vel agendo negotiũ de exemptione, asserat ipsam Ecclesiam esse exemptam, vel esse iuris Diui Petri, vel ad Romanam Ecclesiam specialiter, vel sine medio, vel simpliciter pertinere; per hoc probatur exemptio. Ratio, quia, cùm omnes Ecclesiæ mundi pertineant ad Ecclesiam Romanam, ista verba priuilegij aliquod operari debent.

Idem

Idem procedit, si dicatur in priuilegio, *Ecclesia sit libera*, vel *potiatur libertate Ecclesiæ Romanæ*, vel *soluat Ecclesiæ Romanæ annuum censum ad indicium perceptæ libertatis*; secus non: vel quod Ecclesiam illam eximit ab ordinarij potestate; vel quod in ea non exerceat Episcopus iurisdictionem. Item qui recipitur in proprium, & specialem subiectum, est exemptus; secus si in specialem filium Romanæ Ecclesiæ. Item si priuilegium alicui concedatur circa aliqua, vt quod non possit excommunicari, suspendi, vel quod in specialem filium Romanæ Ecclesiæ sit assumptus, etiam si postea sequatur quod annuum censum soluat Ecclesiæ Romanæ, non dicitur exemptus; licet per prædicta non deroget alijs modis, & effectibus exemptionum, qui reperiuntur in litteris Ecclesiasticis.

Glos. Hodie narratiua verba litterarum Papalium, si sunt de suo facto, & super his fundatur intentio ipsius, benè probant. *Clem. literis, de prob.* Item Papa recipiendo aliquem in filium, non ideo eum eximit. Ratio est, quia aliquis bene potest esse alicuius filius, & tamē esse alteri subditus, vel seruus: filiatio igitur denotat amorem, & priuilegium, specialis subiectio exemptionem.

2290 *Cap. XI.* Licet.

PRiuilegiati, tempore interdicti ianuis clausis exclusis excōmunicatis, & interdictis submissa voce celebrare diuina possunt, ad ea nō possunt aliquem recipere, nisi priuilegiatum. Item si priuilegium fuit concessum particulari personæ, potest admittere suos familiares domesticos, dummodo non sint familiares alicuius conuentus, vel collegij, quia non admittuntur, si non sunt priuilegiati. Item prædicta concessione non gaudet is, cuius causa, culpa, dolo, vel fraude fuit prolata sententia interdicti; sicut nec is qui ad perpetrandum delictum, ob quod fuit positum interdictum, dedit consilium, auxilium fauorem.

Glos. Hodie in interdicto est seruandum *c. Alma de sent. excom.*

2291 *Cap. XII.* Quoniam.

EPiscopi vbique possunt vti altari portatili, vt in eo quotidie celebrent, vel celebrare faciant, vbi illis permittitur, modò seruent interdictum: quia eos non decet absque causa rationabili transire aliquem diem sine missa.

Glos. Eandem indulgentiam habent fratres Minores, & Prædicatores. *c. in his eod.* Item hac Episcopi possunt vti, sine licentia ordinarij loci vel Parochi, absque tamen præiudicio iuris parochialis. Item Episcopus habet indulgentias, quam vide. *c. quod non nullis, eod.*

eod. c. vlt. de pænit. & rem. c. 2. de off. deleg. in 6. c. quia periculum de sent. excom. c. fin. de iuram. calum c. dignum. de celebr. miss. An Episcopus possit hanc indulgentiam concedere alijs, vide *cap. in his, eodem.*

CLEMENTIN. LIB. V.
DE PRIVILEGIIS, ET EXCESSIBVS priuilegiatorum.

2292 *Cap.* Religiosi.

Religiosus, qui sine speciali licentia Parochi præsumit ministrare sacramentum extremæ vnctionis, matrimonia solemnizare, & Eucharistiam, siue clericis, siue laicis deferre. Item Religiosus, qui præsumit absoluere excommunicatos à Canone, vel à sententijs per statuta Prouincialia, aut synodalia promulgatis, exceptis casibus in iure expressis, vel per priuilegia Sedis Apostolicæ concessis; est excõmunicatus, & reseruatus Sedis Apostolicæ. quę ordinarius postquam ei hoc constiterit faciat publice nunciare esse excommunicatum, donec de absolutione facta sit fides, nullo super hoc suffragante priuilegio exemptionis, vel alio. Excipitur, quando Ecclesia Romana concesserit, vt Religiosi suis familiaribus domesticis, vel pauperibus in suo Hospitali possent ministrare sacramenta, quia tunc nullum præiudicium eis generatur. Item sub præcepto obedientiæ inhibetur religiosis, ne in suis sermonibus Ecclesiarum Prælatis detrahant, nec laicos retrahant ab accessu ac frequentia suarum Ecclesiarum, nec pronuncient Indulgentias indiscretas, & non concessas; nec quando intersunt testamentis condendis, retrahant testatores à debitis restitutionibus, vel legatis matricibus Ecclesijs faciendis; nec legata, vel debita, vel ablata incerta sibi, aut alijs singularibus sui ordinis fratribus, vel conuentibus in aliorum præiudicium fieri, seù erogari procurent; nec quemque absoluere à casibus reseruatis Sedis Apostolicæ, vel locorum ordinarijs præsumant; nec personas Ecclesiasticas præsertim coram iudicibus delegatis à Papa suam contra eos iustitiam prosequentes præsumant vexare indebitè, aut ad plura loca præsertim remota conuenire. Et qui contra prædicta præsumpserint attentare, subiaceant illis pœnis per duos menses, quæ per eorum regulam, vel statuta consueuerunt imponi pro grauibus criminibus, vel culpis, super quibus non possit dispensari sine manifesta necessitate. Item eorum prælati si requisiti super his, quæ

quæ ad ipsos peruenerunt, non satisfecerint plenè infra mensem Ecclesijs, vel personis Ecclesiasticis damnificatis, vel læsis, sint suspensi eo ipso, donec debite satisfaciant, non obstante quocumque priuilegio sub quocumque tenore.

Glos. An hoc caput, cum non includat clericos sæculares, sed religiosos, includat etiam religiosos, qui præsunt Ecclesijs parochialibus, quoad nō suos, parochianos dubium est: vide *c. 1. de decim.* Item solemnizare matrimonium, est solemniter benedicere. Item Religiosus potest credere parochiano dicenti se habere talē licentiam à suo parocho. *c. placuit de pœn. in 6.* Secus de ordinandis à non suo Episcopo. *cap. 1. & 2. de temp. ord. in 6.* Sed qui dicit se absolutum, creditur ei in foro coscientiæ, non in foro fori. Item quoad sæculares mercenarios, & similes Parochus erit, in cuius parochia habitant. *c. omnis de pœnit. & rem.* Item hanc licentiam potest dare parochus, qui nondum est presbyter, vel Vicarius generalis habens curam. *c. cum ex eo de cler. in 6. c. cupientes de pœn.* potest etiam diœcesanus, quia tota diœcesis est eius parochia. *c. 2. de pœn. & rem. in 6.* An in licentia specificatio debeat esse de solo sacramento ministrando, vel etiam de persona, cui ministratur, vel quæ ministrat. Resp. consulendum esset, quod de omnibus, sed in rigore sufficeret primum. Item concionatores possunt in genere reprehendere Prælatos, sed non nominatim, nec circumloquendo.

2293 *Cap.* Archiepiscopo.

ARchiepiscopus transiens, vel declinans ad loca exempta suæ prouinciæ potest liberè ante se portare Crucem, benedicere populo, audire priuatim, vel publicè diuina officia etiam in Pontificalibus, celebrare, vel facere celebrare in sua præsentia sine Pontificalibus, non obstante quouis contrario priuilegio. Item Episcopus in locis exemptis suæ diœcesis potest populo benedicere, audire diuina officia, & ea celebrare, vel in sua præsentia facere celebrare: per hoc tamen in locis exemptis, vel priuilegiatis nullam aliam iurisdictionem exerceat, nec personis exemptis molestiam, vel grauamen inferat, nec in alio præiudicetur exemptioni priuilegium, nec quomodolibet acquirat ius.

Glos. Benedictio solemnis fit per hęc verba, *sit nomen Domini, &c.* Abbates ex priuilegio, & Archiepiscopus potest vti pallio in loco priuilegiato, sed non extra suam prouinciam, etiam de licentia Ordinarij loci; secus de Episcopo in Pontificalibus.

EXTRAVAG. IOAN. XXII.
DE PRIVILEGIIS. Tit. II.

2294 *Cap.* Ad nostri.

ANnullat priuilegia omnia Principum, & Communitatum in cāpania,& maritima ecclesiastica receptādi bannitos impunè.

EXTRAV. COMM. LIB. V.
DE PRIVILEGIIS.

2295 *Cap.* Inter cunctas. *Benedictus ix.*

FRatres Minores, & Prædicatores possunt prædicare in suis ecclesijs, & in publicis plateis non petita licentia Episcoporum, sed in hora, in qua Episcopus concionatur, vel coram se faciat prædicari, non prædicent sine licentia Episcopi, vel in studijs generalibus; non autem prædicent, quando Episcopus vrgente necessitate ad se conuocat populum. Item in parochialibus non prædicent inuitis parochis,nisi iussi à Superioribus eorundem. Item electi à suis Superioribus præsententur,& libere audiant confessionem; non autem religiosorum, qui suis Prælatis tenentur confiteri, nec excommunicatorum, nec criminosorum, quorum crimina egent publica pœnitentia,nec absoluant à casibus reseruatis Episcopis. Item Religiosi possunt sepelire mortuos; & de funeralibus, & quarta disponitur, & de quibus non soluitur falcidia, canonica portio, &c.

Glos. Hæc Extrauagans est reuocata per *Clem.2. de sepult.* non tamen in omnibus. Vide etiam *Extrauag. vices illius, de treuga, & pace.*

2296 *Cap.* Meruit. *Clem.V.*

QVoad Regem Francorum,& Galliæ tollitur *c.vnam sanctam de maior. & obed.* ita vt per eam non plus subijciatur Ecclesiæ Romanæ, quam prius.

2297 *Cap.* Diuina. *Eugen.ix.*

ORdinarij, vel alij Superiores non procedant, nec excommunicare,suspendere,interdicere, vel priuare officio,vel beneficio, vel aliam sententiam ferre præsumant contra officiales pro tempore existentes in obsequijs Papæ, vel Sedis Apostolicæ, nec contra alios

alios venientes ad Sedem Apoſtolicam pro ſuis, vel eorum cauſis proſequendis; nec in ea morantes, dum durat proſecutio cauſarum, vel ab ea recedentes. & ſi quæ attentant contra, ſunt irrita; & ſi quomodolibet priuant, vel priuatos declarant beneficijs, vel illa alijs conferunt, vel ad hoc ſe intromittunt, tam dantes, quam recipientes ipſo facto ſunt excommunicati, ſuſpenſi, & interdicti, non obſtantibus quibuſcũque priuilegijs, vel Concilijs etiã generalibus.

2298 *Cap.* Exhibitas. ***Ioan. xxij.***

MIlites Hoſpitalarij S. Ioan. qui ex priuilegio, conſuetudine, vel ſtatuto percipiunt fructus annales beneficiorum vacantium, vel plurium annorum, debent etiam habere præbendã, quam beneficiarius haberet; ſi reſideret in illa Eccleſia, vel quam haberent, ſi ex cauſa excuſante non reſideret, & quæ nõ accreſceret Capitulo.

DECRETALIVM LIB. V.

DE PVRGATIONE CANONICA.
Tit. XXXIV.

2299 *Cap. I.* Nobilis.

SI vir nobilis, vel ingenuus, ideſt natus liber accuſatus de crimine negat, deficiente accuſatore, ſi ipſe eſt dignus fide, purget ſe cum duodecim ingenuis viris; ſi verò prius fuerat deprehenſus in furto, vel periurio, vel falſo teſtamento, non admittitur ad iuramentum, ſed ei tanquam non ingenuo indicitur purgatio canonica.

Gloſ. Numerus compurgatorum eſt ad arbitrium iudicis; & ſic non neceſſario requiruntur duodecim. ***cap. ex tuarum, eod.*** Item per ingreſſum Religionis perditur nobilitas.

2300 *Cap. II.* Si quis presbyter.

SI presbyter male viuat, & infametur, Epiſcopus cogat populum manifeſtare infamiam presbyteri: & ſi deſunt accuſatores, Epiſcopus primo admoneat presbyterũ ſeorſum, ſecundo ſub duobus, tione. Et ... etſi non ſe corrigit, admoneat publica increpa- ſatisfactionem, ne in populo ... endat ab officio, vſque ad dignam

Cap.

2301 *Cap. III.* Moniales.

SI accuſentur eſſe libidinoſæ, & hoc probari non poteſt, cogantur purgare ſuam famam canonicè ſecundum regulam.

2302 *Cap. IV.* Si quis de gradu.

SI probatur manifeſtè, vt quia eſt conuictus, vel confeſſus manifeſtè clericum conſenſiſſe, vel interueniſſe in raptu ſponſarum, repellitur à proprio gradu: ſi non probatur, ſed eſt veriſimilis ſuſpicio, canonice ſe purget.

2303 *Cap. V.* Quoties. *Innoc.iij.*

QVando v. g. Epiſcopus accuſatus de ſimonia, & accuſatores non probant, accuſatus debet ſe purgare cum tertia manu ſui Ordinis, & quarta Abbatum, & Religioſorum ſacerdotum. Forma purgationis ſeruanda eſt hæc: Epiſcopus iuret ſuper ſancta Dei Euangelia, quod pro Eccleſia ſancti Petri presbytero danda, nihil per ſe, vel per alium accepit, nec aliquis eo ſciente accepit: compurgatores ſuper ſancta Dei Euangelia iurent, quod credunt eum verum dicere.

Gloſ. De hoc *c.vlt.eod.* Item ceſſante accuſatore, ſi accuſatus remanet infamatus, debet ſe purgare, vt in cauſa prima. Item an plures poſſint accuſare de eodem crimine.

2304 *Cap. VI.* Nos inter alios. *Alex.iij.*

EPiſcopus poteſt compellere ſuum parochianum laborantem infamia de aliquo crimine publico deficiente accuſatore, & teſtibus, ſi non appellat: quia ſi appellat, iudex appellationis iudicabit.

Gloſ. Non poteſt de quolibet crimine, ſed de Eccleſiaſtico, vt de hæreſi, adulterio, inceſtu, vel niſi habeat iuriſdictionem temporalem. Item cauſa appellationis debet eſſe iuſta, vt ſi Epiſcopus excedit modum in purgatione, vel alias eum grauat, aliter non admittitur appellatio.

2305 *Cap. VII.* Cum.

PVrgatores debent eſſe honeſti, & bonæ opinionis, & quod probatur nolint deierare amore, odio, pecunijs, & cognoſcant vitam, & conuerſationem illius, qui purgatur. Item qui [illegible] recepurgatione, eſt priuandus omni officio & [illegible]iam, vel indignapit purgationem, non [illegible] permittere impediri compurgatores.

Gloſ.

Glos. Qui deficit in purgatione, habetur pro conuicto, cuius pœna est priuatio officij, & beneficij.

2306 *Cap. VIII.* Ex litterarum. *Lucius iij.*

INfamatus, qui se purgauit purgatione vulgari, idest iudicio aquæ frigidæ, & ideo liberatus, potest de nouo indici purgatio canonica tali infamato, licet idonei accusatores non appareant, idest vt cum septima, vel quinta manu sui Ordinis ostendat suam innocentiam; quod si fecerit, est absoluendus à suspensione, & infamia, non obstante contradictione, vel oppositione alicuius.

Glos. Per enormitatem delicti statim quis suspenditur ab officio, vel beneficio. *c. inter, eod.* Item purgatio vulgaris, vt candentis ferri, duelli, panis, & casei, est prohibita, & habetur pro non præstita. *Tit.35.per totum.* Item sicut purgatio prohibita non facit fidem, sic iurans aliter, quam debet, debet de nouo iurare. Item ex eo, quod quis vocatur ad extraordinarium iudicem, non interrumpitur præscriptio. An post purgationem possit accusari de eodem crimine, Vide.

2307 *Cap. IX.* Constitutus.

COmpurgatores satis est, si sint ab Ecclesia tolerati, & bonæ famæ in suis Ordinibus ministrantes, nec in iudicio pro crimine condemnati; & si secundum propriam conscientiam, & opinionem iurent quod purgandus sit immunis à crimine, nec est inquirendum, vel facienda indagatio de his sicut de ordinandis.

Glos. Non sunt stricte examinandi, sicut alij testes.

2308 *Cap. X.* Inter sollicitudines. *Innoc.iij.*

LIcet secundum Canones infamatus sit suspendendus ab officio, donec se purget, tamen propter enormitatem criminis, v. g. hæresis, potest suspendi ab officio, & beneficio etiam nullo accusante: sed ex sola fama potest Episcopus ex officio suo accipere testes contra ipsum, & augetur numerus purgantium. post purgationem ab hæresi restituitur beneficium, sed suspenditur ab officio in pœnam, donec cesset scandalum, & faciat actus contrarios hæreticis. Sed si deficit in purgatione, habeatur conuictus, deponatur ab officio, & beneficio, & detrudatur in Monasterium ad agendam pœnitentiam.

Glos. Qui sit modus indicendi purgationem seruandus, vide ibi. Itē hæreticus conuictus traditur Curiæ seculari, nō si præsumptiue.

Cap.

2309 *Cap. XI.* Cum dilectus.

COmpurgatores admittendi debent esse personæ vicinæ, & honestæ.

Glos. Idest toleratæ ab Ecclesia, nec condemnatæ de crimine.

2310 *Cap. XII.* Cum in iuuentute.

QVando infamia alicuius non est nota ex probabilibus coniecturis, non est necessario indicenda purgatio, potest tamen indici ad instantiam purgandi.

2311 *Cap. XIII.* De testibus.

COmpurgatores, si iurent hoc solum, quod credunt eum dicere veritatem, sufficit.

2312 *Cap. XIV.* Accedens.

INfamatus publicè in defectu natalium, nec potest legitimè constare, recipiatur purgatio, & non ordinetur: quia etsi non sit nota delicti, est tamen nota impedimenti ordinum sacrorum.

Glos. Negatiua, v.g. quod aliquis non sit filius sacerdotis, non potest probari directè, sed indirectè, idest probando quod sit filius talis laici, & vxoris eiusdem, quam pro legitima habebat, & hoc erat publicum. Item eo ipso, quod quis probat se filium vxoris tuæ, quam tu tenes pro vxore, probabit se esse filium tuum. Item purgatur quis non solum à crimine, sed etiam ab irregularitate, & laici se purgant. *c. nos inter, & moniales eod.*

2313 *Cap. XV.* Cum dilectis filijs.

QVando crimen est notorium, vt cælari non possit, non est indicenda purgatio, sed condemnatio. Item iudicio pendente coram iudicibus delegatis Papæ non debet ordinarius purgationē indicere infamato: & si purgauit, purgatio non valet, sed est purgandus à delegato Papæ, si contra infamatū non apparet accusator.

Glos. Si iuris ordo est de substantia iudicij, & non seruatur, sententia non tenet: si non est de substantia, tenet, nisi releuetur per appellationem. Item purgatio indicta à non suo iudice non valet.

2314 *Cap. XVI.* Accepimus.

QVando prælatus, vt Archiepiscopus, est infamatus de criminibus, & vult se purgare, debet hoc modo, & forma iurare secundum sanum intellectum, idest illa crimina, de quibus est infamatus.

matus, vt simoniam, venditionem iustitiæ, incontinentiam, iuret se non commisisse postquam fuit Archiepiscopus, & compurgatores iurent se credere eum verum iurasse: & non sufficit, nec debet iurare quod sit immunis ab illis criminibus, de quibus est infamatus, quia non tenetur iurare de tota sua vita, nec debet iurare quod sit immunis, intelligendo, quod sint remissa per pœnitentiam iam factam, quia temerarium esset.

DECRETALIVM LIB. V.
DE PVRGATIONE VVLGARI.
Tit. XXXV.

2315 *Cap.* Cura suscepti. *Cælest.iij.*

IN nullo casu debet tolerari purgatio vulgaris, vt per duellum. *Glos.* Hæc purgatio fuit inuenta fabricante Diabolo, & est tentare Deum, ideo reprobatur. Excipitur aliquis instinctus Spiritus Sancti. *vide glos. At cum Dauid.*

2316 *Cap.* Significantibus. *Innoc.iij.*

IDem quod supra: & sententia lata ex tali purgatione est nulla, & non liberat, nec condemnat.

2317 *Cap.* Dilecti filij. *Honor.iij.*

INterdicitur sub censura purgatio vulgaris candentis ferri, quia est tentare Deum.

DECRETALIVM LIB. V.
DE INIVRIIS, ET DAMNO DATO.
Tit. XXXVI.

2318 *Cap.* Si rixati.

QVando quis in rixa alterum percutit, & ideo iacet in lecto, sed non moritur, percutiens soluat operas, & expensas. *Glos.* Hæc quinque cap. sunt sumpta ex Exodo. c.21. & 22. Item non habetur ratio de deformitate corporis, quia corpus liberum

liberum non petit æſtimationem : tamen ſi liber homo perijt, condemnabitur occidens in 50.aureis. *l. 1. §. ſed cum liber homo ff. de his, qui deiec. vel effu.*

2319 *Cap. II.* Si quis.

QVi fodit foueam, vel ciſternam, & relinquit apertam, & in eam cadit bos, &c. dominus ciſternæ ſoluat pretium, & accipiat ſibi cadauer.

Gloſ. Si fouea erat in publico, ſecus verò in loco priuato, vbi conſueuerunt fieri.

2320 *Cap. III.* Si bos alienus.

SI bos erat cornupeta, & non cuſtoditus, & alium bouem interfecit, reddat dominus illius bouem, & accipiat cadauer.

Gloſ. Secus quando bos occiſus eſt prius aggreſſus occidentem; vel ſi dubium eſt, quis prior.

2321 *Cap. IV.* Si læſerit.

QVi dimittit ſuum iumentum, vt depaſcatur in aliena vinea, vel agro, ſoluat æſtimationem damni.

2322 *Cap. V.* Si egreſſus.

QVi incendit ſuum campum, & egreſſus ignis combuſſit alienas ſegetes, ſoluat damnum.

Gloſ. Si fuit in culpa, vt quia venerit in tempore ventoſo, nec adhibuit omnem diligentiam; ſecus non tenetur. *c. vlt. eod.*

2323 *Cap. VI.* Si quis domum.

SI quis domum alicuius incenderit, ſoluat totum damnum, & pœniteat per tres annos.

2324 *Cap. VII.* Olim. *Honor. iij.*

SEcularis poteſtas, quæ clericum in bannum mittit, eſt condemnanda ſecundum æſtimationem iniuriæ in expenſis, & damnis ſecundũ iniuriam illatam, quia facit contra libertatem eccleſiaſticã.

Gloſ. Lite non conteſtata proceſſus factus non valet, vt *hic*. & *c. accedens, vt lit. non conteſt.* Item bannum contra clericum, vel libertatem Eccleſiaſticam non tenet, eſt ſacrilegum. Vide *Clem. de pœnis.*

Cap.

2325 *Cap. VIII.* In nostra. *Greg.ix.*

STatutum etiam iuratum de non petendo, vel recipiendo restaurationes damnorum, non extenditur ad expensas, quæ non obstante iuramento sunt soluendæ ad arbitrium iudicis.

Glos. Damnum multiplex vide.

2326 *Cap. IX.* Si culpa tua.

QVando culpa alicuius datur damnum, vel irrogatur iniuria, vel auxilium datur irrogantibus iniuriam, vel hæc euenerunt imperitia eius, vel negligentia, tenetur ille satisfacere: nec excusat ignorantia, si scire debuit ex suo facto posse verisimiliter contingere iniuriam, vel iacturam. Item si tua animalia nocuerunt alicui, teneris satisface, nisi des animalia passo damnum. Verum si animalia erant ferocia, & quæ consueuerunt nocere, nec adhibuisti diligentiam, quam debebas, non te liberas dando animalia. Item licèt, qui causam damni dat, damnum dedisse videtur; tamen secus est in eo, qui adhibuit omnem diligentiam, quam debebat, ne contigeret.

Glos. Ad hoc, vt aliquis teneatur resarcire damnum vel iniuriam, debet interuenisse culpa, alioquin non tenetur: & sic infantes, furiosi si damnificant non tenentur; qui ad sui defensionem, & incontinenti damnum dat eodem modo, si nè culpa non tenetur; sed si adesset leuissima culpa, teneretur. Item pubes, doli capax, si cum culpa, tenetur. Item loquitur de imperitia, quæ annumeratur culpæ.

IN SEXTO LIB. V.
DE INIVRIIS, ET DAMNO DATO.
Tit. VIII.

2327 *Cap.* Et si pignorationes. *Greg.x.*

REpresalia, quibus vnus pro alio grauatur, sunt legibus, & iuri naturali contraria, & sunt prohibita: in legibus tamen si concedantur, non extenduntur ad personas Ecclesiasticas, vel bona ipsorum, non obstante consuetudine contraria, quæ potius est corruptela: & qui hæc concedunt, vel extendunt contra prædictas personas, si intra mensem non reuocant, si sunt personæ singulares, sunt excommunicati; si vniuersales, sunt interdicti.

DECRE-

DECRETALIVM LIB. V.

DE POENIS. Tit. XXXVII.

2328 Cap. I. Ea quæ. *Conc. Tolet.*
Delinquens quoties reiterat delictum, toties est puniendus.

2329 *Cap. II.* Presbyter. *Conc. Triburt.*
QVi interficit prebyterum, componatur, & soluat Episcopo presbyteri, qui tribuat dimidiam partem in vtilitatē Ecclesiæ, cui presbyter prefuit, alterā det in eleemosynam pro anima mortui.
Glos. Hæc compositio, per legem lombardam est 600. solidorum. Item Episcopus non debet sibi accipere pœnas pecuniarias, sed debet Ecclesiæ, vel pauperibus; & ideò videtur non posse illas remittere.

2330 *Cap. III.* Licet iusta. *Alex. iij.*
ARchidiaconi pro corrigendis excessibus, & peccatis non exigant pecuniam à clericis, vel à laicis. Item pro annua exactione nō suspendant personas, nec ecclesias interdicant, nec exigant pecunias, vt in Ecclesijs Vicarios cantare permittant, nec similia agant, quæ ex radice auaritiæ prodeunt: & si præsumperint contra facere, sunt excommunicandi cessante appellatione.
Glos. Loquitur de Archidiaconis, qui non possunt dispensare super crimine, & nec commutare pœnas. Idem de alijs prælatis, qui non possunt mutare pœnas iuris; secus quando est arbitraria.

2331 *Cap. IV.* Calumniam.
IN causis pecuniarijs, victus condemnatur in expensis victoris, quando sententia fertur, pro presenti, secus quando pro absenti.
Glos. Præter expensas punitur de calumnia, quia infamis efficitur. *c. finem de dol. & cont.*

2332 *Cap. V.* Quod in dubijs. *Innoc. iij.*
SAcerdotes, qui gubernant naues ad pugnam, vel qui personaliter exercent conflictum, vel qui alios incitant ad pugnandum, enormiter peccant, & de rigore iuris sunt deponendi.
Glos. Qui incitant in bello iniusto, secus si in bello iusto. Item homicida est non solum, qui interficit, sed qui incitat ad interficiendum.

Cap.

2333 *Cap. VI.* Tuæ diſcretionis.

CLericus deprehenſus in magnis ſceleribus, vt in latrocinijs, debet degradari ab ordine, & detrudi in arctum monaſterium ad agendam pœnitentiam.

Gloſ. Non ſufficit ſi ſint deprehenſi; ſed debent eſſe conuicti, vel factum ſit per euidentiam notorium. *c.vlt.de cohab. cler. & mul.* & deprehenſio debet fieri auctoritate Prælati. *c.cum non ab homine de iud.* nec violentia ſe extendat vltra quod exigit defenſio clericorum, alioquin ſunt excommunicati. *c.fama de ſent. exc.*

2334 *Cap. VII.* Conſtiturus.

QVando duo contrahunt contractum aliquem inter ſe, & apponunt pœnam contra non obſeruantem, ſi vtraque pars non obſeruat, vtraque pars incurrit pœnam, ſed fit compenſatio pœnarum.

Gloſ. Vide. *c.conſtitutus de Relig. domib.*

2335 *Cap. VIII.* Super his.

TEſtis, qui variat, vel vacillat etiam coram Papa, & ideo incarceratur, non illico fit infamis.

Gloſ. Genus pœnæ non infamat, niſi præcedat ſententia. an verò carcer ſit pœna, vide *c.quamuis eod.in 6.*

2336 *Cap. IX.* Suam ad nos.

QVi condemnatus eſt ſoluere certam ſummam, v.g. quatuor, certo loco, & termino, ſub pœna ſoluendi alia triginta; ſi in illo vero termino ſoluit aliquam partem, & non totam ſummam, v.g. triginta non tenetur ſoluere totam pœnam.

Gloſ. Sed pro rata, v. g. decem. Item licet de rigore iuris, qui ſoluit partem, & non totum debitum, committat in totum, pœna tamen hic temperatur: ſed quando ſit tota ſoluenda, vide ibi. Item, an Eccleſiaſtica perſona poſſit exigere pœnam, vide *c. dilecti filij de arbitr.*

2337 *Cap. X.* Ad aures.

QVi occidunt prælatum ſuum priuantur beneficijs, & feudis, quæ habentur ab illa Eccleſia, in qua erat prælatus; & nec ipſi, nec hæredes poſſunt habere eadem beneficia, vel alia quælibet de nouo.

Gloſ. Etiam illorum omnia bona traduntur Eccleſiæ illi, cui facta

est iniuria. *c. si quis de incæpto*, 17, *quest.* 4. & excommunicantur *ibid. c. si quis suadente*. Sunt aliæ pœnæ, vt in *c. prox. eod.* & si iterum aliqui interficiunt suum Episcopum, priuantur Episcopo. *cap. ita nos*, 25. *q.* 2.

2338 *Cap. XI.* Dilectus.

SI constat, quod litigator temerè præsumat contra assertionem iudicis, puniatur arbitrio Superioris.

Glos. Idest cum contradicit miscendo iudicis contumelias. *c. quos contra falsam, de prob. c. de causis, de off. deleg.*

2339 *Cap. XII.* In quibusdam.

PAtroni, Aduocati, vicedomini super prouidendis ecclesijs, vel earum possessionibus, & bonis non plus sibi vsurpent, quam iure permissum est: & si secus, compellantur per censuram ecclesiasticam. Item si per se, vel per alios præsumpserint occidere rectorem, vel aliquem clericum ipsius ecclesiæ, amittant iuspatronatus, aduocatiam, feudum, vicedominatum, beneficium; & de præmissis nihil perueniat ad hęredes, & posteri taliũ vsque ad quartam generationem non admittantur in Collegium clericorum, nec in domibus regularium assequantur honorem alicuius prælationis, nisi cùm eis fuerit dispensatum.

Glos. Hæredes debent descendere per lineam rectam vsque ad quartum gradum. Item ingressus Religionis tollit irregularitatem. *cap. 1. de fil. presbyt.* sed vide *cap. 2. de apost.* Item Episcopus potest dispensare.

2340 *Cap. XIII.* Grauem. *Honor. iij.*

Trid. sess. 25. Ref. c. 3

QVi contemnit, & sordescit in excommunicatione, v.g. per duos annos, idest cum scrupulo hæresis, est suspectus de hæresi: sed si est Comes, propter eius nobilitatem, si non vult parere iuri, absoluuntur Ecclesiæ à iure debito illi, & subditi denuntiantur absoluti à iuramento fidelitatis, quamdiù remanet in excommunicatione.

Glos. Qui propter contumaciam excommunicatur, siue per annum, siue per plures steterit in excommunicatione, non habetur vt hæreticus; sed alias contra eum proceditur. Qui verò excommunicatur propter suspicionem hæresis, si per annum steterit in excommunicatione, postea habetur tanquam hæreticus. *c. excommunicauimus, de hæret. c. eam quæ, de stat. reg.* Item mitius punitur nobilis, quam ignobilis; & in beneficijs magis est prouidendum nobilitati. *c. satisfaciendi*, 86. *dist.*

IN

IN SEXTO LIB. V.
DE POENIS. Tit. IX.

2341 *Cap.*[1] Romana. *Innoc.iv.*

ARchiepiſcopus,vel Metropolitanus poteſt punire percutientes ſe, vel ſuos nuncios, vel familiam ſuam, dum viſitat prouinciam, vel ſuos ad viſitandum dirigit, vel dum concilium conuocat, vel iuriſdictionem exercet, dummodo iniuria illata ſit notoria, & manifeſta, ſiue per has iniurias impediatur ſua iuriſdictio.

Gloſ. Quæ poſſit Archiepiſcopus in Diœceſi ſui ſuffraganei, *in c.1.de off.deleg. c Romanæ,de cenſib. in 6.c.vlt.eod.* Item poteſt punire iniurias etiam occultas,dummodo de illis conſtare poſſit. Item iniuria debet tangere eccleſiam, vel publicam vtilitatem.

2342 *Cap.* Degradatio qualiter. *Bonif.viij.*

DEſcribitur modus degradandi, ideſt, vt fiat ab Epiſcopo exiſtente cum ordinibus clericorum,cum certo numero clericorum ſecundum Canones, ſi degradandi ſint in ſacris; ſi in minoribus, ſufficit ſolus ordinis quando ſit verbaliter. Si verò ſit realiter, ſue actualiter,hic clericus indutus veſtibus ſacris habens in manibus inſtrumentum ſui ordinis, ſiſtatur coram Epiſcopo,qui ſingulatim ab eo auferat veſtes, & inſignia,incipiendo ab vltimo quod habuit in vltimo ordine vſque ad veſtem primæ tonſuræ, & tondatur tonſura, vt in eo non remaneant veſtigia clericatus, vtendo verbis oppoſitis illis ordinationis.

Gloſ. Hodie quomodo ſit degradandus, vide Conc. Trid. *ſeſſ.19. c.4. & c.1.de hæreticis in 6. c.nouimus,de verb.ſign.*

2343 *Cap.* Quamuis.

LIcet carcer ſit inuentus ſpecialiter ad cuſtodiam, tamen conuictis, vel confeſſio de criminibus poteſt dari in pœnam in perpetuum, vel ad tempus ad arbitrium, penſatis exceſſibus, perſonis, & circumſtantijs.

Gloſ. Hæc ſunt de iure canonico, quia eccleſiaſticus iudex non poteſt punire pœna ſanguinis. Item & quilibet iudex eccleſiaſticus habens merum imperium poteſt imponere hanc pœnam. Item ſi exprimatur, an in perpetuum, vel ad tempus, ſtabitur expreſſo; ſi nihil exprimitur,ſed ſimpliciter dãnatur,intelligitur in perpetuum, & non temporaliter damnatus. Item in carcere quoad cuſtodiam non debet fieri mixtio ſexuum.

2344 *Cap.* Vbicumque.

POena impoſita alicui, & eius filijs, vel poſteris vſque ad certam generationem non extenditur ad deſcendentes ex linea fœminea, ſed tantum ex maſculina, niſi aliud in iure, vel ſententia ſit expreſſum, ſiue ſit à iure, ſiue ab homine.

Gloſ. An qui accipit filiam damnati vſque ad quartum gradum etiam in linea fœminina, eius filij ſint damnati? Reſp. ſi ſcienter accepit, ſunt damnati; ſi ignoranter, ignorãtia facti excuſat, iuris non.

2345 *Cap.* Felicis recordationis.

QVi Cardinalem hoſtiliter inſequitur, percutit, capit, vel hæc facientis, vel fieri mandantis eſt ſocius, vel ratum habet, vel conſulit, vel fauet, aut poſtea recipit, vel ſcienter defendit; ſit reus læſæ maieſtatis, perpetuo infamis, diffidatus, bannitus; non poteſt teſtari, nec ſuccedere etiam ab inteſtato; eius ædificia dentur in ruinam, nullo tempore reparanda; nullus ei tenetur reddere debitum, vel reſpondere in iudicio; eius bona applicentur fiſco; ſit ipſo facto priuatus omni feudo, gubernatione, beneficio eccleſiaſtico, de quibus rector eccleſiæ diſponat. Eius deſcendentes per tertiam lineam priuantur beneficijs, ſine ſpe aſcenſionis ad dignitates, regimen, honores etiam mundanos; non ſunt apti ad ordines, nec ad teſtificandum, nec ad actus legitimos: & prædictus ſit excommunicatus, & ſingulis feſtis, vt talis publicetur, dum eſt contumax, nec abſoluatur niſi à Papa præmiſſis fuſtigationibus in nudo ad cautelam, & vltra mare relegetur ad triremes. Item qui fuit ſimpliciter conſiliarius, vel fautor, iudex eum pro qualitate culpæ caſtiget. Item prædictæ pœnæ poſſunt extendi ad collaterales nepotes, per Papam. Item qui offendit familiares Papæ, vel Cardinalis, imponatur pœna pro qualitate culpæ. Item contra occidentem Cardinales, vel dantem cauſam mortis acrius inſurgatur, etiam à laicis; & ſeculares, qui non faciunt hæc obſeruari intra menſem, ſint excommunicati, & eorum Ciuitas priuatur Pontificalibus, & eſt interdicta.

Gloſ. Vide *Clem. de pœnit. & ſi quis ſuadente diabolo.*

CLEMENTIN. LIB. V.

DE POENIS. Tit. VIII.

2346 *Cap.* Si quis ſuadente diabolo.

QVaſi paruis mutatis extẽdit præcedens *c. fel. recor. in 6.* ad perſequentes, & capientes Epiſcopos; & addit alias pœnas, quas vide;

vide; & declarat, quod in articulo mortis soluantur ab excommunicatione cum reincidentia, nisi quamcitò commodè possit se præsentent Romano Pontifici.

Glos. Lege *c. eos qui, de sent. excomm. in 6.*

2347 *Cap.* Multorum.

QVi capiunt, & detinent personas ecclesiasticas, vt resignent sua beneficia, vel ne citati vadant ad Curiam, præter pœnam *Can. si quis suadente,* 17. *q.* 4. & aliorum Can. si sunt Prælati, non possunt percipere fructus per triennium; si inferiores, sunt priuati beneficijs. Eandem pœnam incurrunt, qui citati non veniunt ad Sedem Apostolicam, & procurant se capi à potestate seculari. Item resignationes modo prædicto extortæ, licet sint receptæ, & ratæ habitæ à Prælato resignantium, declarantur esse nullæ. Item Prælati vbi sciuerint aliquem incurrisse tales pœnas, statim illum publicent, & curent, vt pœnæ mandentur executioni, prout ad eos pertinet.

2348 *Cap.* Cupientes.

REgulares mendicantes, qui domos, vel loca de nouo accipiunt, vel recepta mutant, vel ea alienant in alios vltra pœnas *c. vn. de excess. prælat. in 6.* sunt etiam excommunicati ipso facto. Similiter, qui præsumunt proferre aliqua in suis sermonibus, vel alibi, vt audientes retrahant à soluendis decimis, sunt excommunicati. Item si requisiti à rectoribus ecclesiarum in certis diebus festiuis, quando prædicant, vel in confessionibus audiendis populum non instruunt, vel non conscientiam faciunt, vt non omittant soluere decimas, vltra pecc. mort. grauiter arguantur à suis superioribus, & superiores eorum sub pœna pecc. mort. faciant statuta pœnalia contra huiusmodi prædicantes, ita vt pœna acris sit in exemplum alijs. Item Religiosi, qui scienter postponunt conscientiam facere de soluendis decimis, ipso facto tamdiu sunt suspensi ab officio prædicandi, donec si commodè facultatem dicendi habuerint, fecerint conscientiam pęnitentibus; & si prædicta negligentia non purgata præsumpserit prædicare, sunt ipso facto excommunicati. Item hæc constitutio non extenditur ad Religiosos monasteriorum, & Rectores ecclesiarum percipientium decimas, salua in suo robore constitutione Greg. IX. sub hoc edita, vt habetur *c. 1. de decimis in 6.* Item excommunicantur Religiosi, & Clerici seculares, qui ad vouendum, iurandum, promittendum inducunt homines, vt eligant sepulturam in eorum ecclesijs, vel electam non mutent. *c. 2. de sepult. in 6.*

Trid. sess. 25. c. 2.

& relinquit illas pœnas: excommunicatio reseruatur Papæ, reuocantur priuilegia.

Glos. Numerat suspensiones multiplices cum suis iuribus, quæ vide ibi: vt suspensio aliqua est à communione fratrum simpliciter, vel ad duos menses, vel ad fratres non suæ ecclesiæ, vel à communione ecclesiæ donec pœniteat, ab oblatione altaris, à perceptione sacramentorum, à consecratione Episcoporum simpliciter, vel per annum, à collatione omnium ordinum simpliciter, vel ad annum, vel triennium, vel certorum ordinum tantum, vel primæ tonsuræ tantum, ab executione ordinum simpliciter, vel certi ordinis tantum simpliciter, vel ad tempus: à Pontificalibus tantum: ab officio sacerdotali, vel non à toto, sed à celebratione Missæ ad duos menses, vel annum, vel duos annos; ab ingressu ecclesiæ simpliciter, vel ad mensem, vel quousque satisfecerit, ab ingressu, & diuinis per mensem: quid significet ab ingressu *. c. is cui, de sentent. excomm. in 6.* ab officio suspenditur, vel ad annum, vel triennium: à voce Capituli, donec quis ordinetur; à beneficio habito simpliciter, ad sex menses, ad annum, ad triennium, ad incertum tempus, vt quamdiù placuerit, vel quoad partem distributionis tantum; à beneficio obtinendo ad sex menses, annum, biennium; ab officio, & beneficio simpliciter, ad tempus, donec satisfecerint: à priuilegio clericali in persona, vel in rebus: à collatione beneficiorum simpliciter ad annum, vel duos annos: à confirmatione Episcoporum simpliciter, vel ad annum: à confirmatione inferiorum: ab officio aduocationis notoriæ: à collatione magisterij: ab officio prædicandi. An suspensus ab officio sit suspensus à beneficio? sunt quinque opiniones. vide.

EXTRAVAG. IOAN. XXII.

DE POENIS. Tit. XII.

2349 *Cap.* Dierum.

QVi offendunt Doctores, vel officiales prouincię Marchiæ à Comitatu, sunt excommunicati, & incurrunt alias pœnas, quas ferè habes *c. ad aures. c. in quibusdam. c. felicis, eod. in 6.* & *Clem. si quis suaden. eodem.*

EXTRAV. COMM. LIB. V.
DE POENIS.

2350 *Cap*. Diuinis. *Ioan.xxij*.

EPiſcopus Cantuarienſis fuit depoſitus perpetuo, & priuatus pontificali dignitate, ac ſacerdotali, & quolibet alio officio, & ad perpetuum carcerem condemnatus propter ſua ſcelera commiſſa, ſcilicet nimis ambitiosè, & ſimoniace fuerat ingreſſus in Pontificatum, mox in progreſſu Pontificatus, fuit iniurioſus Sedi Apoſtolicæ, quia vilipendit verbo appellationes factas ad Sedem Apoſtolicam, & facto præcepit ſuis, vt illas non curarent; ſed appellantes caperent, ſpoliarent beneficijs; & ſic fregit iuramentum fidelitatis eccleſiæ. Item ſcripſit, vt nonnullis prouideretur de vacaturis beneficijs, eſt abuſus Literis Apoſtolicis. Item tanquam tyrannus terrore iniuria, fraude grauabat ſubditos extorſionibus, & frequentibus procurationibus, & alijs quæſtibus illicitis, non curando de modo, & cauſa. Item non citatos, non conuictos priuabat beneficijs iniuſte: dictauit falſa inſtrumenta, ſimoniacè contulit beneficia in ſuis manibus reſignata, quorum redditus occupabat ſibi, erat irregularis incontinens cum fœminis, &c.

Gloſ. Ex hac doctrina poteſt cognoſci pro quibus exceſſibus Prælatus poteſt deponi: pro quo vide *c. veritatis, de dolo, & cont. c. ex literis. c. tanta eſt clauis, de exceſſ. prælat. & Trid. ſeſſ.* 24. *Ref.* 3.

DECRETALIVM LIB. V.
DE POENITENTIIS, ET REmiſsionibus. Tit. XXXVIII.

2351 *Cap. I*. Manifeſta. *Alex.*

MAnifeſta peccata non ſunt occulta correctione purganda. *Gloſ.* Sed publica, etiam ſi peccata ſint leuia, vt vitetur ſcandalum. Item pœnitentia ſolemnis, vel publica non debet imponi clerico, niſi depoſito. *c. confirmandum, eod.*

2352 *Cap. II.* Qui presbyterum. *Conc.Mag.*

QVi occidit presbyterum, imponitur ei pœnitentia duodecim annorum; & si est conuictus, & miles, careat cingulo militari per totum tempus suæ vitæ, & maneat absque spe coniugij.

Glos. Sex crimina impediunt,& non dirimunt matrimonium contrahendum: incœstus. *cap.1.& 2. de eo,qui cogn.consang. vxor.suæ:* raptor sponsæ alterius. *c.statutum,* 27. *q.3.* qui interficit vxorem suam. *c.admonere,33.q.2.* qui baptizat suum filium,vt separetur ab vxore. *c.de eo,* 30.*q.1.* qui monialem scienter in matrimonio accipit. *c.si ergo,27.q.1. & hic.*

2353 *Cap. III.* Significauit. *Alex.iij.*

QVando quis pro libertate sua se defendit,vel pro Ecclesia pugnat, si multum excedit,& peccat,debet ei imponi pœnitentia arbitraria, & mitis, ne pro asperitate eius, ipse, vel alij retardentur ad defensionem Ecclesiæ.

Glos. Pęnitentiæ sunt arbitrariæ. *c.quæsitum,eod. c.mensuram,de pœnit.eod.* Item libertas est iusta causa pugnandi,si seruetur modus. *c. hortatu. c. omni tempore,23. quæst.vlt.*

2354 *Cap. IV.* Quod autem.

INdulgentiæ concessæ à Prælato, v.g. in dedicatione,vel conferentibus ad fabricam prosunt tantum pro subditis eius.

Glos. Hodie indulgentia concessa pro consecratione ecclesiæ non debet excedere annum: in alijs casibus,non vltra quadraginta dies. *c.cum ex eo, eod.* Item ad quid valeant tales indulgentiæ, seu remissiones, an etiam quoad ecclesiam, vide ibi.

2355 *Cap. V.* Quod quidam.

QVi volunt confiteri, sed nolunt abstinere, licet pœnitentia non sit vera,confessio tamen est accipienda,& monendus est peccator,vt iuuetur.

2356 *Cap. VI.* Licet tam.

QVi debet ex pęnitentia iniuncta ieiunare in pane, & aqua per aliquot dies, & non habet panem, potest vesci leguminibus, piscibus, & alijs cibis non ad delicias, sed ad sustentationem.

2357 *Cap. VII.* Quæsitum. *Cælest.iij.*

SAcerdotibus græcis, quorum filij reperiuntur in lectis mortui oppressi, si ipsis procurantibus, vel negligentibus fuit, imponitur

tur vt perpetuo abſtineant ab altari,& grauior pœnitentia eis,quam laicis imponitur; non tamen publica,ſi delictum non fuit publicum. Si verò ex incuria, eorum filij inueniuntur mortui in cunis, & hoc eſt occultum, imponitur pœnitentia ad arbitrium pœnitentiarij, & in terrorem aliorum abſtineant ad tempus à celebratione Miſſarũ.

Gloſ. Negligentia æquiparatur ſtudioſo peccato, & incuria prima facie præſumitur.

2358 *Cap. VIII.* Eos, qui. *Innoc.iij.*

POenitentia eſt moderanda arbitrio ſacerdotis diſcreti, quam imponet non iuxta quantitatem exceſſus, ſed moderatè, conſiderata contritione pœnitentis,qualitate perſonæ, cõſideratis omnibus circumſtantijs,ſuper fornicatione,adulterio,homicidio,periurio, & alijs criminibus; præſertim ſi perſona ſit nouiter conuerſa, prout iudicabit expedire ſaluti ipſius.Item nouelliter conuerſi ſunt inſtruendi paulatim in fide, in forma confeſſionis, ideſt Confiteor, in oratione Dominica,in Symbolo. Item nouiter baptizati ſunt cõmunicandi in feſtiuitatibus conſuetis, & in articulo mortis.

2359 *Cap. IX.* Officij.

SIcut mulieri, quæ de adulterio concepit ignorante marito, & prolem habuit, non eſt pœnitentia deneganda, licet ex timore nolit hoc marito oſtendere, ſic non eſt deneganda pœnitentia mulieri, quæ inſcio viro ſuppoſuit ſibi partum, nè hæreditas mariti tranſeat ad alios, præſertim alienos.

Gloſ. Conceditur pœnitentia, quia non crederetur ei, ſi hoc experiretur. Item in foro animæ cuilibet creditur.

2360 *Cap. X.* Noua quædam.

ABbatiſſa non poteſt proprias moniales benedicere,nec confeſſiones audire, nec publicè prædicare, quia Beata Virgo, licet fuerit dignior Apoſtolis, tamen non ei, ſed Apoſtolis fuit hoc conceſſum.

Gloſ. Abbatiſſa non poteſt legere Euangelium publicè: forſan poterat in matutinis, vnde dicitur Diaconiſſa 27. q.1. *Diac.* Item mulier non poteſt prædicare, immo nec laici, nec docere, nec ſacra vaſa tangere, nec velare moniales, nec abſoluere, nec iudicare,niſi aliqua nobilis hoc habeat ex conſuetudine, nec arbitrium in ſe ſuſcipere,nec procurare in iudicio, niſi forte pro patre morboſo, vel decrepito,nec aduocare in iudicio; tandẽ nec aliquod officium viri. An poſſint inſtituere,vel ſuſpendere,vide *c.dilecte de maior.& obed.*

Cap.

2361 *Cap. XI.* Quod in te.

TEmpore interdicti conceditur viaticum,& pœnitentia morientibus. Clerici, qui seruarunt interdictum generale,si moriantur possunt sepeliri in cœmeterio cum silentio, ideſt ſine ſolemnitatibus, & campanis. Item in Conuentualibus eccleſijs bini,& bini, vel terni poſſunt legere, non cantare horas Canonicas ianuis clauſis, & excluſis excommunicatis, & interdictis: ita tamen ſubmiſſe, vt exterius non audiantur, quia ſimile priuilegium à Sede Apoſtolica eſt conceſſum aliquibus regularibus. Item Cruce ſignatis, & peregrinis pœnitentia concedi poteſt.

Gloſ. Tempore interdicti ſemper excipiuntur hæc tria ſacramenta, baptiſmus, pœnitentia morientium, viaticum, quod intelligitur in nomine pęnitentiæ. Item pęnitentia etiam conceditur euntibus ab bellum iuſtum, ideſt cum periculo.

2362 *Cap. XII.* Omnis vtriuſque ſexus.

OMnes fideles vtriuſque ſexus cum peruenerint ad annos diſcretionis, ideſt cum ſunt doli capaces, tenetur ſaltem ſemel in anno fideliter confiteri omnia ſua peccata proprio ſacerdoti, & ſtudeant proprijs viribus adimplere iniunctam ſibi pęnitentiã Item ſuſcipiant reuerentur ad minus in Paſchate ſacramentum Euchariſtiæ, niſi forte de conſilio proprij ſacerdotis ob rationabilem cauſam duxerint abſtinendum ad tempus:alioquin viuus arceatur ab ingreſſu eccleſiæ, & mortuus careat ſepultura Chriſtiana; & hoc ſtatutum frequenter in eccleſijs publicetur,ne quis excuſetur. Item ſi quis iuſta de cauſa vult confiteri alieno ſacerdoti ſua peccata, prius petat, & obtineat licentiam à proprio ſacerdote, quia aliter illum non poteſt abſoluere, vel ligare. Sacerdos ſit diſcretus, & cautus, & vt medicus peritus infundat vinum,& obleum vulneribus,diligenter inquirens circumſtantias peccatoris, & peccati, vt prudenter eligat quale conſilium, & remedium debeat adhibere vtendo diuerſis experimentis ad ſaluandum ægrotum. Item ſacerdos caueat omnino, ne verbo, vel ſigno, vel alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem, ſed ſi prudentiori conſilio indigeat, cautè ſine expreſſione perſonæ inquirat, quia qui præſumpſerit reuelare peccatum in confeſſione ſibi detectum, eſt deponendus à ſacerdotali officio, & detrudendus in arctum monaſterium ad agendam pęnitentiam perpetuam.

Gloſ. Si de licentia petita, & obtenta à Parocho vult alteri confiteri, debet eligere alterum habentem executionem ordinis ſacerdotalis,

dotalis, ideſt qui ab Epiſcopo præficiatur, & non alium, quia non poſſet. Item propter eamdem rationem religioſi non habentes populum, ſed priuilegium abſoluendi alienos parochianos, non poſſunt abſoluere ſine licentia proprij ſacerdotis; quia priuilegium dat eis ſolum executionem ordinis, & æquiparat eis, qui præficiuntur ab Epiſcopo: ſed adhuc requiritur licentia Parochi, quæ eſt alia ſeruitus. *c. ex tuarum de vſu pall. c. paſtoralis de priuileg.* Nec Papa, per tale priuilegium intendit præiudicare proprio ſacerdoti. Item quid ſi Parochus non vult dare licentiam, vt alteri confiteatur? videtur quod poteſt ire ad alium. *c. licet de regular.* vel vadat, & petat ab eius ſuperiore. Item confeſſor diligenter experiatur vires pęnitentis qualem pęnitentiam poſſit portare. *c. alligant 16. q. vlt.* Ita vt potius reddat rationem de miſericordia, quam de crudelitate, *c. non ſatisfaciendi 86. diſt.*

2363 *Cap. XIII.* Cum infirmitas.

Medici corporales vocati ad ægrotum ante omnia moneant, & inducant ægrotum, vt confiteatur: ſæpe enim peccatum eſt cauſa infirmitatis, & ſic poſt confeſſionem ſalubrius curatur corpus. & Medicus, qui tranſgreditur hanc conſtitutionem, tamdiù ab ingreſſu eccleſiæ arceatur, donec competenter ſatisfecerit. Item Medicus ſub pęna excommunicationis non ſuadeat ægroto aliquid, quod conuertatur in periculum animæ pro ſalute corporali.

2364 *Cap. XIV.* Cum ex eo.

Quæſtores eleemoſynarum non admittantur niſi exhibeant veras literas Apoſtolicas, vel ordinarij, & tunc non permittantur aliud proponere populo, præter id, quod in literis continetur, (& ponetur forma literarum). Item qui deſtinantur ad quærendas eleemoſynas ſint modeſti, & diſcreti, non hoſpitentur in tabernis, vel locis incongruis, non inutiles, aut ſumptuoſas expenſas faciant, non gerant habitum falſæ Religionis. Item cum dedicatur Baſilica ſiuè ab vno, ſiuè à pluribus, non extendatur. Indulgentia vltra annum, & in aniuerſario dedicationis non vltra 40. dies de iniunctis. Sic etiam eſt moderandus numerus dierum, quando Epiſcopus aliquo caſu concedit indulgentias, nè exceſſiuè, & indiſcretè indulgentiæ conceſſæ à Prælatis conterantur, & eneruent ſatisfactionem pęnitentialem. Trid. ſeſſ. 5 Ref. 2. ſeſſ. 21. Ref. 9.

Gloſ. Et ſi concedat vltra hunc terminum, non tenet. *cap. ſi eo, eod. in 6.* Sed tantum valeret pro termino, qui hic præſcribitur.

Cap.

2365 Cap. XV. Nostro.

ARchiepiscopus potest concedere indulgentias in superiori cap. taxatas, in tota sua prouincia, & literas remissionis.

Glos. Idem & legati.

2366 Cap. XVI. Ne pro dilatione. *Honor.iij.*

EPiscopi, & superiores, & prælati minores exempti possunt eligere sibi discretum, & prouidum confessorem præter licentiam sui superioris.

Glos. Quia nemo potest absolui nisi à suo proprio prælato. *c.omnis vtriusque eod.* & periculosum erat Episcopis adire suos superiores: ideo conceditur, vt supra.

IN SEXTO LIBER V.

DE POENITENTIIS, ET REMISsionibus. Tit. X.

2367 Cap. Romana.

Trid.sess.5 c.2.sess.21 c.9 Conc. Lugd. QVæstoribus v.g. pro fabrica ecclesiæ, non detur ab ordinario facultas citandi alios: sed satis est, vt charitatiuè admoneant, vt soluant. Item in concedendis indulgentijs Archiepiscopus non excedat statutum concilij generalis. *c.cum ex eo, eod.*

Glos. Nisi ex priuilegio posset concedere plures dies 40. Item ex Panor. est in arbitrio lucrantis indulgentias, si velit in hoc sæculo, vel in futuro illas sibi applicare, idest si pro meis excessibus fuit impositum, vt ieiunem 40. dies, possum per indulgentias 40. dierum non ieiunare, vel non pati in Purgatorio.

2368 Cap. Si Episcopus.

QVando Episcopus concedit suo subdito, vt sibi possit eligere idoneum confessorem, electus non potest absoluere à casibus specialiter reseruatis Episcopo: quia in generali concessione non veniunt illa, quæ verisimiliter in specie non esset quis concessurus. Item non potest dari consuetudo, vt quis præter licentiam sui superioris possit sibi eligere confessorem, qui eum absoluat, &c.

Trid. sess. 14.can.11. *Glos.* Hic supra. *cap. omnis vtriusque sexus*, addit, quod consuetudo contraria non valet; nec tenet absolutio, quia est sententia à non suo iudice. *c.at si clerici de iud.* Item quando meus Parochus

dat

dat mihi facultatem eligendi idoneum confessorem non possunt eligere simplicem sacerdotem, sed curatum alium similem: sed si curatus dicat, confitearis cum illo nominatim, licet sit simplex, possum, quia facit illum delegatum. *c. omnis vtr.* sed post Concilium Tridentinum debet esse approbatus. Item debet eligere idoneum, idest qui sciat circumstãtias considerare, & vti diuersis medicamentis ad sanandum. *c. omnis.* Item casus Episcopis reseruati, sunt absoluere excommunicatos in maiori excom. *c. nuper de sent. excom.* imponere pęnitẽtias blasphematoribus. *c. 2. de cler. malef.* sortilegis. *c. 2. de sortileg.* Commutatio votorum *de voto, & voti cap. 1.* dispositio male oblatorum incertorum, & certorum, quando non extant domini. *c. cum sit de iudic.* pęnitentia imponenda contrahentibus clandestinè, vel cõtra interdictum ecclesiæ. *c. cũ inhibitio de clandest.* Solent Episcopi sibi reseruare multa, vt publica delicta, homicidia, falsitates, falsa testamẽta periuria, incestus, sacrilegiũ bestialitas, &c.

2369 *Cap.* Indulgentiæ.

INdulgentiæ, quæ ab vno, vel pluribus Episcopis in dedicationibus Ecclesiarum, vel alijs casibus conceduntur, non habent vires si excedunt statutum concilij generalis. *c. cum ex eod.*

Glos. Non valent in eo, in quo excesserunt, sed valent in numero taxato, quem non excedunt, licet alij negent valere etiam in numero taxato.

CLEMENTIN. LIB. V.
DE POENITENTIIS, ET REmissionibus. Tit. IX.

2370 *Cap.* Cum secundum.

DAmnatis ad mortem non est deneganda pęnitentia, si petant; & Episcopi moneant; & si opus est, cogantur censuris officiales.

Glos. Nec est deneganda Eucharistia. *c. quod in te, eod. c. sane, de celebr. miss.* Idem si fuit pęnitens, non tamen est deponendus à furca, sine licentia iudicis; quam facile debet dare.

2371 *Cap. II.* Abusionibus.

REpetit *c. cum ex eo, eod.* contra quæstores; & Episcopus debet examinare eorum literas Apostolicas. Item numerantur excessus quæstorum, & si delinquant, puniantur ab Episcopis.

EX-

EXTRAV. COMM. LIB. V.
DE POENITENTIIS, & remissionibus.

2372 *Cap.* Antiquorum. *Bonif. viij.*

INnouat, & confirmat antiquas, & plenissimas indulgentias concessas visitantibus Basilicas sancti Petri, & Pauli centesimo quoque anno, qui est annus Iubilæi: sed Romani, vt lucrentur accedant ad Basilicas 30. diebus continuis, vel interpolatis, & saltem semel in die: si sint peregrini, aut forenses, simili modo 15. diebus. Qui verò amplius, & deuotius easdem Basilicas frequentauerit, plus merebitur, & efficacius indulgentias consequetur.

Glos. In sacramento Pœnitentiæ pœnæ iniungendæ dicuntur arbitrariæ, quia pœna quæ erat æterna, post culpam remissam fit temporalis: sed quanta sit, confessor ignorat, sed ad suum arbitrium arbitratur quanta possit esse, & iniungit proportionatam pœnitentiam. Item indulgentiæ vt valeant, quinque requiruntur: primo auctoritas concedentis, quæ residet in Papa: secundo idoneitas in recipiente, idest sit membrum ecclesiæ, & sine culpa post contritionem, & confessionem, quia non remittitur pœna remanente culpa. Tertio, pietas in fine, idest propter honorē Dei, & exaltationem sanctæ Ecclesiæ. Quarto, vtilitas in opere, idest opus, quod prō indulgentia obtinenda imponitur, sit vtile, & ordinabile ad honorem Dei & exaltationem Fidei. Et nota quod in concessione indulgentię non attenditur quantitas operis, sed qualitas operis, quia indulgentia respicit principaliter gratiam, & non meritum propriū, sed Christi. Quinto congruitas in tēpore, idest in anno Iubilæi, & in Natiuitate, vbi canitur pax in terris. Itē si Papa concedit indulgentias sine causa, non teneat, quia non est Dominus, sed minister, & dispensator. Itē qui in bono statu incepit facere opere opera indulgentiarum, vt 15. dies, & interim peccat mortaliter, & completis 15. diebus, sed ante annum confitetur, non lucratur indulgentias, quia dicta verba respiciunt peccata commissa, non committenda. *c. ex parte extrauag. de conf.* Item qui ante indulgentias fuit confessus, & fuerunt ei iniuncta aliqua facienda, mox per indulgentiam an tollantur illa, sed melius quod non, quia specialis obligatio per generalem absolutionem non tollitur, nisi fiat mentio specialiter de illa obligatione. *c. 1. de confi. in 6.* & *c. ex multiplici de decim:* licet Papa posset, si vellet,

si vellet, id est si expressisset. Item qui fuit confessus ante hanc indulgentiam, & remansit in gratia, verificatur quod sit confessus. Item de mente Papæ per hanc indulgentiam tolluntur omnia vota, etiam si imposita sint in pęnam peccati, nisi tangant tertium. Item Pęnitentiarij nihil debent iniungere vltra iniunctionem hic positam, secus indulgentia frustraretur, possunt tamen ad alium finem iniungere, vt ad cautelam, vel supererogationē. Item si monachus humiliter petit licentiam ab Abbate, vt veniat ad lucrandam hanc indulgentiam, Abbas debet concedere. Item qui cępit peregrinationem pro hac indulgentia, & in via moritur, vel legitimè impeditur, lucratur indulgentiam: sic declarauit Papa. Item vel saltem semel in die sic intelligitur: qui v. g. hodie visitat Diuum Petrum cras, vel alio die Diuum Paulum, dicitur semel in die: sed ambæ istæ visitationes habentur pro vno die. Item forenses, id est qui de foris venerunt non causa peregrinationis, possunt lucrari indulgentias per 15. dies. Item Curiales morantes in Curia, vt Cardinales officiales Curiæ, Aduocati, procuratores, qui terminum sui recessus ignorant, faciant per 30. dies. sic declarauit Papa Sixtus, anno 1300. quia nec peregrinantur, nec verè sunt forenses, nec Romani. Nota: Clemens VI. anno 1350. reduxit Iubilæum ad 50. annos, & addidit tertiam ecclesiam visitandam, id est sancti Ioannis Lateranen. Martinus V. magis abbreuiauit, Paulus Secundus ad 25. annum. Vide *decret. vnigenitus, infra.*

2363 *Cap.* Vnigenitus. *Clem. vi.*

CLemens VI. Iubilæum restringit ad 50. annum, & addit Basilicam sancti Ioannis Lateranen.

2364 *Cap.* Et si Dominici. *Paulus ij.*

VLtra casus Bullæ Cenæ Domini Paulus II. reseruauit sibi alios, id est violationem interdicti à Sede Apostolica positi, conspirationem in personam, vel statutum Papæ, & qualibet offensam, inobedientiam, rebellionem eiusdem, vel Sedis Apostolicæ, presbytericidium, offensam personalem in Prælatum, vel Episcopum, simoniam super ordinibus, vel beneficijs assequendis intra, vel extra Curiam; qui casus non possunt absolui per indulta, & concessiones generales, nisi fiat specialis mentio.

2365 *Cap.* Quemadmodum. *Sixtus iv.*

SIxtus IV. confirmat Iubilæum publicatum, & reuocat omnes indulgentias plenarias, & facultates commutandi vota, & faculta-

tes,

tes, componendi, & dispensandi in male ablatis, vel per vsuram, & facultates deputandi confessores cum potestate absoluendi etiam à casibus reseruatis Sedi Apostolicæ. Item reuocat facultates, & indulta concessa monasterijs, hospitalibus, pijs locis, vniuersitatibus, fraternitatibus, tam in perpetuum, quam ad certum tempus, in vita, vel in articulo mortis.

2376 *Cap.* Et si Dominici.

SIxtus IV. reuocat indulgentias, & facultates, quas ipsemet concesserat, absoluendi casus Bullæ Cœnæ Domini, & alias supra positas, & commutandi quinque vota: & si quis hoc attentauerit, vi facultatum ab ipso concessarum, sit excommunicatus cum reseruatione Papæ.

DECRETALIVM LIB. V.

DE SENTENTIA EXCOMMVnicationis. Tit. XXXIX.

2377 *Cap. I.* Super eo. *Alex. iij.*

SI vnus clericus, vel aliquis alius impubes alium clericum percutit, potest absolui Episcopo, & non est mittendus ad Sedem Apostolicam. Item si contingat clericos se ad inuicem percutere ex leuitate iocosa, & non ex odio, vel inuidia, vel indignatione, licet sint in plena ætate, non sunt excommunicati; nec magister si intuitu disciplinæ, vel correctionis scholarem percutit, quia non verificatur violenta iniectio manuũ; sed si ex odio, mittantur Romã.

Glos. Ætas impuberum excusat non à toto, sed à quanto, idest sunt excommunicati, sed non debent ire Romam. ***c. quamuis. c. vlt. eod.*** Item sicuti magister, ita & pater potest corrigere filium clericum, sic propinquus. ***c. ex tenore,*** & ***c. cum voluntate, eod.***

2378 *Cap. II.* Monachi.

SI Monachi, & Canonici Regulares quocumque modo se in claustro percusserint, non sunt mittendi Romam, sed Abbas absoluit; & deficiente discretione Abbatis, corrigat Diœcesanus.

Glos. Dummodo non enormiter, nec in Episcopum, vel Abbatem, vel clericum secularem manus violentas inijciant. ***c. cum illorum,***

rum, eod. Si percusserit monachum alterius claustri, debet absolui per Abbatem vtriusque monasterij. *c.cum illorum. c.canonis.1.eod.* Si monialis monialem, vel conuersam, vel conuersum, vel clericum percusserit, absoluit Episcopus. *c.de monialibus eod.*

2379 *Cap. III.* Si vero.

OStiarius si prætextu sui officij malignatus clericum percutit nō grauiter, absoluit Episcopus; officialis, qui deliberate inijcit manum in clericum, non Episcopus sed Papa absoluit, nisi fortè coercendo turbam irruentem non ex deliberatione, sed casu fortuito clericum lædat. Item qui in continenti vim vi repellendo clericum lædit, non est mittendus Romam, id est, non est excommunicatus. Item qui clericum cum vxore turpiter inuentum, vel cum matre, sorore, vel filia propria interficit, non est excommunicatus, seu non ibit Romam: sed si inuenit cum alia sua consanguinea non ita proxima, & manus violentas in eum inijcit, est excommunicatus.

Glos. Percussio grauis semper excipitur. Item laicus, qui de mandato sui Episcopi inijcit manum in clericum, est excommunicatus; nisi clericus deliquerit, nec aliter capi possit. *c.vt famæ,* & *c.vniuersitatis eod.* licet vim vi repell. *c.ex tenore eod.* Item quod dicitur de vxore, intelligitur de sponsa de presenti: imo licet re vera non sit vxor, sed putatur loco vxoris. Item nomen matris non extenditur ad ascendentes, vel descendentes.

2380 *Cap. IV.* Si vero.

QVi ignorans probabiliter, aliquem esse clericum, vt quia barbam nutriebat, eum percutit, non est excommunicatus: & si est dubium an ignorauerit, iuret se ignorasse: & si iurare recusat, est excommunicatus, & habetur pro tali, donec absoluatur à Papa.

Glos. Si ignorantia non est probabilis, non excusat. *c.Apostolicæ de cler.exc.min.* Item si tonsuram vidit, & non credidit esse clericum, incidit in excommunicationem si erat clericus; sed si non erat clericus, debet adhuc abstinere, donec certificetur. Si putabat percutere laicum, & percussit clericum, per hunc Tit. non videtur excommunicatus; res est dubia, & Glos. putat esse excommunicatum. Item qui non vult iurare, vitabitur tanquam excommunicatus, quia præsumptio stat contra ipsum. *c.excommunicamus de hæret.* & qui se non purgat habetur pro conuicto. Item clericus dimittens habitum non amittit priuilegium ante trinam admonitionem. *c. in audientia, eod.* Item iuramento statur in præiudicium alterius, quando est præsumptio, v.g. habitus laicalis.

2381 *Cap. V.* Non dubium.

QVi percutit clericum, vel religiosum, etiam conuersum est excommunicatus, nec potest absolui nisi à Papa, vel in articulo mortis.

Glos. Dubium, est an conuersi ecclesiæ sæcularis gaudeant hoc priuilegio, sed putat benignius quod sic, si se, & sua diuino obsequio tradiderunt. Item quod dicitur de regularibus extenditur ad conuersos vt hic, & *c.ex tenore eod.* & quod de monachis ad regulares. *c.si quis suad.* 17.q.4.

2382 *Cap. VI.* Mulieres.

MVlieres, & aliæ personæ, quæ non sunt sui iuris, si inijciunt manus violentas in clericum, absoluantur à Diœcesano; personæ vero quæ sunt magnæ potentiæ, vel ita delicatæ, vt nequeant sumere laborem veniendi ad Vrbem, nuncietur prius Papæ de statu personæ, & negotij, & postea secundum consilium Papæ corrigantur de scelere. Qui mandat clericum percuti, vel eius authoritate percutitur, est excommunicatus, & mittendus Romam, quia verè committit delictum.

Glos. Filij fam. qui sunt in patria potestate, & dicuntur etiam non sui iuris, sunt mittendi Romam, nisi sint impuberes. *c.quamuis. c.vlt.eod.* vide *c.relatū eod.* Item Episcopus debet arbitrari an possit subire laborem eundi Romam: si non potest, & est periculum moræ, potest illum absoluere accepta cautione, quod stabit mandato Papæ. *c.de cætero*, & *c.sacro eod.c.vlt. tit. sup.* Si non est periculum consulat Papam prius. Item mandans, & qui facit ex mandato incidunt, quia mandatum est iniustum, cui non debet obediri. Item, qui mandat, & ante exceptionem eum pęnitet, si non reuocat, ita vt reuocatio ad mandatarium perueniat, incidit. Item si mandans ante iniectionem manus moriatur, non erit excommunicatus, quia mandatum morte extinguitur, licet alij contrarium teneant. Item qui ratum habet, ex post facto, licet aliqui dicant esse excommunicatum, tamen putatur quod non; secus si potuit prohibere, & non prohibuit, & causa fuit.

2383 *Cap. VII.* Porro.

QVi clericum percutit, & non conuincitur, licet sit secretus, debet satisfacere parti, & ire Romam, quia nō potest Episcopus.

Glos. Non est absoluendus, nisi prius satisfecerit læso. Item Abbas potest absoluere percussores monachos. *c.monachi c.cū illorū, eod.*

Cap.

2384 *Cap. VIII.* Nulli.

ETiam priuilegiati debent vitare excommunicatos; & si percutiunt, etiam ipsi sunt excommunicati, & vitandi.

2385 *Cap. IX.* Parochianos.

QVi percutit monachum, vel conuersum religionis, est excommunicatus, & vitandus, & ita est denuntiandus; nec potest absolui, nisi satisfaciat læsis, & cum literis Ordinarij adeat Sedem Apostolicam.

Glos. Monachus percussus non potest agere actione iniuriarum, quia actio conuenit Monasterio, sicut actio iniuriæ serui competit domino: & si monachus remisit, adhuc Monasterium potest agere, sicut si filius fam. remittit iniuriam sibi factam, pater potest adhuc agere; imo si iniuria fieret filio volenti, pater potest agere. Item Monasterium potest remittere iniuriam factam monacho, sed ecclesia sæcularis non potest remittere iniuriam factam clerico. An satisfactio sit danda monacho læso, vel Monasterio? Resp. vni horum potest dari, quia satisfactionem, quam acquirit monachus, acquirit Monasterio: sed si lædatur clericus sæcularis, debet dari clerico illi coram Iudice ecclesiastico, aliquando coram laico.

2386 *Cap. X.* Ex tenore.

POnitur forma seruanda in absolutione ab excommunicatione pro percussione clericorum; idest positis literis Apostolicis absoluens recipiat iuramentum, quod stabit suo mandato; deinde authoritate Papæ ipsum absoluat; mox in virtute iuramenti præcipiat, ne de cætero in clericum, monachum, vel conuersum religionis iniiciat manus violentas, nisi se defendendo, vel de mandato suorum prælatorum, vel nisi sit eius prælatus, vel magister, & nisi sit cum ipso socius in eadem ecclesia.

Glos. Iste iurans non tenetur seruare nisi iustum mandatum, vel in dubio. Item per hoc iuramentum tantum potest præcipere, vt stet mandatis ecclesiæ, & quod satisfaciat læso, *c. parochianos c. ea noscitur*, *eod.* Item socius in ecclesia percutiens alium socium non iurat, quia præsumuntur isti sæpe inuicem rixari.

2387 *Cap. XI.* De cætero.

PErcutiens clericum, si habet rationabilem causam non eundi Romam, vel non sine periculo, vt si est capitalis inimicitia, vel alia iusta causa, potest eum Episcopus absoluere recepto iuramento

secundum morem ecclesiæ; & etiam iuret, vt quam citius oportunè poterit, adeat Papam mandatum suscepturus.

Glos. In omni edicto quantumcumque præcise scribatur, semper admittitur rationabilis excusatio, seu legitima exceptio. *c. quamius eod.* Item Episcopus potest committere hanc absolutionem alteri *c. vlt. de officio ord.* Imo in summa necessitate potest presbyter. *c. non dubium eod.* Item si iurauit adire Papam, & cum potest, non adest, est periurus, & potest compelli, vt seruet iuramentum, sed non incidit in excommunionem.

2388 Cap. XII. Ad hæc. *Vrban. iij.*

QVando quis est excommunicatus à Delegato, & impetrat literas à Papa pro altero delegato, qui absoluat, in literis debet contineri expresè, vt præstet cautionem sufficientem, quod obediet iudicio ecclesiæ, quia Sedes Apostolica sic consueuit dare literas.

Glos. Alias sunt nullæ, quia rescriptum impetratum præter vsum Romanæ Curiæ non valet. Imo primo loco absolutio remittitur suo excommuuicarori, & deinde si ipse nolit, vel detrectet, alijs. *c. ab exommunicato de rescript.* Item cum constat de iniectione manuum non sufficit sola cautio iuratoria, nisi esset expressum in mandatis, sed primò satisfaciat.

2389 Cap. XIII. Ea noscitur. *Clem. iij.*

PErcussores clericorum, si sunt mulieres, senes, infirmi, mutilati, Episcopus absoluit, facta prius satisfactione offensis iuxta suas facultates: sed alij, siue diuites, siue pauperes, debent Papæ præsentari vt absoluantur, vel eius Legato. Item si quis infirmus timore mortis absoluitur ab excommunicatione, iuret, vt cum conualuerit adibit Papam, vel eius Legatum, recepturus mandatum mandatum Apostolicum super talibus.

Glos. In satisfactione semper consideratur facultas, & si quis non potest, mutatur in aliam pœnam. *c. 2. de maledic.* vel data cautione expectet donec possit.

2390 Cap. XIV. Cùm non ab homine.

PErcussor clericorum manifestus, licet non sit denunciatus, tamen euitandus; secretus verò à sciente tantum, & in secreto. Item qui occidit clericum, vel presbyterum, qui contempto habitu clericali enormitatibus se immiscet, non est excommunicatus; asperius tamen est puniendus, quam qui laicum occidit.

Glos.

Glos. Ex solo contemptu habitus clericalis non perditur priuilegium, nisi post trinam admonitionem. *c. in audientia. c. contingit, eod. c. 1. de apost.* etiam si portet arma, secus si se immiscet enormibus. *c. perpendimus, eod.*

2391 *Cap. XV.* Cum desideres.

NVllus potest communicare cum excommunicato antequam absoluatur, etiam si curauerit stare mandato Ecclesiæ, quia ista cautio iuratoria potius est introducta ex consuetudine Ecclesiæ, quam ex vigore Canonum; nec est tanti momenti, vt post eam ante absolutionem possit cum ipso communicari; imo, qui communicat incurrit excõmunicationem. Itẽ quando est publica fama, quod aliquis verberauit clericum, nullus debet cum eo communicare, nisi prius se purget ad arbitrium Episcopi, vel ad cautelam absoluatur. Item quando quis verberauit clericum, & satisfecit clerico, & cum eo composuit, non possunt tamen alij cum ipso communicare ante absolutionem, & debet etiam satisfacere Ecclesiæ, quam offendit.

Glos. An si absoluatur ab excommunicatione omisso iuramento, absolutio teneat. Resp. res est dubia, aliqui tenent quod non: sed verius est quod tenet absolutio, quia iuramentum non est de substantia absolutionis, sed ad cautelam, ne in posterum incidat. *c. in principio, eod.* & aliqui absoluuntur sine iuramento, non tamen debet fieri, nisi ex causa.

2392 *Cap. XVI.* Veniens.

SAcerdos, qui, vt liberius possit in ecclesia Diuina officia celebrare, regularem, vel clericos, qui ludendo turbant, vel impediunt Diuina officia manibus appositis transeundo nolentes egredi, cogit extra ecclesiam manere, non est excommunicatus, nec vitandus.

Glos. Non solum, qui habent officium in ecclesia, sed etiam quilibet sacerdos priuatus potest eijcere turbantes officia ab ecclesia sine pœna excommunicationis. Item talis eiectio præsumitur bono modo, & sine animo iniuriandi, quia sola temeritas, & violentia prohibetur. *c. 1. c. cum voluntate, eod.*

2393 *Cap. XVII.* Peruenit.

EXcommunicatum, non pro enormi, sed pro modica, & leui iniuria facta clerico, absoluit Episcopus, cuius est arbitrari, an sit leuis.

Glos. In hoc cap. est ius commune, & non pura indulgentia contra laicum.

2394 *Cap. XVIII.* Significauit.

CLerici, qui sponte, & scienter participant cum excommunicatis à Papa admittendo eos ad Diuina officia sunt excommunicati eadem excommunicatione maiori, & pro absolutione mittendi ad Papam cum literis Ordinarij.

Glos. Vel si fuerunt excommunicati cum omnibus participantibus cum eis. *c. quod in dubijs, eod.* vel isti participauerunt cum excommunicatis in eodem crimine criminoso. *c. nuper. c. si concubina, eod.*

2395 *Cap. XIX.* Tua nos.

NOn solum, qui clericos percutiunt, sed etiam incendiarij postquam ab ecclesia sunt publicati excommunicati, sunt mittendi ad Papam pro absolutione.

Glos. Non omnes incendiarij sunt ipso iure excommunicati, quia hoc non inuenitur, sed incendiarij ecclesiarum. *c. conquesti, eod.* alij verò sunt excommunicati; sed postquam sunt excommunicati, & publicati veniunt Romam.

2396 *Cap. XX.* Ad eminentiam.

EXcommunicati ob percussionem clericorum possunt absolui à Legatis de Latere Papæ, absq. eo quod hoc habeant expressum in mandatis.

Glos. Legati à Latere, qui sunt, *c. penult. & vlt. de off. deleg.* qui & iurisdictionem non habeant, nisi in ea Prouincia, ad quam delegantur, tamẽ postquam est egressus ab vrbe, donec ingrediatur, seu reuertatur potest absoluere ab excommunicatione. *c. quamuis. c. ea noscitur, eod.* Alij Legati à Latere non possunt.

2397 *Cap. XXI.* A nobis.

EXcommunicatio generaliter lata, v. g. contra fures, non ligat nisi subditos excommunicantis, nisi maior auctoritas ei delegetur.

Glos. Extranei delinquentes in Diœcesi sunt subditi ratione delicti. *c. placuit, 6. q. 2. c. ex tuarum, de prin.* & sic sunt excommunicati, nec excusantur ignorantia, idest quod nescierint sententiam, quia commiserunt rem illicitam; & sic erant in culpa, & poterant quærere de sententia. Sed secundum Hostiensem non sequitur quod qui sunt obligati ad culpam, sint etiam ad pœnam excommunicationis. Quare aliunde est hoc cognoscendum, non ex mora, quam traxit in

loco.

loco. An ſi Epiſcopus excommunicans moriatur, vel transferatur ad aliam eccleſiam, duret ſententia, ita vt qui poſtea contrafaciant, ſint excommunicati? res videtur dubia. Reſp. ſententia ſimpliciter lata non durat poſt mortem proferentis, niſi ſucceſſor eam confirmet: ſed ſi definiendo facit ſtatutum, vel decretum, tunc durat poſt mortem, quia ſunt perpetua. *c. vlt. de off. deleg.*

2398 *Cap. XXII.* Conqueſti.

QVi cum effractione ſpoliant eccleſias ſunt excommunicati denuntiandi, donec congruè ſatisfaciant paſſis iniuriam, & reſarciant damna, & cum litteris Ordinarij mittantur ad Papam.

Gloſ. Fractores eccleſiarum ſunt ipſo iure excommunicati, ſicut incendiarij eccleſiarium, ſed non fractores, vel incendiarij aliarum rerum, ſed ſunt excommunicandi. Item fractores, & incendiarij eccleſiarum antequam denuncientur poſſunt abſolui ab Epiſcopo, poſt verò non niſi à Papa.

2399 *Cap. XXIII.* Perpendimus.

SAcerdos, qui ſe falsò nominat filium Regis, & acceptis armis ſeditionem, & guerram mouet, ſi verberetur, & occidatur, occidens non tenetur ire Romam pro abſolutione, ſed Ordinarius imponat pęnam competentem pro qualitate perſonæ, quia non propulſando, ſed inferendo iniurias fuit occiſus.

Gloſ. Licet vim vi repellere. *c. ſi verò, eod. c. ſignificaſti, de homicid.* Item imponitur pęnitentia, vel ad cautelam, vel quia exceditur mandatum, vel ius.

2400 *Cap. XXIV.* Vniuerſitatis.

LAicus, qui Abbate mandante, etiam ex cauſa regularis diſciplinæ percutit monachum, tàm ipſe, quàm Abbas ſunt excommunicati: quod maximè procedit, ſi cauſa verberandi non ſubeſſet, ſed odij id fieret.

Gloſ. Diſciplina regularis non debet imponi per laicum, ſed per ipſum Abbatem; & ſi neceſſitas vrget, per alium monachum, vel clericum, vt ex tex. colligitur. Item quod dicitur de Abbate non procedit in Epiſcopo, Epiſcopus enim nullũ debet ſuis manibus percutere. *c. non liceat, 36. diſt. Aut. ſed neque. C. de Epiſc. & cler.* Item laicus verberans monachum, vt in textu, eſt excommunicatus etiam ſi monachus conſentiret. *c. contingit infra eod.* Nec obſtat *c. vt fame, infra*, vbi clerici per laicos capiuntur: nam ibi eſt diuerſus caſus, in quo aliter capi, & corrigi clericus non poteſt.

2401 Cap. XXV. In audientia.

CLericus, qui relicto habitu clericali arma militaria portat, si ter admonitus à Prælato non deponit arma, non gaudet priuilegio, *si quis suadente*, quia frustra implorat ecclesię auxilium, qui committit in ipsam; sicut iure ciuili matrona inuenta in veste meretricali, cuius pudicitia est attentata, non potest agere iniuriarum.

Glos. Clericus, qui arma sumit, si se non immisceat enormibus non admittit priuilegium clericale, nisi sit ter admonitus. *c conting. eod. c. vlt. de vita, & honest. cleric.* Item non iniuriatur matrimonio, qui ipsum ignorat. *c. si ea. c. de adul.* nec militiæ. *c. si ignorans, ff. de loc.* nec clericatui. *c. si vero aliquis sup. eod.* Item si quis percussit laicum credens, & volens percutere clericum non est excommunicatus, licet de iniuria teneatur, iudicatur enim secundum quod fit, & non secundum quod faciens intendit. *c. cum seruo. ff. de iniur.*

2402 Cap. XXVI. Quod de his.

EXcommunicatus ob percussionem clerici si non potest ire Romam aliquo canonico impedimento impeditus, vt paupertate, infirmitate graui, senectute, absoluatur ab ordinario, sed exigatur iuramentum, vt reassumptis viribus, & concessa opportunitate personali Romam visitet.

2403 Cap. XXVII. Cui pro causa. *Innoc. iij.*

EXcommunicatus ob duplicem causam, v. g. quia violauit ecclesiam, & quia percussit clericum, si exprimit vnam tantum causam pro absolutione, & absoluitur, remanet excommunicatus pro altera causa non expressa, & tenetur pro illa satisfacere.

Glos. Si non est expressa aliqua causa, sed indeterminatè absoluitur, tunc est absolutus ab omnibus: si vna tantum causa fuit expressa, tunc absolutio non extenditur ad alias. Item si ex ignorantia alteram causam non expressit, ei non suffragatur. vide hic glossam, quæ fusè de hoc tractat, & varia dubia ponit; & tandem concludit, vt aliquis absoluatur, debere omnes causas exprimere.

2404 Cap. XXVIII. A nobis.

EXcommunicatus quamuis det signa manifesta pœnitentiæ, & iuramento præstito quod ecclesiæ parebit se humiliauerit, si antequam absoluatur ab excommunicatione moritur, etiam si sit absolutus coram Deo, non tamen habetur absolutus coram ecclesia, sed potest etiam, & debet ab ecclesia absolui: quia & si non sit communica-

municatum viuo, tamen fuisset ei communicandum, quem non contemptus religionis, sed articulus necessitatis impediuit: & legitur in certis casibus in iure canonico ecclesiam ligasse, vel soluisse mortuos: nec obstat quod ecclesia habuit potestatem ligandi, & soluendi homines super terram. Item forma absolutionis seruetur, id est cum psalmo pœnitentiali, oratione Dominica, & cum alijs consuetis. Item hæres satisfaciat pro mortuo; & si admonitus non vult, compellatur per districtionem ecclesiasticam.

Glos. Talis in extremis si habuisset copiam confessarij, potuisset absolui ab illo, sed post mortem non potest absolui, nisi ab eo, à quo viuus poterat absolui. Item quando agitur contra personam, vel de persona tantum, non potest quæri post mortem, quia crimina cum morte extinguuntur. Sed quando agitur propter bona, vel contra personam & bona, potest agi post mortem. Item in forma absolutionis non est de substantia iuramentum. Item corpora si sint in cœmeterio sepulta, non sunt exhumanda, sed ita absoluenda; si sunt sepulta alibi, debent prius exhumari, mox absolui, quoad ecclesiam.

2405 *Cap. XXIX.* Nuper.

Laici qui detinent clericos in custodia publica, vel priuata, id est violenter, licet sine læsione aliqua corporis, sunt excommunicati. Item qui nominatim excommunicato communicat in crimine criminoso, v.g. dans consilium, auxilium, fauorem, est excommunicatus pari pœna, & absoluendus ab eodem, vt supra. Si communicat non in crimine, sed in orando, osculando, tunc potest absolui à proprio sacerdote, quia hic incurrit excommunicationē iuris, & non iudicis: & cum conditor canonis non sibi reseruauerit absolutionem, videtur concessisse alijs facultatem absoluendi. Item communicans in crimine, cùm absoluitur iuret, sed sine crimine non iuret. Item si absoluendus difficulter, & ex iusta causa non potest accedere ad excommunicatorem pro absolutione, absoluatur à suo Episcopo, vel sacerdote præstita cautione quod parebit mandato excommunicatoris.

Glos. Sola violentia attenditur pro excommunicatione, etiam inter solos parietes sine compedibus. Item tenetur quis de consilio, quando alter non erat facturus, secus non. Item si ego excommunico meum subditum propter crimen, & subditus alterius communicat in crimine cum eo, dando ei consilium, in me videtur delinquere, & ligatur à mea sententia, & non sententia canonis, quia appellatur subditus meus ratione delicti, & est à me absoluendus, & non à suo Episcopo: secus si esset sententia canonis.

Cap.

2406 *Cap. XXX.* Quod in dubijs.

ETiam si excommunicatus iurauerit de stando mandato ecclesiæ, tamen adhuc est excommunicatus, nec ei communicandum donec absoluatur. Item nullus tenetur communicare cum excommunicato nominatim, nisi sit ex personis specialiter exceptis à Greg. Papa *c. quoniam multos. 2. q. 3.* Item qui præsumptuose participant cum nominatim excommunicatis, si admoniti non desistant, sunt excommunicandi: si vero participant scienter cum eo, qui per sententiã est excõmunicatus cum participibus suis, sunt excõmunicati.

Glos. Neque suus prælatus potest communicare cum excommunicato, quia quod alijs prohibet, ipse facere non debet. Item iudex non debet excommunicare participantes cum excommunicato, nisi præmissa canonica admonitione, secus non tenet. *cap. statuimus, eodem.*

2407 *Cap. XXXI.* Inter alia.

EX personis nominatis in *c. quoniam multos, 2. q. 3.* illi tenentur ad familiare obsequium, & per consequens ad communionem, sine qua obsequium exhiberi non potest, qui ante excommunicationem ad huc tenebantur, cùm per excommunicationem Domini serui non liberentur, non tamen debent communicare in criminibus. Aliæ autem personæ nominatæ in dicto cap. non tenentur, nisi in articulo necessitatis; & sic vnde ius prodijt, interpretatio procedit.

Glos. Qui tenentur, sunt domestici filij, serui, mercenarij, vxor.

2408 *Cap. XXXII.* Cum illorum.

REspondetur quæstioni, An excommunicati ob percussionem clericorum, si ordinentur sint suspensi, &c. & dicit, si ipsi percussores excommunicati sint seculares, & scientes se excõmunicatos, fecernnt ordinari, sunt deponendi in perpetuũ ab ordinibus: si ignorabant, vel factũ, vel ius, hos Episcopi sicut non possunt absoluere, sic nec, & dispensare sine speciali mandato Sedis Apostolicæ; sed poterunt hæc significare Papæ, vt prouideat, quid agendum secundum rigorem, vel æquitatem. Si sint regulares, in prædictis in fauorẽ Religionis, & ne vagentur, conceditur eorum prælatis, vt eos absoluant à talibus, dummodo excessus non sit difficilis, & enormis, vt mutilatio membri, effusio sanguinis, vel manus violenta in Episcopum, vel Abbatem, quia hæc sine scandalo non possunt præteriri, non obst. *c. monachi, eod. & c. si consuluit eod. in antiqua compilat.* Item si claustralis percussit aliam personam religiosam alterius claustri, absoluatur per Abba-

Abbatem proprium, & eius, qui fuit percussus: si percussit clericum saecularem, non absoluatur nisi à Papa. Item si praedictos regulares ordinari contingat, si scienter in contemptum Ecclesiae, maneant suspensi ab executione suscepti ordinis, & officij: si verò ex ignorantia facti, vel iuris, idest quod in memoria non habeantur, pensetur prius vtilitas monasterij; & post iniunctam regularem poenitentiam, & peractam, Abbates ipsorum poterunt dispensare; dummodo factum non fuerit graue, & notabile, & nisi violenter praesumatur contra ignorantiam, vt quia erat vir adultus, & discretus. Item praescribitur Abbatibus, vt hanc formam seruent, ne abutantur permissa potestate, & sic mereantur amittere priuilegium.

Glos. Excommunicatus si ordinetur, non solum deponitur ab ordine, sed à beneficio. *c. postulastis de cler. excom. min. c. latores.* Sic excommunicatus, qui confert, vel accipit, *eod. in 6. c. 2. de eo qui ren. ab Episcop.* Item cui prohibetur minus, idest absoluere intelligitur prohibitum maius, & contra. *c. ex parte de decim.* Item quod hic conceditur in fauorem Religionis, est de his, quę inciderunt ante ingressum, de ijs enim iam erat concessum, sed quae post ingressum. *c. monachi eod.*. Excipitur mutilatio membri, vel enormis percussio, vel effusio sanguinis propter scandalum, non enim potest Abbas. Effusio verò sanguinis non intelligitur de valdè modica.

2409 *Cap. XXXIII.* De Monialibus.

MOniales si se ipsas ad inuicem, vel conuersos, vel conuersas suas, aut clericos percusserint, absoluantur ab Episcopo, in cuius Dioecesi est situm Monasterium.

Glos. Si moniales vnius Dioecesis percutiant monacham, vel monachum, vel conuersam, vel clericum alterius Episcopatus, conueniat vterque Episcopus, vel alter deleget alteri, qui eas absoluat. *c cum illorum eod.* Item Abbatissa non potest absoluere, sicut nec benedicere, nec Euangelium legere, quia claues non sunt commissae sexui foemineo. *c. noua tit. super. c. dilecta de maior. & obed.* Item Episcopus absoluat tam exemptas, quam non exemptas.

2410 *Cap. XXXIV.* Si verè.

QVando quis iniuit contractum cum post contractum excommunicatis, & sine damno non potest dissolui contractus; potest cum illis communicare. v. g pepigi cum nautis Venetis, vt me transuehant, & solui partem nauli, interim isti Veneti excommunicantur, nec volunt restituere partem nauli, possum communicare cum illis, ne videantur ex obstinatione portare commodum, &

ego

ego ex pœnitentia damnum: & ficut iure poteft quis tranfiens inter terras excommunicatorum, vel hæreticorum emere, & recipere ab illis neceffaria, & ficut excufatur familia communicans cum patre familias excommunicato, ita ego, quia in nauibus eorum fum tanquam in ipforum familia.

Glof. Cum meo maximo damno, vel incommodo non teneor fcindere focietatem cum meo focio, fed abftinere pro poffe. vide alios cafus, *c. cum defideres, eod.*

2411 *Cap. XXXV.* Vt famæ tuæ.

PRælati debent corrigere exceffus fubditorum, & poftquam funt canonicè de crimine condemnati, debent eos fub arcta cuftodia detinere, ne incorrigibiles, & aufugientes peiora faciant. Item laici citra excommunicationem poffunt capere clericos, & ad iudicium trahere etiam violenter, fi opus eft, fed de mandato iudicis ecclefiaftici, cui funt fubditi, & cuius eft corrigere: quia tūc non laici, fed iudex hoc facit, cuius authoritate laici faciunt; dummodo tamen eorum violentia non amplius fe extendat, quàm defenfio, vel rebellio exigat clericorum.

Glof. Ideft cum moderamine inculpatæ tutelæ. Item clauftrum ipfum eft carcer. Item laici de mandato fuperioris poffunt violenter accipere incorrigibiles, fed non poffunt corrigere verberando, & de mandato Abbatis. *c. vniuerfitatis eod.* & mandatū debet effe fpeciale. Item clericus depofitus adhuc gaudet priuilegio clericali.

2412 *Cap. XXXVI.* Contingit.

CLericus, qui offendit aliquem, fi pro fatisfactione ex more patriæ fuæ fubijcitur fponte verberibus, adhuc verberans eft excommunicatus: quia hæc iniectio manuum, etfi non eft violenta, eft faltem iniuriofa ordini clericali; & ille canon non tam eft in fauorem clerici ordinati, quam ordinis clericalis: fed clericus fatisfaciat competenter iniuriam paffo fine iniuria clericali, ita vt remaneat pax inter eos: & fi de cætero aliquis clericus præfumpferit fe fubijcere fimilibus verberibus, excommunicetur.

Glof. Quando fit iniuria fine violentia, inciditur in canonem *c. nuper, & c. vniuerfitatis eod.* Et hic iniuria fuit facta Ecclefiæ; quam nos non poffumus remittere, ficut filius poteft remittere iniuriam quantum ad fe, non quantum ad patrem, vel quantum tangit commodum noftrum, non quantum tangit commodum alienum. Item, qui ioco percutit clericum, licet inuitum, non eft excommunicatus. *c. 1. eod.* item percutientes iniuriosè clericum non inui-

inuitum sunt excommunicati, clerici depositi; & alij an gaudeant hoc priuilegio, vide ibi.

2413 *Cap. XXXVII.* Relatum.

SErui, qui percutiunt clericos, sunt excommunicati, & ad Sedem Apostolicam venire compellantur, quia plus Deo, quàm hominibus deferendum. Sed si hoc fecerunt in fraudem, vt subtrahāt se à seruitio dominorum, vel si domini propter hoc sine sua culpa graui damnum incurrant, tunc potest Episcopus ex indulgentia, & dispensatione Papæ, eos absoluere; & pro labore itineris iniungatur eis alia satisfactio, dummodo tamen percussio non fuerit enormis, & ad tollendum scandalum esset veniendum Romam.

Glos. Non est dicendum idem de viro respectu vxoris, & de liberto, qui locauit opera sua, quia non excipiuntur vt serui. *c. cum illorum eod.*

2414 *Cap. XXXVIII.* Sacris.

EXcommunicatus, quia communicauit cum excommunicatis, & in se reuersus de mandato Ecclesiæ expugnat illos excommunicatos, non ideo habetur absolutus, nisi prius absoluatur; nec si in bello moritur, pro eo est orandum, vel offerendum, nisi postquam constiterit per euidentia signa de eius pœnitentia: defunctus absoluatur, iuxta formam *c. à nobis eod.*

2415 *Cap. XXXIX.* Sicut.

EXcommunicatus, v.g. ab Episcopo, semper habebitur excommunicatus, & vitandus, donec constiterit de eius legitima absolutione, vel per literas Papæ, vel Delegati à Papa, vel alio modo legitimo.

Glos. Hæc in foro contentioso, & quando fieret actori præiudicium, non sufficit vnus testis, nec sufficit honestas personæ, vt ei credi debeatur, nec illa indicia, quæ sufficerent. *c. inter. c. tuæ de de cler. pereg.* secus quando nulli fit præiudicium. In foro verò conscientiæ est illi credendum, quia non præsumitur quod sit immemor suæ salutis. *c. sancimus. 1. quæst. vlt.*

2416 *Cap. XL.* Per tuas.

QVando excommunicatus ab Episcopo appellat ad Metropolitanum, si vult probare excommunicationem esse nullam, quia fuit lata post legitimam appellationem, vel continebat errorem intolerabilem patenter, est admittendus ad probationem horum,

rum,licet abſolutionem non petat: ſed donec de illis conſtiterit, in alijs eſt vitandus, licet Sedes Apoſtolica conſueuerit tales abſoluere ad cautelam:in alijs verò, niſi imploret gratiam abſolutionis,non eſt audiendus:Sed ſi humiliter petat abſolutionem, metropolitanus eum debet abſoluere. Sed ſi vult deferre ſuo ſuffraganeo, ad illum remittat: & ſi ſuffraganeus non vult illum abſoluere ſecundum formam iuris, abſoluat metropolitanus, ſumpta cautione,quod parebit ſuo mandato, deinde cauſam audiat, & decernat ſecundum ius. Sed ſi Epiſcopus ſuum ſubditum excommunicaſſet propter manifeſtum exceſſum, Metropolitanus non debet illum abſoluere, niſi quando ſuffraganeus requiſitus malitioſe denegauit abſolutionem.

Gloſ. Vltra hos, in quibus caſibus excommunicatus auditur,vide *c.præſenti, eod. in 6.* & quando dicatur error intolerabilis, vt non teneat, *ibidem*.

2417 *Cap. XLI.* Si aliquando.

QVando Papa cum ſuis litteris ſalutat excommunicatum à Sede Apoſtolica, non ideo intelligitur abſolutus, quia contingit huiuſmodi litteras impetrari per ignorantiam, negligentiam, vel nimiam occupationem, vel ſubreptionem.

Gloſ. Licet non poſſimus ſalutare excommunicatos, tamen poſſumus eos alloqui de pertinentibus ad eorum ſalutem;& ſi incidenter alia verba proponantur, non nocent. *c.tamen cum voluntate, eod.*Item ſi Papa ſalutaret ſcienter,eſſet abſolutus excõmunicatus;& ſic abſolutio debet importari,& cauſa ſciẽtiæ,& nõ per ſubreptionẽ.

2418 *Cap. XLII.* Officij.

QVando aliquis habet plures Prælatos,qui in ipſum habent ius, ſi propter plures exceſſus à pluribus prælatis eſt excommunicatus, ſi vult vni prælatorum de vno exceſſu ſatisfacere, non eſt abſoluendus, & ſubreptitia abſolutio non prodeſt.

Gloſ. Talis ſic abſoluatur. Vnus committat alteri ſuas vices, vel quilibet abſoluat à ſua, & vltima confirmabit precedentes, nec interim eſſet communicandum cum eo, quia excommunicatus in vna eccleſia, eſt excommunicatus quoad omnes.

2419 *Cap. XLIII.* Reſponſo noſtro.

COram excommunicatis, & interdictis eſt licitum prædicare verbum Domini,ſed non celebrare diuinum officium. Item in tempore generalis interdicti eſt licitum baptizare, & confirmare in fronte pueros.

Gloſ.

Glos. Et dare pœnitentiam morientibus; & sub nomine pœnitentiæ etiam intelligitur viaticum. *c. quod in te tit. sup.* sed non extrema vnctio.

2420 *Cap. XLIV.* Inquisitioni.

SI aliter coniugum certo scit impedimentum coniugij, licet illud probare non possit, non debet reddere, & si cogatur ab ecclesia, potius debet humiliter subire sententiam excommunicationis, quam per copulam peccare mortaliter. Si verò credit adesse impedimentum ex causa probabili, & discreta, licet non euidenti, & manifesta, potest reddere, sed non petere, ne peccet, vel contra conscientiam vel contra legem coniugalem; si credit ex leui, & temeraria credulitate, tunc ad consilium sui pastoris deponat conscientiam, & reddat, & petat debitum.

Glos. Leuis credulitas dicetur, si audiuit impedimentum à leuibus, & forte à paucis, quibus credere non tenetur, & huiusmodi. Probabilis, & discreta dicitur, v. g. quia vidit virum cum consanguinea sua in locis suspectis, & hora suspecta, solum cum sola ante matrimonium, vel quia publicè dicitur ab hominibus. *c. 3.* & *c. litteris de præsumpt.*

2421 *Cap. XLV.* Contingit.

CLerici, qui non gestant tonsuram, nec habitum clericalem, & tractant negotia sæcularia, non amittunt priuilegium clericale, nisi sint ter admoniti; tunc non gaudent eo.

Glos. Idem *c. in audientia eod. c. vlt. de vita, & honest.* Item quando grauiter excedunt, sine admonitione perdunt priuilegium. *c. cum non ab homine*, & *c. perpendimus, eod.*

2422 *Cap. XLVI.* In presentia.

QVi non præmonuit, nec imposuit, sed cum eo communicauit in mensa, vel in diuinis, non potest ei obijcere excommunicationem per mandatum denunciationis.

Glos. Exceptio excommunicationis in quacunque parte litis valet, sed mox est danda absolutio.

2423 *Cap. XLVII.* Quantæ.

QVi possunt obuiare manifestæ percussioni clericorum, & non obuiant, sunt excommunicati, quia faciens, & consentiens pari pœna punitur.

Glos. Consentiens intelligitur cooperando, & præstando authoritatem,

ritatem, & tunc punitur pari pœna, & sic intelliguntur similia iura. *c.1.de off.deleg.c.mulieres. c.nuper eod.* Sed si non cooperatur, sed non obuiat, licet teneatur ex officio, & possit tantum, non sit excommunicatus, quia non participat in crimine.

2424 *Cap. XLVIII.* Sacro.

PRælatus non potest excommunicare, nisi præmissa competenti monitione coram personis idoneis, per quas si necesse fuerit possit probari monitio: si verò contra præsumpserit, interdicitur ei per mensem vnum ingressus Ecclesiæ, etiam si excommunicatio sit iusta, & alia pœna mulctabitur, si sic iudicabitur expedire. Item qui excommunicat sine manifesta, & rationabili causa, & requisitus humiliter non curat absq. grauamine reuocare processum, grauatus conqueratur apud superiorem, qui si non est periculum moræ, remittat illum cum suo mandato ad exequutorem ab eo absoluendum intra certum terminum competentem: alioquin ipse per se, vel per alium absoluat recepta cautione sufficienti. Item quando contra exequutorem constat de excommunicatione iniusta, excommunicator condemnetur ad interesse excommunicato, & arbitrio superioris puniatur pro qualitate culpæ, quia est grauis culpa excommunicare insontem, nisi errauerit ex causa probabili, maximè si sit bonæ opinionis. Item si conquerens nihil rationabile probat contra sententiam excommunicationis, condemnetur etiã ipse ad interum excommunicari, & puniatur arbitrio superioris, nisi probabilis error ipsum excuset; & compellatur per cautionem receptam satisfacere id, pro quo fuit excommunicatus, vel reducatur in executionem donec satisfecerit. Item si excommunicator cognoscens suum errorem est paratus reuocare sententiam, & excommunicatus appellat, non absque satisfactione reuocet, non audiatur, nisi error sit talis, de quo meritò dubitatur, & tunc absoluat accepta cautione quod coram iudice appellationis, vel eius delegato parebit iuri; & sic non subiacebit pœnæ præscriptæ: & caueat ne mentiatur malitiosè in præiudicium alterius.

Glos. Quæ sit competens monitio, vide *c.constitutionem. c. statuimus eod.in 6.* Item in sententia excommunicationis est seruandus ordo iuris, sicut in alijs causis. *c.1.de excess. prælat.* sed si non seruatur tenet sententia, etiamsi excommunicans sit puniendus vt hic, quia sententia pastoris, siue iniusta, siue iusta, tenet exceptis duobus casibus. *c.per tuas eod.* nec tenet si non procedit admonitio. *c.statuimus eod.* Item excommunicatio potest esse iniusta tripliciter ex causa, ex animo, & ex ordine, vt hæc, *c. Episcopus c. non debet.* 11.*q.3.*

11.*q*.3. Item Episcopus, qui excommunicauit non seruato ordine, elapso mense potest ingredi Ecclesiam, sed punitur communione hominum, arbitrio superioris. *c. illicita*.24. *q*.3. Hodie nisi excommunicet in scriptis, & expressè ponat causam excommunicationis, est suspensus ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officijs per mensem, & si non seruat fit irregularis. *c. cum medicinalis eod. in* 6. & infra istum mensem potest absoluere excommunicatum ab excommunicatione. *c duobus, eod.* Item si excommunicator absoluit excommunicatum iurantē stare mandatis, eo absoluto primo inquirat an excommunicatio fuerit iusta, quia si non, nihil imponat.

2425 *Cap. XLIX.* Nouerit.

EXcommunicat omnes hæreticos vtriusque sexus, & fautores, & receptores, & defensores eorum. Item excommunicat eos, qui faciunt seruari statuta edita, & consuetudines introductas contra libertatem Ecclesiæ; necnon & statutarios, & scriptores statutorum, nec non & potestates, Consules, Rectores, Consiliarios locorum, vbi huiusmodi statuta, & consuetudines editæ fuerint, vel seruatæ; & eos, qui secundum illa præsumpserint iudicare, vel in publicam formam scribere iudicata.

Glos. Qui conantur venire contra libertatem Ecclesiæ sunt ipso iure excommunicati, vt *hic &*, *c. grauem eod.* & qui iura Ecclesiæ auferre conantur, vel onera ei imponere, si admoniti non destiterint, sunt ipso iure excommunicati. *c. non minus. c. aduersus de immun. eccles.*

2426 *Cap. L.* Canonica. *Honor. iij.*

CAp.2. & c. *cum illorum de monac. & canonic. regul.* extenditur nunc ad fratres hospitalarios Hierosolymitanos; idest si se inuicem percusserint, & excessus non sit difficilis, & enormis, non sunt mittendi Romam; sed eorum Prior, qui solet esse presbyter, eos absoluat.

Glos. Eodem modo quod fuit dictum de monachis extēditur ad regulares. *c. ex parte de postul.* Et quod concessum fuit religiosis extenditur ad Episcopos. *c. quod nonnullis de priuileg.* quod dicitur de Episcopis intelligitur de electis, & confirmatis. *c inter de transl.* & quod dicitur de vxore intelligitur de sponsa. Item si non esset sacerdos, vel clericus, non ita facilè ei committeretur absolutio, quia nec laicis religiosis committitur. *c. bene quidem d.96.* Item possunt suos, & non alios absoluere, quia dicitur, *Vestros*.

2427 *Cap. LI.* Super eo quod Monachi.

ALiqui Greci monachi excommunicati ob percussionem clericorum, qui non poterant induci ad iurandum secundum formam *c. ex tenore eod.* possunt pro illa vice absolui cum sola promissione manuali, quia aliquando consideratis circumstantijs locorum, & qualitatibus temporum aliquid detrahendum est seueritati.

Glos. Iuramentum, licet sit de forma, tamen non est de iustitia absolutionis in rigore, & sine eo absolutio tenet, quia iuramentum fuit introductum ad cautelam potius, ne de cætero idem delictum committatur. *c. cum desideres eod.*

2428 *Cap. LII.* Venerabili.

QVando Episcopus fert sententiam, v.g. suspensionis contra aliquem, Papa solet illam relaxare, ad cautelam; & sententiatus iuret quod parebit mandatis Episcopi, quando Episcopo constabit de causa culpabili, ob quam est lata sententia.

Glos. Pro absolutione à suspensione iuratur, sicut ab excommunicatione. Item quando absoluitur ad cautelam, licet non deberet iurare, tamen quando res est dubia, vt hæc erat, debet iurare.

2429 *Cap. LIII.* Grauem.

EXcommunicantur consiliarij & officiales ciuitatis, si non delent de libris suis statuta contra libertatem ecclesiasticam: v.g. si esset statutum, quod clericus, vel laicus sub pœna certæ solutionis non impetret à Sede Apostolica litteras contra clericos, vel laicos alicuius districtus, vel impetratis renunciet. Similiter si esset statutum quod clerici suis sumptibus aliquam arcem custodiant. Nisi ergo hæc deleant, & caueant in futurum, est contra illos excommunicatio promulganda; & statutarij, si habent feuda ecclesiastica, illis priuentur.

Glos. Post duos menses sunt ipso iure excommunicati. *c. nouerit eod. c. aduersus de immun. eccles.* vel promulgantur excommunicati, quia iam erant, sic priuati feudis denuntientur.

2430 *Cap. LIV.* Cum voluntate. *Greg.*

QVi loquitur cum excommunicato de pertinentibus ad absolutionem, vel ad salutem animæ, licet interponat alia verba incidenter, vt apud eum magis proficiat, non fit excommunicatus. Item prædicatores, qui penes excommunicatos, vel detentores

rerum

rerum alienarum prædicant,vel audiunt confessiones, licitè possunt excipere eleemosynas ab illis præsertim, si aliàs non valeant se sustentare in illo loco, quia quasi gerunt curam, vel causam illorum dominorum. Item qui ratione officij, quod habent in Ecclesia, vel clerici seniores; zelo deuotionis pueros,& adolescentes in minoribus ordinibus turbantes diuinum officium; & qui prætextu prælationis, vel magisterij subditos, vel scholares causa correctionis leuiter percutiunt, non fiunt excommunicati. Similiter qui aliquos de sua familia in minoribus, vel propinquos corrigunt vt cohibeantur ab insolentijs, vel informentur bonis moribus, non sunt excommunicati.

Glos. Seniores non possunt corrigendo verberare existentem in sacris, sed admonere, mox suspendere. Item præter hos sex casus sunt etiam alij casus,in quibus licet percutere clericum sine excommunicatione. Primo,qui iocosè percutit. *c.1.eod.* Secundo, si inueniatur cum matre, filia, vxore, sorore. Tertio, si vis vi repellatur repente. *c.si vero eod.* Quarto, si clericus post trinam admonitionem non se corrigat. *c.contingit. c.in audientia eod.* Item prædictæ personæ si in percutiendo excedant modum, non tamen irato animo, & proposito, non sunt excommunicati. Item clericus quamdiu est in minoribus, est sub patria potestate, nisi expresse mancipetur, sed in sacris non. *c.indecorum de ætat.& qualit.*

2431 *Cap. LV.* Si concubinæ.

QVi communicant in eodem crimine criminosis,incidunt in eandem sententiam criminosorum. v.g. concubinæ clericorum fuerunt excommunicatæ, quia non recesserunt à clericis concubinarijs, qui accedunt ad ipsas, sunt etiam excommunicati, quia participant in crimine criminosis.

Glos. Secus si participant in locutione, vel alias, non fiunt excommunicati maiori, sed minori. *c.nuper.c.nouerit eod. c. aduersus de immun.eccles.*

2456 *Cap. LVI.* Duobus.

SI committatur duobus, vt alter alterum possit absoluere à minori, si in eam incidat, & vterque in eam incidit; facultas non spirat.

Glos. Quia excommunicatio minor tantum priuat à perceptione sacramentorum, non à collatione. Vel dices, non spirat, quia si alter fuerit à tertio absolutus, potest mox secundum absoluere, interim tamen erat ligata potestas.

2457 Cap. LVII. Permittimus.

PErmittitur ministris ecclesiæ tempore interdicti semel in hebdomoda solemnia missarum celebrare, causa conficiendi corpus Christi, quod datur morientibus in pœnitentia, non pulsatis campanis, submissa voce, ianuis clausis, exclusis interdictis, & excommunicatis.

Glos. Idem mandatum seruent religiosi, & alij priuilegiati. *cap. nonnullis de priuileg. c. fin. eod. in 6.*

2458 Cap. LVIII. Quamuis

QVi incijt manus violentas in clericum, licet satisfaciat pro sua facultate iniuriato, non ideo potest absolui ab Episcopo, sed debet mitti ad Sedem Apostolicam, exceptis his casibus, idest imminente periculo mortis, infirmitate, inimicitia, vel inopia, ætate puerili, vel senili, fragilitate sexus, vel alia corporis impotentia, vel detineatur quolibet impedimento canonico, quo Romam non possit ire, vel beneficio iuris excusetur. Verum, qui temporali impedimento laborant (exceptis pueris) solet illis iniungi sub iuramento præstito secundum formam ecclesiæ, vt cessante impedimento adeant Sedē Apostolicā, & humiliter suscipiant mandatum ipsius.

Glos. Satisfactio, & iuramentum non sunt de substantia absolutionis ab excommunicatione. *c cum desideres, eod.*

2459 Cap. LIX Si quem.

EXcommunicatio lata simpliciter, stat pro maiori.

Glos. Siue à iure, siue ab homine. Item excommunicatus in minori à sacerdote, debet per eum reconciliari: si est à canone, & in min. quilibet simplex sacerdos potest sine iuramento, vel aliquo mandato, nisi participet in crimine. *c. nuper. c. si concubinæ eod.* qui excommunicatus est in maiori ab homine, debet ab eodem, vel à superiore absolui. *c per tuas eod.* exceptis incendiarijs post publicationem. *cap tua eod.* si à iure, potest absolui à suo Episcopo, nisi Papa sibi reseruauit, vt in percussione clericorum. *c si quis suadente. 17. quæst. 4.*

2460 Cap. LX. Pueris.

PVeri excommunicati ob percussionem, etiam si post pubertatem postulēt absolui, potest Episcopus absoluere, quia rigor est mansuetudine temperandus, propter defectum ætatis in qua fuit cōmissa.

Glos. Pueri doli capaces ante decimum quartum annum excommuni-

municati ob violentiam, ætati parcitur non in totum, sed quoad minorem pœnam. Item iuris rigor temperatur, vel ratione ætatis, vel locorum, & temporum, vel ratione personæ, & causæ, vel multitudinis, & scandali.

IN SEXTO LIBER V.

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS, suspensionis, & interdicti.

2461 *Cap. I.* Cum medicinalis. *Innoc. iv.*

Excommunicatio est medicinalis, & disciplinans: ideo qui excommunicat, proferat excommunicationem in scriptis, in quibus expresse ponat causam excommunicationis; & requisitus tradat infra mensem exemplum scripturæ excommunicationis excommunicato, super qua requisitione fiat instrumentum publicum, vel litteræ testimoniales signatæ sigillo authentico: & qui temerè contra facit, est suspensus ab ingressu ecclesiæ, & diuinis officijs per vnum mensem, & superior, ad quem recurritur, sine difficultate relaxet excommunicationem, & condemnet latorem excommunicato ad expensas, & omne interesse condemnet, & puniat alia pœna. Hæc eadem seruentur in sententia suspensionis, & interdicti. Item excommunicans, quia non seruauit prædicta, est suspensus per mensem; & si infra mensem exequitur diuina officia vt prius, fit irregularis, in qua non potest dispensari nisi à Papa.

Glos. Si excommunicatio feratur sine scriptis, & sine causa expressa in scriptis, tenet, etiam si sit iniusta; & ideo relaxatur à superiori, sed excommunicans punitur. Item causa debet exprimi, & non sufficit in communi. Item fieri publicum instrumentum non est de necessitate, sed de consilio, ne excommunicator neget se fuisse requisitum. Item si iudex ecclesiasticus videt suum subditum non curare de excommunicatione, vel non proficere, non debet excommunicare, sed infligere aliam pœnam: & si excommunicauit, debet etiam nolentem absoluere, cùm non proficiat. Item sententia diffinitiua, si non feratur in scriptis, non tenet, nec requiritur expressio causæ. Item si homini notoriè constat de iniustitia excommunicationis, vt si non est lata in scriptis, vel non expressit rationabilem causam, superior potest illum absoluere non remittendo ad excommunicatorem: si verò non constat notoriè, debet remittere ad excommunicatorem. Item iudex si post mensem à die sententiæ requi-

ratur, tenetur dare copiam sententiæ, sicut & aliarum scripturarum; non tamen incidit in has pœnas. Item iudex si sine dolo, & culpa non seruat prædicta in excommunicatione, non incidit in pœnas.

2462 *Cap. II.* Solet.

QVando excommunicatus petit absolui à superiore ad cautelam, dicens excommunicationem fuisse nullam, tunc est absoluendus, licet excommunicator, vel aduersarius se opponat, nisi obijciat quod sit excommunicatus pro manifesta offensa & si hoc dictum infra octo dies probat, non absoluetur; nisi prius sufficientem præstet emendam, vel competentem cautionem parendi iuri; si offensa est dubia, proponat. Item excommunicatus qui in iudicio vult probare se post appellationem legitimam fuisse excommunicatum, vel continere intolerabilem errorem, pendente probatione in cęteris, quæ vt actor attentat, in iudicio est vitandus, sed extra iudicium in officijs, postulationibus, electionibus, ac alijs actibus legitimis non est euitandus.

Glos. Vltra octo dies ex iusta causa potest dari dilatio ad probandum. Item vbi admittitur extra præiudicium ad officia, intelliguntur etiam diuina: & sic tutè etiam poterit celebrare. Item si admittatur ad electionem, & postea constat quod sit excõmunicatus, quia appellatio non fuit bona, tunc non valebit sua vox; vel dicas vt in *c. pastoralis de appell.* & *c. licet, eod.*

2463 *Cap. III.* Statuimus.

IVdex non potest excommunicare maiori excommunicatione participantes cum excommunicatis ab eo, nisi præmittat canonicam monitionem, nec tenet; sed remanent minori, saluis tamen constitutionibus latis contra eos, qui præsumunt participare in crimine damnato: & si iudices secus faciunt, sunt puniendi, id est timeant legitimam pœnam.

Glos. Monitio non est de substantia excommunicationis, sed de iustitia, ideo excommunicatio sine monitione tenet, sed est iniusta. *c. sacro, eod.* Item participans cum excommunicato in maiori publicato, vel denunciato, peccat mortaliter: quia participans potest excommunicari facta monitione: sed ante denunciationem esset peccatum veniale. Item participans cum excommunicato in crimine damnato potest excommunicari sine monitione. Item monitio potest fieri generaliter, & vna pro tribus. Lege *c. constitutionem*, & *c. statutum, eod.* quæ explicat hoc caput. An Episcopus communicans in crimine damnato cum excommunicato à se, incurrat ex-

com-

communicationem, & quam, minorem, vel maiorem. Resp. secundum Hostiens. incurrit maiorem, quia est excommunicatio lata à iure, quod nemo participet in crimine criminoso cum excommunicatis. *c. nuper supra.* licet alij videantur contrarium docere: vide ibi.

2464 *Cap. IV.* Quia periculosum.

Episcopi non incurrunt sententiam interdicti, vel suspensionis, nisi in ipsa sit expressa mentio de Episcopis.

Glos. Hoc caput non solum habet locum in suspensione ab officio, ingressu Ecclesiæ, & similibus, sed etiam in suspensione à beneficio. *c. si compromissarius de elect. in 6.* secus de excommunicatione. *c. pro humanis de homic. in 6.* Item nomine Episcopi conueniunt superiores, vt Archiepiscopus, Patriarcha, Primas, quia dignitas non respicitur, sed officium potificale, sed non datur superior ordo Episcopatu: vnde Papa dicitur Episcopus. de Cardinalibus vide Felin. in *c. quod super his, de fide instr.*

2465 *Cap. V.* Romana Ecclesia.

QVando officiales, v.g. Episcoporum, vt Archidiaconi, excommunicant suos subditos, vel suspendunt, vel interdicunt, non potest Archiepiscopus relaxare sententias illis subditis, antequam recurratur ad immediatos superiores, v.g. ad Episcopos, nisi sit consuetudo in contrarium. Item sententia excommunicationis Archiepiscopi solum ligat subditos, qui sunt in iurisdictione Archiepiscopi, licet generaliter feratur, & non suffraganeorum. Item sententia excommunicationis prolata, siue in genere, siue in specie pro culpis, & offensis præteritis, vel præsentibus sine competenti monitione præmissa, est iniusta. Item taliter non excommunicent, siue in genere, siue in specie pro futuris culpis, vt si tale quid fecerint, vel pro iam commissis sub hac forma, si pro illis intra tale tempus minime satisfecerint, nisi præcesserit culpa, vel offensa, vel mora, aut sit alia rationabilis causa, quæ est exprimenda in sententijs. Item non feratur sententia excommunicationis in vniuersitatem, vel collegium, ne irritentur innoxij; sed feratur solum in culpabiles de collegio, vel vniuersitate.

Glos. Si Archiepiscopus absoluat, in primo casu absolutio non tenet, quia fertur in non subditos in prima instantia. *c. venerabilibus eod. c. cum contingat de foro compet.* nisi sit consuetudo, vel priuilegium. *c. Romana de off. ordin. & de for. compet. eod.* Item Canon Concilij Prouincialis ligat prouinciam, sed decretum Archiepiscopi solum Archiepiscopatum in particulari, nisi alieni fiant subditi

ratione delicti. *c. vlt. de foro compet.* Item excommunicatio lata sine præmissa admonitione, licet sit iniusta, tamen ligat; sed fallit in vno casu. *c. statuimus eod.* sed excommunicator incurrit pœnas; *c. sacro eod.* vide in *c. prox.* Item aliud est statutum, aliud est sententia: statutum potest fieri pro futuris delictis, vt statuimus, vt nullus faciat hoc; & qui fecerit, sit ipso facto excommunicatus. *c. à nobis de sent. excom.* sed sententia non, vt hic prohibetur; v.g. excommunico Petrum si hoc fecerit. Item vniuersitas non potest excommunicari; sed si excommunicetur, an teneat? multi negant: tutius est quod teneat secundum ecclesiam; & qui illis postea sunt subrogati, debent se tenere pro excommunicatis, & petere absolutionem ab excommunicatione.

2466 *Cap. VI.* Dilecto filio.

PRælatus contra potentiam temporalem, v.g. si eum vult suis bonis mundanis iniuriose spoliare, vel violenter occupare, potest se defendere armis temporalibus, & spiritualibus, idest excommunicatione, interdicto: quia omnia iura permittunt singulis vim vi repellere, & se defendere, & vtroque gladio vti, imo etiam præbere tale auxilium cuilibet proximo ad repellendam ipsius iniuriam. *Glos. Cap.* significasti de homicid.

2467 *Cap. VII.* Veneralibis.

ARchiepiscopus non potest absoluere excommunicatum ab aliquo, qui est subditus suffraganeo, vt ab Abbate, vel Archidiacono, quia non est iudex, nec excommunicati nec excommunicatoris. Item Archiepiscopus non potest absoluere excommunicatum ab ipso suffraganeo, vel eius officialibus, nisi ad eum fuerit appellatum, tunc enim potest; si vero non fuit appellatum, licet altera pars recurrat ad Archiepiscopû, tunc nô potest cognoscere de iniustitia excommunicationis, nisi in duobus casibus. Primo, quando vna pars fuit ad instantiam partis excommunicata à suffraganeo, & deinde coram Archiepiscopo petit suffraganeum puniri de iustitia. Secundo quando Episcopus non ad instantiam partis, sed ex suo officio excommunicauit, tunc potest Archiepiscopus cognoscere de iustitia sententiæ. Item Archiepiscopus debet absoluere excommunicatos à suffraganeo, antequam incipiat causam audire in casibus, in quibus ei competit iurisdictio: vt quod quis post diffinitiuam fuit excommunicatus, & appellat, exceptis casibus, in quibus iura prohibent appellare. Sic si suffraganeus extra iudicium, sed pro sua offensa, vel pro defensione sui iuris, aliquem excommunicat, & super

hoc

hoc illi querelam ponit, prius est absoluendus secundum formam ecclesiæ, nisi suffraganeus se offerat probaturum, quod eum pro manifesta offensa excommunicauit. Sic si fuit excommunicatus ob contumaciam, quia non comparuit in termino, siue causa sit contra partem, & appellauit, & pars contradicat absolui; siue causa sit cum Episcopo, & excommunicatus dicit quod verè contumax reputari non debet quia fuit in itinere captus, vel legitimè impeditus, est prius absoluendus iuxta formam ecclesiæ; secus si fatetur se contumacem, vel constet de contumacia manifesta, vel offensa, tunc non est absoluendus, nisi prius satisfaciat expensis, & det cautionem de stando iudicio ecclesiæ; mox absoluatur. Quare contumacia debet esse manifesta, & non præsumpta. Idem in similibus casibus: vt si iudex vocat aliquem ad certum locum, & ille dicit locum ei non esse tutum, quod non probat, & non comparet; si deinde appellat, est absoluendus vt supra. Item quando quis ex causa legitima, vel probabili, v.g. quia locus non est tutus, appellat, & actu excommunicatur, superior, ad quem fuit appellatum, non statim declaret excommunicationem nullam, sed ad cautelam relaxet ad tempus secundum formam ecclesiæ. Item quando constat excommunicationem fuisse iustam, iudex superior remittat excommunicatum ad excommunicatorem, nec absoluat, nisi periculum sit in mora, vel nisi excommunicator requisitus malitiosè deneget illi absolutionem. Si constat esse iniustam, non remittat, sed absoluat: si res est dubia, superior potest eum absoluere, nisi velit deferre excommunicatori, quod honestius, & conuenientius est. Quando Archiepiscopus de excommunicatione cognoscere potest, si absoluit, absolutio tenet, licet sit iniusta; quia & si contra ius litigatoris, non tamen constitutionis absoluit. Item Archiepiscopus in casibus, in quibus potest excommunicare subditos suffraganei, potest ab eis exigere emendas pecuniarias secundum consuetudinem regionis. Itē quando excommunicatus dicit sententiam continere errorem intolerabilem, Episcopus negat, tunc Archiepiscopus potest eum absoluere ad cautelam. Item similiter si dicat se excommunicatum ante diffinitiuam sententiam in iudicio, vel extra, post legitimam appellationem potest Archiepiscopus absoluere ad cautelam iuxta formam ecclesiæ, etiam ante quam incipiat cognoscere de veritate causæ appellationis.

Glos. Archiepiscopus non est iudex subditorum suffraganei, quando proceditur per viam querelæ, secus quando per appellationem, vel vt supra *in c. sacro, eod.* Item forma absoluendi excommunicatos in ecclesia antiquitus erat longa: (vide ibi) hodie non seruatur,

sed

ſed ſufficit, *ego te abſoluo ad hac excommunicatione.* Appellatio interpoſita poſt diffinitiuam intra decem dies non reuocat excommunicationem latam inter ſententiam, & appellationem, ſicut reuocat alia attentata, quia excommunicatio, aut ſtatim valuit, aut ſtatim non valuit. Item iudex poteſt mulctare pœna pecuniaria loco excommunicationis, licet non ſit conſuetudo, ſed non expedit: ſed ſi fiat, debet conuerti in pios vſus.

2468 *Cap. VIII.* Decernimus. *Alex. iv.*

IVdices eccleſiaſtici compellant per cenſuram eccleſiaſticam iudices ſeculares, præmiſſa canonica admonitione, vt repellant excommunicatos ab agendo, patrocinando, teſtificando in ſuis curijs, & iudicijs.

Gloſ. Iudex eccleſiaſticus poteſt compellere iudicem laicum, vt ſeruet iura canonica in materia peccati. Item quæ poteſt, vel non poteſt facere excommunicatus, vide ibi. An poſſit teſtari? communis opinio, quod ſic, licet alij negent.

2469 *Cap. IX.* Conſtitutionem. *Greg. x.*

QVando excommunicantur participantes cum excommunicato præmiſſa canonica monitione, & ſeruatis ſeruandis, debent etiam exprimi nominatim, hi qui monentur. Item iudices quando faciunt canonicas monitiones, ſiue citant tribus, ſiue vna pro tribus, obſeruent interualla competentia aliquorum dierum, niſi neceſſitas facti ſuaſerit aliter illa eſſe moderanda.

Gloſ. In hoc caſu *c. ſtatuimus*, vt quando participantes ſunt excommunicandi, debent nominatim moneri; nec ſufficit generalis monitio. Item quando fit vna monitio pro tribus, explicetur, & detur terminus competens, explicando pro ſingulis (vide ibi) formam. Item nominatio poteſt fieri non ſolum per nomina, ſed per circumſtantias indubitabiles, quæ habent vicem proprij nominis. Item probabile eſt, quod hodie non poſſunt generaliter excommunicari participantes, niſi in crimine crimnoſo.

2470 *Cap. X.* Præſenti.

QVamuis excommunicatio relaxetur ad cautelam, vt in *c. venerabilibus*, tamen interdictũ poſitum generaliter in ciuitates, caſtra, vel alia loca, vel terras non relaxatur ad cautelam.

Gloſ. Et ſi fiat non tenet. Item ſi interdictum fiat particulariter in perſonam poteſt relaxari ad cautelam, vt excommunicatio: idem ſi generaliter in Collegium, vel Vniuerſitatem. Item eos caſus, in quibus excommunicatio eſt nulla: vide ibi.

Cap.

2471 *Cap. XI.* Quicumque.

SVnt excommunicati omnes, qui dant licentiam molestandi, vel grauandi in personis, vel in bonis illorum, qui excommunicauerunt, suspenderunt, interdixerunt, vel quorũ occasione hæ sententiæ sunt prolatæ, vel obseruantes illas sententias, vel eos, qui nolunt cõmunicare cũ prædictis, nisi re integra licentiam reuocauerint, vel re non integra si occasione licentię sit processum ad bonorum captionem, nisi infra octo dies restituant, vel satisfaciant. Item sunt excommunicati, qui ausi sunt vti dicta licentia, vel qui sine licentia suo motu aliquid prædictorum prohibitorum committunt. Item qui in hac excommunicatione manserit per duos menses, non poterit deinde absolui, nisi per Sedem Apostolicam.

Glos. Episcopus incurrit hanc excommunicationem. Item, qui hac occasione percussit laicum, est excommunicatus: sic qui vetat, ne quis vendat, vel emat ab eis.

2472 *Cap. XII.* Si iudex.

SI iudex laicus detineat captum malefactorem, qui dicit se esse clericum, ideo petat remitti ad ecclesiasticum, vel iudex ecclesiasticus illum repetat, & laicus neget esse clericum, cognitio huius causæ spectat ad iudicem ecclesiasticum, idest an ille sit clericus, vocato tamen iudice seculari. Si vero sit notorium, vel est fama publica, quod ille sit clericus, vel si pro clerico communiter habetur, tunc statim in continenti, etiam ante cognitionem, an ille sit clericus, debet reddi curiæ ecclesiasticæ: similiter debet statim remitti, si ante capturã reus non gerebat se vt laicum publicè, & fuit captus vt clericus, idest in tonsura, & vestibus; quia status alicuius videtur esse, in quo ipse deprehenditur, donec contrarium constet; sicut qui est in possessione ingenuitatis. Si verò antequam caperetur, publicè se pro laico gerebat, & pro tali communiter habebatur, quamuis in tempore capturæ fuerit inuentus in habitu clericali, tunc non est statim restituendus, quousque ipse probet de titulo, est enim præsumptio contra ipsum, tamen contra eum interim non procedatur.

Glos. An iudex laicus possit capere clericum in delicto deprehensum sine authoritate iudicis ecclesiastici non incurrendo excommunicationem ob manum violentam? Resp. si periculum est in mora, idest ne fugiat, & delictum maneat impunitum, potest; secus non. Item in dubio ecclesiasticus est iudex. Item nec remittet clericum, qui amisit priuilegium. Item quando est præsumptio in contrarium, non sufficit possessio, nisi fiat fides de titulo. *c. 1. de præsump. in 6.*

Cap.

2473 Cap. XIII. Statutum.

SIcut non poteſt iudex excommunicare excommunicatione maiori participantes, niſi præmiſſa canonica monitione; ſic nec poteſt eoſdem participantes ſuſpendere, vel interdicere ſine monitione canonica præmiſſa: & additur quod prædictæ cenſuræ, ſi aliter fiant, ideſt ſine monitione, non tenent, vel ſi non nominatim.

Gloſ. Hoc caput ſupponit *c. ſtatuimus*, & *c. conſtitutionem, eod.*

2474 Cap. XIV. Licet.

QVi eſt excommunicatus poſt legitimam appellationem, & per negligentiam non proſequitur ſuam appellationẽ, poſt tempus elapſum, non ideo conualeſcit excommunicatio lata, ſed elapſo tempore eſt publicè denuntiandus excommunicatus, & eſt vitandus in iudicio, & extra iudicium, & remouendus ab actibus legitimis, donec doceat quod fuit excommunicatus poſt appellationem, vel alias de nullitate excommunicationis.

Gloſ. Interim poteſt peti abſolutio ad cautelam, nec ceſſat iuriſdictio iudicis, poteſt enim procedere in cauſa principali. Item non ſequitur, eſt denunciatus excommunicatus, ergo excommunicatus: quia poteſt non eſſe excommunicatus vt in textu. An ſi quis poſſit excipere probando ſolum denuntiationem? Reſp. affirmatiuè. vide ibi.

2475 Cap. XV. Si clericos.

PRælatus capi faciens ſuos clericos propter exceſſus commiſſos, etiã ſi capiat per laicos, ne fugiant, & cuſtodiat in carcere, etiam ſi nondum conſtet illos eſſe incorrigibiles, non eſt excommunicatus, nec capientes ſunt excommunicati, quia non adeſt temeritas, nec iniuria, niſi ex propoſito excedant. Item ſi clerici dent cautionem fideiuſſoriam Epiſcopo de parendo iuri, prælatus non debet eos detinere, ni enormitas exceſſus, vel alia cauſa rationabilis perſuaſerit illos eſſe detinendos.

Gloſ. Textus, & *c. vt famæ*, loquuntur de captione, & incluſione clerici de mandato Prælati, qui punire poteſt etiam per laicos, licet ille nondum appareat incorrigibilis: ſed *c. vniuerſitatis eod.* loquitur de verberibus, quæ prælatus per laicum infert clerico, vel monacho, ſiue iniurioſe, ſiue per modum diſciplinæ, ſunt enim excommunicati. *c. vlt. de reg.* Item ſi non excedunt, id eſt quando quiete ſeduci permittit. Item fugiens inimicos, ſi à clerico equitante equum petat, & eo negante vi aufert, & poſtea remittit, eſt excommuni-

muuicatus, licet sint diuersæ opiniores. Item iudex laicus detinens clericum in carcere est excommunicatus.

2476 *Cap. XVI.* Si sententia.

INterdicto clero, non intelligitur populus interdictus, nec è conuerso: quare alter potest interesse diuinis. Item cum propter delictum domini, vel Rectoris Ciuitas est interdicta, ciuesque non sunt culpabiles, nec interdicti, possunt extra ciuitatem interesse diuinis. Item interdicto populo singulares de populo sunt interdicti, nec possunt audire diuina, vel accipere sacramenta, nisi in casibus à iure concessis.

Glos. Interdicto clero alicuius ecclesiæ, non est interdicta ecclesia, quare alij clerici licitè in ea celebrant. *c. per exemptionem de priuil. in 6.* Item bene iuterdicitur vnus pro delicto alterius. Item aliud est interdicere Ciuitatem solum, vel ciues solum, vel vtrumque. Item interdictis, quæ permittuntur à iure, vide *c. vlt. eod. c. quid in te de pœn. & rem. c. quoniam infra.*

2477 *Cap. XVII.* Si ciuitas.

SI Ciuitas, Castrum, vel villa interdicatur, intelliguntur etiam interdicta suburbia, & continentia ædificia. Ideo enim hæc interpretatio fit latior, ne contemnatur interdictum. Item si interdicatur ecclesia, sunt interdictæ capellæ, & cœmeterium contigua, & sic non potest in eis sepeliri, secus si non sunt contingua.

Glos. Quæ ædificia dicantur continentia, relinquitur arbitrio iudicis, non enim dicuntur contigua, quia hæc sunt quorum extrema se inuicem tangunt. Item cum interdicitur ingressus ecclesiæ, interdicitur etiam & sepultura cęmeterij. *c. is cui eod.* Item si in tempore interdicti fuit aliquis sepultus post interdictnm, si pęnitens decessit non est exhumandus. Item licet interdicta ecclesia contigua. *c. vnico de consecr. eccl. in 6.*

2478 *Cap. XVIII.* Si qui.

CElebrans scienter in ecclesia polluta sanguine, vel semine, vel coram excommunicatis in maiori, licet temerariè agat, tamen non fit irregularis, quia hoc non est expressum in iure. Item scienter celebrans in loco interdicto, nisi in casibus permissis, vel ex priuilegio, fit irregularis, in qua nemo potest dispensare, nisi solus Papa, & non potest eligere, nec eligi.

Glos. Secus si ignoranter probatur. *c. Apostol. de cler. excommun. c. 1. de postu.* Item ecclesia polluitur effusione sanguinis humani iniuriosi,

riosi, vel semine humano, etiam cum vxore. *c.1. de consec.ecclesiæ, vel alt.in 6.* Item celebrans corã excommunicatis,& si non fiat irregularis tamen proximè fit,quia fit suspensus. *c.is cui,eod.* Itẽ suspensus ab officio ad tempus à confessario,si celebrat non fit irregularis.

2479 *Cap. XIX.* Quoniam in baptismo.

QVando terra est interdicta, licitè potest fieri chrisma in die cœnæ Domini, quia est necessarium in baptismo,& confirmatione, quæ tempore interdicti licite dantur pueris, & adultis.

Glos. Vetus chrisma non debet esse vsui vltra annum, sed debet comburi in fine anni. *c. de consecr. dis.3* & hæc sacramenta conceduntur tempore interdicti. *c.responso, eod. c.non est vobis de spons. c.vlt.eod.* Ergo concesso principali, idest baptizare, conceditur accessorium, id est concessio chrismatis. *c.accessorium de reg.iur.in 6.*

2480 *Cap. XX.* Is cui.

SVspensus ab ingressu ecclesiæ per consequens est suspensus à celebratione diuinorum in dicta ecclesia: quare si agens in suo officio, vt prius se ingerit diuinis in illa ecclesia, fit irregularis: & si morietur in tali suspensione,non potest sepeliri in ecclesia,vel cœmeterio ecclesiastico, nisi prius pœnituerit. Item suspensi ab officio, vel ingressu ecclesiæ, vel eius effectus non suspenduntur per sequentem appellationem, sicut nec excommunicantur.

Glos. Suspensus ab ingressu ecclesiæ si celebret extra eam, vt sub aere,vel sub tentorio,vel domo priuata,non fit irregularis. Item cui interdicitur ingressus ecclesię,interdicitur etiã sepultura cœmeterij, siue cœmeterium sit contiguum ecclesię,siue non,quia hoc interdictũ est personale,& non locale,*vt supra c.si ciuitas,eod.* Item subsequens appellatio nõ suspendit suspensionem ab ingressu ecclesiæ,vel diuinorum, sicut nec à beneficio, sed bene suspenderet suspensionem à perceptione beneficij, quia est tẽporalis,sicut & à temporalibus,vel à præbenda: secus si dicat à canonica,quia est specialis. sed verius est quod appellatio subsequentem suspẽdit suspensionẽ à beneficio, quia textus de hoc non meminit,& loquitur de mere spiritualibus.

2481 *Cap. XXI.* Religioso.

QVando religiosus percutit clericum sæcularem,potest Episcopus absoluere religiosum in eo casu in quo posset clericum sæcularem, qui alium percussisset. Item qui percutit nouitium religionis, est excommunicatus,licet ante quam fecerit professionem, religiosus censeri non posset.

Glos.

Glos. Casus, in quo Episcopus potest, sūt: si percussio est leuis, non solum leuissima. *c. peruenit, eod.* si percutiens est debilis, vel delicatus. *c. mulieres. c. ea noscitur, eod.* si est æger, vel in mortis articulo. *c. quod de litteris eod.* & similes, solus Papa. *c. cum illorum, supra eod.*

2482 *Cap. XXII.* Eos qui.

QVi est in aliqua censura, à qua non potest absolui nisi à Papa, & propter mortis periculum, vel aliud impedimentum legitimum absoluitur ab alio, si deinde cessante periculo, vel impedimento quam citò commodè poterit cotemnit se præsentare illi, à quo erat absoluendus, ad recipiendum mandatum, & satisfaciendum, reincidit in eam censuram. Item qui absoluti à Sede Apostolica, vel ab eius Legato cum hoc, vt se presentent superiori immediato, vt accipiant pœnitentiam, & satisfaciant passis iniuriam, si hæc non implent cum cōmodè possunt, reincidunt in eandē pœnam.

Glos. Enumerat 30. casus excommunicationum huius libri, & 52. Clementinarum, quos vide.

2483 *Cap. XXIII.* Cum quis.

QVando quis percutit clericum nomine meo, sed sine meo mandato; si postea ego ratum habeo, sum excommunicatus: quia ratihabitio retrotrahitur, & debet comparari mandato. Si vero percussio non fuit facta meo nomine, & ego deinde ratum habeam, non sum excommunicatus, licet peccem, quia nullus potest habere ratum, quod suo nomine non est factum.

Glos. In primo casu ego sum excommunicatus à tempore ratihabitionis, & tunc habet effectum, licet dicatur retrotrahi. *c. pastoralis de appellat. c. venerabilibus, eod.* Item si ratifico in meo animo, id est sum contentus, & placet, & non per signa exteriora: imo dixi quod non ratificabam, & illum repuli; tunc licet sim excommunicatus secundum Deum, & peccem mortaliter, secundum ecclesiam militantem, quæ non iudicat de occultis, non sum excommunicatus. Item quando quis mandauit aliquem percuti, & ante percussionem reuocauit mandatum, si sequatur percussio, an sit excommunicatus? Res est dubia, sed videtur quod quoad Deum non sit excommunicatus, sed quo ad ecclesiam est excommunicatus: vide *c. cum laici, de iurepatr.*

2484 *Cap. XXIV.* Alma mater.

TEmpore interdicti, siue ab homine, siue à iure, omnes, siue infirmi, siue sani, admittuntur ad sacramentū pœnitentiæ, dummodo non

do non sint excommunicati, qui non admittuntur nisi in mortis articulo; nec etiam admittuntur hi, propter quorum culpam, dolum, vel fraudem fuit positum interdictum, nec qui ad talem culpam interdicti dederunt consilium, auxilium, vel fauorem, nisi pro ipso delicto prius satisfaciant, si possunt, vel dent idoneam cautionem de satisfaciendo, vel si non possunt, iurent quod satisfacient, quando potuerint, & laborabunt pro posse, dando consilium, auxilium, vt qui debent satisfaciant: non tamen ideo relaxatur interdictum, sed tantum conceditur eis pęnitentia. Item tempore interdicti in ecclesijs, & monasterijs, singulis diebus missæ, & alia diuina officia celebrentur vt prius, submissa voce, ianuis clausis, exclusis excommunicatis, & interdictis, & non pulsatis campanis. Item tēpore interdicti Canonici, & alij clerici, qui horis diuinis non intersunt, amittant distributiones, sicut quando non est interdictum. Item festiuitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis pulsentur campanæ, & ianuis apertis, & alta voce solemniter celebrentur diuina officia, exclusis excommunicatis, sed admissis interdictis; sed illi interdicti, pro quibus expresse fuit positum interdictum, nullatenus appropinquent altari: & in hoc derogatur Bullis prædecessorum in hac materia, remanentibus cæteris circa obseruantiam interdictorum in suo robore, non obstantibus quibuscumque. Et ratio huius capitis est, quia ex obseruantia interdicti, & subtractione sacramentorum insurgunt hæreses, indeuotio, & pericula animarum.

Glos. Vide iura antiqua. *c. non est de sponsa. c. quod in te de pœnit. & remiss. c. quoniam eod. in 6. c. permittimus eod. c. significasti de eo qui dux. in vx. quam poll. per adul.* Item licet infirmis tempore interdicti post pœnitentiam detur viaticum. *c. quod in te de pœnit. & remiss.* tamen sanis post pœnitentiam non detur Eucharistia. Item est celebrandum in ecclesijs non interdictis, licet sint in loco interdicto. Item in festis prædictis possunt canere à vesperis ad vesperas, non tamen subsequens completorium.

CLEMENTIN. LIB. V.

DE SENTENTIA EXCOMMVnicationis, suspensionis, & interdicti. Tit. X.

2485 *Cap.* Ex frequentibus.

OMnes religiosi, etiam exempti, seruent inuiolabiliter interdictum iuxta *c. alma mater,* quod sciunt obseruari à Cathedrali, vel ma-

vel matrice, vel Parochiali ecclesia, non obstante quacumque appellatione, vel obiecto: si secus hoc, eo ipso sunt excommunicati. Idem est obseruandum in interdicto, & cessatione à diuinis praescriptis à Concilio prouinciali. Idem est obseruandum in cessationibus generalibus à diuinis Ciuitatum, terrarum, & aliorum locorum, quos ponunt conuentus, vel capitula ex consuetudine, vel alia via, sed ipsi seruent statuta Pontificum Romanorum: & praedicta constitutio trahitur ad praecedentia, non obstante quocumque priuilegio, vel consuetudine.

Glos. Soli Religiosi ligantur à multis Clementinis, quas vide ibi. Item quando dicitur matrix seruare interdictum, quid si in loco non esset ecclesia? vide. Item in Clementinis sunt quinquaginta excommunicationes, quas vide. Item licet interdictum in se non teneat, tamen si matrix seruat, religiosi seruent sub excõmunicatione.

2486 *Cap.* Grauis ad nos.

EXcommunicantur cum reseruatione ad Papam omnes nobiles, & Domini temporales, qui praesumpserint quomodolibet cogere celebrari diuina officia in locis interdictis, vel euocare alios praesertim excommunicatos, vel interdictos ad audiendum diuina officia, vel prohibere, ne excommunicati publici, vel interdicti exeant de ecclesiis, dum celebrantur diuina officia, à celebrantibus admoniti, vt exeant: si ipsimet excommunicati nominatim non exeunt, iterum excommunicantur excommunicatione hac.

Glos. Qui scit esse interdictum positum ab homine, vel à iure, licet non sit denuntiatum, tamen tenetur illud seruare. Item textus ponit vocationem, & coactionem realem, vel personalem directè, vel indirectè. Item celebrans, si adsit excommunicatus, debet relinquere Missam, nisi sit Canon inchoatus.

2487 *Cap.* Cum ex eo.

FRatres Minores tempore interdicti non admittant ad diuina officia fratres, & sorores tertij ordinis; secus, sunt excommunicati, nec possunt absolui, nisi à Papa, vel facta satisfactione, ab Episcopo loci.

2488 *Cap.* Si sumus.

SI Papa scienter communicat cum excommunicato, verbo, osculo, vel alio modo, per hoc non censetur illum absoluere, nisi epxrimat per hoc velle illum absolutum haberi. Item si quem sub titulo cuiusuis dignitatis ex certa scientia, verbo, constitutione, vel

titulo nominet, honoret, vel tractet, per hoc non intelligitur illum constituere in dignitate; vel approbare, vel quicquam ei dare.

EXTRAVAG. IOAN. XXII.

DE SENTENTIA excommunicationis, suspensionis, & interdicti. Tit. XIII.

2489 *Cap.* Cum ad sacrosanctæ.

IN curia Sedis Apostolicæ littera gratiæ cum clausulis consuetis super canonicatu, præbenda, vel alio beneficio cum cura, vel sine cura, vacante, vel vacaturo, etiam si sit dignitas, officium, vel personatus, taxatur 10. turonen. grossis, non vltra. Item seruetur in similibus litteris beneficialibus gratiosis, vt super prioratu, administratione, sic, & in executorijs earundem. Si eisdem litteris gratiæ aliquæ clausulæ insolitę, & non communes apponantur, & scripturæ clausulæ nō faciant lineam, nec propter hanc clausulam augmentabitur taxatio. Si vero per se, vel alijs clausulis addita facit lineam, quæ linea debet continere 150. litteras, seu 25. dictiones, pro qualibet linea soluatur quarta pars turonen. grossi, & quod lineæ superfluerit, minus tamen littera, non mutat taxationem. Eadem taxatio seruetur cum suo moderamine, quando litteræ gratiæ sunt seruandæ in registro Apostolico: eandem seruent abbreuiatores, etiam in executorijs. Item litteræ datæ in forma pauperum soluant tantum octo turonen. grossos; & hoc, vt deferatur paupertati. Item in litteris de iustitia nihil taxatur, sed seruetur laudabilis mos soluendi. Item dum curia erat vltra montes, soluebantur dicti turonen. sed quando est citra montes, siue Romæ, soluntur Romanini pro turonibus in eadem taxatione. Item si abbreuiator formauit inepte notam, ex qua grossa littera procedit, & esset rescribenda, ipse abbreuiator soluet scriptori. Omnes, & singuli scriptores, abbreuiatores, si vltra taxam accipiunt, eo ipso sunt suspensi ab officio per sex menses prima vice, secunda in perpetuum: abbreuiatoribus verò imponitur pœna excommunicationis.

EXTRAV. COMM. LIB. V.

DE SENTENTIA EXCOMMVnicationis.

2490 *Cap.* Excommunicamus. *Bonif. viij.*

OMnes clerici, Religiosi, vel laici vtriusque sex s etiam si sint familiares curiæ, vel alij vbicumque, qui faciunt pactum, vel aliquod paruum, vel magnum promittunt, vel promissionem recipiunt, vel si ex pacto, seu promissione occulta, vel manifesta facta sub generalibus verbis, nec plenè expressis, vel sub specialibus, & aperte expressis quidquam dederint, vel acceperint, paruum, vel magnum, vel promissionem de quacumque re, vel vtilitate, propter hoc consequenda fecerint, vel recepint pro aliqua iustitia, vel gratia, pro se, vel pro alio in causis, vel iudicijs, seu alias per litteras Apostolicas, vel alias vias apud Sedem Apostolicam obtinenda, sunt excommunicati. Item qui sciuerit aliquem culpabilem in prædictis, & intra triduum non reuelat Papæ, vel alicui, per quem ad Papam fideliter deferatur, est excommunicatus. Item ab hac excommunicatione solus Papa absoluit nisi in articulo mortis, quando non potest haberi recursus ad Papam, nisi prius quantum dedit, vel recepit det pauperibus. Item iustitia, vel gratia sic obtenta est nullius momenti, & caret robore, & firmitate. Item qui scienter vtuntur talibus gratia, vel iustitia, incurrunt eandem excommunicationem, & pœnas, cum reseruatione ad Papam.

Glos. Episcopi etiam incurrunt hanc pœnam, sicut in *c. si quis suadente. c. quia periculosum, eod. in 6.* Item etiam mediatores sunt excommunicati. Item qui dat iudici pro iustitia differenda, vel auferenda, non incurrit hanc pœnam, nec ipse iudex, nec tabellio, qui plus debito accipit. Item negotio completo sine præcedente parabola potest dari aliquid promotori. Item quando neuter facto, vel verbo exprimit, & tamen hoc mente vterque gerit, non ligatur hoc vinculo, quia requiritur factum. Item non est restituendum danti, sed pauperibus propter turpitudinem dātis, turpe enim lucrū est extorquendum à possessore, & dandum pauperibus, cū res erat in se mala.

2491 *Cap.* Prouide attendentes.

INterdictum non imponatur terris pro re pecuniaria, v.g. quia populi non soluerunt sine speciali licentia Papæ, cum causa expressa, eo si ponatur, non habet vim, quia multa mala sequuntur.

2492 *Cap.* Ad certitudinem. *Clem. v.*

DEclarat excommunicatum Andronicum Paleologum, qui se Imperatorem Græcorum nominabat fauens hæreses, & schismata. Excommunicat etiam sequaces in hoc, & dantes auxilium consilium, &c. & vniuersitates supponit interdicto.

Glos. Vide *cap. ad Apostolica de sent. & re iudic. in 6.*

2493 *Cap.* Quia.

EXcommunicat eos, qui audent impugnare litteras Papæ super quibuscumque negotijs factis ante coronationem Papæ.

DECRETALIVM LIB. V.

DE VERBORVM SIGNIFICAtione. Tit. XL.

2494 *Cap. I.* Innouatæ.

NOuale est ager nunc primum precisus.

Glos. Est terra, de qua non erat memoria quod fuerit culta, & nunc colitur. *c. vlt. de priu.*

2495 *Cap. II.* Nam, & Rex.

IN scriptura nomine patris venit proauus, & auus.

Glos. Vsque ad tritauum patres dicuntur, reliqui maiores.

2496 *Cap. III.* Nam, & ego.

PVer, qui natus statim moritur, dicitur ac si non fuisset; & secundus vocatur vnigenitus.

2497 *Cap. IV.* Qui dicitur.

ANtequam conuenirent, non quod postea conuenerint, sed scriptura explicat quod factum non sit.

2498 *Cap. V.* Ioseph.

MAria peperit primo genitum, idest vnigenitum: quia in scriptura id quod primo nascitur, licet non sequatur secundum, dicitur primo genitum.

Cap.

2499 *Cap. VI.* Intelligentia.

VErba non sunt intelligenda vt sonant, sed secundum mentem intelligentis, seu secundum causas, in quibus dicuntur, quia non res sermoni, sed sermo rei est subiectus.

2500 *Cap. VII.* Nihil obstat.

DIuersitas narrandi rem non nocet, si res est eadem, vt in Euangelistis, qui eo ordine dixerunt, quo Deus voluit.

2501 *Cap. VIII.* Propterea.

QVi interpretatur epistolam debet reddere sensum sensui, non verbum verbo, ne amittatur sensus.

2502 *Cap. IX.* Quamuis.

LIcet qui praeest vocetur praepositus, tamen vsus obtinuit, vt prępositus dicatur, qui habet quandā curā Prioratus super alios.

2503 *Cap. X.* Forus.

FOrus est locus litium: dicitur à fando, vel à foraneo Rege: & constat causa, lege, iudicio. Causa est negotium, quod dum proponitur, est causa; dum discutitur, iudicium; dum finitur, iustitia. Item in omni negotio requiritur iudex, accusator, reus, tres testes: in testibus consideratur conditio, id est, sit liber, non seruus; natura, idest, sit vir, non foemina; vita, id est, sit innocens, & integer actu.

2504 *Cap. XI.* Pactum.

DIcitur pactum inter partes ex pace conueniens, scriptura legibus, & moribus comprobata.

Glos. Etiam sine scriptura fit.

2505 *Cap. XII.* Ius dictum.

IVs dictum est à iure, & id iure possidetur, quod iuste, quod bene; secus est alienum.

Glos. Loquitur de iure in re, & non in communi.

2506 *Cap. XIII.* Causa. *Pascalis.*

OBlationes, primitiae, & decimae non possunt dari iudici saeculari, & qui sic accipit est raptor, & sacrilegus.

Epit. Decretal. Ddd 3 *Cap.*

2507 *Cap. XIV.* Quæsiuit. *Innoc.iij.*

SAcerdos vno presente clerico, & etiam solus potest vngere infirmum.

Glos. In necessitate. Item in anno bissextili celebretur festum sancti Matthię secundum consuetudinem loci, dummodo vigilia sit immediate ante festum, quia illi duos dies pro vno computantur: & sic suspensus per annum non posset in vltima die celebrare.

2508 *Cap. XV.* In his.

VErbum *statuo* & verbum *pracipio* significant diffinitiuam sententiam: quia intentio, & non verba sunt consideranda.

2509 *Cap. XVI.* Olim tibi.

BEneficium Principis latissime est interpretandum. v. g. si dicit, prouideas huic, sicut vni ex residentibus, intelligitur etiam si non resideat.

Glos. Cap. quod dilectio de cont. *c. vlt. de preben.* Item in rescriptis non est facienda lata interpretatio, sed secundum intellectum concedentis, quia lites sunt restringendæ *c. nonnulli. c. vlt. de rescript.* Item neque id quod indulget beneficium, est ita interpretandum, vt multum lædat alium. *c. relatum de prabend.*

2510 *Cap. XVII.* Cum in partibus.

GEnerale interdictum dicitur non solum, cum Regnum, vel tota Prouincia interdicitur, sed etiam cum villa, vel castrum, quæ etiam vocantur terræ: & priuilegiati eodem modo se habeant in his, sicut in Regnis.

2511 *Cap. XVIII.* Cum tibi.

QVando Papa concedit, vt Episcopus possit disponere de rebus clericorum decedentium ab intestato, intelligitur etiam, & Canonicorum.

Glos. Non loquitur de bonis patrimonialibus, vel acquisitis intuitu personæ, sed de ecclesiasticis, quando esset consuetudo, quod laici illa acciperent. Item nomine clericorum veniunt omnes subditi Episcopi *sup. c. prox.* Item nomine beneficiorum veniunt maiora, & minora. *c. pen. eod.* sed strictius sumitur pro clero tantum Cathedralis Ecclesiæ. *c. cum clerici, eod.* Item indulgentia large est interpretanda. *c. cum olim. eod.*

Cap.

2512 Cap. XIX. Cum clerici.

QVi iurat esse fidelis, & obediens Episcopo, & clero Ecclesiæ, v.g. Placentinæ, non intelligitur clericus totius Diœcesis, sed Capituli Cathedralis ecclesiæ, sed principaliter obligatur Episcopo tanquam capiti.

Glos. Et secundariò capitulo.

2513 Cap. XX. Quærenti.

QVando in litteris Apostolicis ponitur verbum, censura, intelligitur excommunicatio, suspensio, interdictum, & discretus iudex ferat quam magis viderit expedire.

2514 Cap. XXI. Quid per nouale.

PEr nouale intelligitur ager de nouo ad cultum redactum, de quo non extat memoria quod aliquando fuerit cultus, & de quo ecclesia parochialis non percipit magnos prouentus, vt decimas; & sic debent intelligi priuilegia.

2515 Cap. XXII. Venerabili.

QVando fit priuilegium saluo iure matricis ecclesiæ, per matricem ecclesiam non intelligitur Romana, sed Cathedralis.

2516 Cap. XXIII. Ex parte.

QVando quis est excommunicatus, vel interdictus, si est ob contumaciam tantum, quia citatus noluit iuri stare, si prius tribuat sufficientem cautionem standi iuri congrue satisfacit, vt relaxetur sententia; si pro offensa, quia iussus noluit maleficium emendare, & offensa est manifesta, non satisfacit congruè, vt relaxetur sententia, nisi prius sufficiens præstetur emenda; si offensa est dubia, sufficit satisfacio parendi mandato ecclesiæ.

Glos. Ponit multos casus: vide.

2517 Cap. XXIV. Cùm olim.

IDem quod in præcedenti, & addit: illa offensa intelligitur esse manifesta, quæ per confessionem, vel per probationem legitimam nota est, vel per euidentiã rei, quæ nulla possit tergiuersatione celari.

2518 Cap. XXV. Abbate sancti.

VT priuilegium aliquid operetur, quando in eo conceditur aliquod, & subditur iuxta, vel secundùm morem præteriti tem-

poris, illæ dictiones iuxta, vel secundum, non sumuntur, vt conditionales, quasi referatur ad impersonale, id est, si talis mos est, ideo concedimus: sed sumitur causatiue, & determinat personale, idest quia talis mos est, ideo concedimus: quia priuilegium est lex priuata, & lex non debet esse obscura, & captiosa, sed certa, & manifesta, & lex priuata debet aliquid indulgere. Item quando est consuetudo, vt Abbas pro vno monasterio sumatur ex altero monasterio, intelligitur valere dum illud monasterium, ex quo sumitur, sit in obseruantia regulari, & in eo sit persona idonea ad Abbatiam.

Glos. In isto casu quando in monasterio non viget obseruantia, vel non reperitur idoneus, non perditur ius, quia si deinde erit obseruans, vel reperietur idoneus, ex eo est eligendus Abbas. Item nec si alienus Abbas vixit per quadraginta annos, amittitur ius.

2519 *Cap. XXVI.* Super quibusdam.

HÆretici manifesti dicuntur illi, qui publice prædicant contra fidem Catholicam, aut profitentur, seu defendunt eorum errorem, vel qui coram prælatis suis sunt conuicti, vel confessi, vel ab eis sententialiter condemnati super hæretica prauitate, quorum propria bona confiscantur, & ipsi puniuntur iuxta sanctiones legitimas. Item quando legatus Apostolicus interdicit pedagia, guidagia, salinaria, intelliguntur illa esse interdicta, quæ non apparent fuisse concessa largitione Regum, Imperatorum, vel Concilij, v. g. Lateranensis, vel quæ non sunt introducta ex antiqua, & immemorabili consuetudine. Item quando Legatus Apostolicus mandat alicui Principi sæculari, vt secundum arbitrium Legati, vel iudicis ordinarij, vel Delegati Apostolici iustitiam exhibeat in causis, intelligitur in omni causa, quæ ratione personarum, vel rerum spectat ad forum ecclesiasticum, aut super vniuersis capitulis, quæ à Legato sunt statuta pro pace seruanda, vel authoritate Apostolica statuenda. Item tenetur respondere in iudicio ecclesiastico viduis, pupillis, orphanis, & personis miserabilibus.

2520 *Cap. XXVII.* Nouimus.

CLericus degradatus tunc intelligitur traditus curiæ sæculari, quando degradatur à iudice ecclesiastico præsente potestate sæculari, & post degradationem pronuntiatur eidem sæculari, vt in suum forum recipiat degradatum, & sic intelligitur tradi curiæ sæculari, pro quo tamen debet ecclesia efficaciter intercedere, vt citra periculum mortis circa eum sententia moderetur. Item falsarius est includendus in perpetuum carcerem cum pane, & aqua.

Cap.

2521 *Cap. XXVIII.* Dilecto filio. *Honor. iij.*

QVando aliquis v.g. intendit recuperare possessionem rei, & legitimè impeditus currit tempus præscriptum, v.g. vnius anni, si Papa indulget, vt lapsus anni ei non noceat, intelligitur hoc indultum secundum ius commune, idest si in illo anno poterat legitimè recuperare, quia non intendit tollere ius alteri parti.

2522 *Cap. XXIX.* Cùm inter.

NOmen oblationis est generale, & significat omnia, quæ ad ecclesiam peruenerint quocumque titulo, vt sunt ea, quæ in festiuitate omnium Sanctorum portantur ad ecclesiam, vel ad domum sacerdotis intuitu defunctorum; & quæ in Cimilini ponuntur, & quæ de altari suscipiuntur, & quæ ante crucem, & in missa Trinitatis, & quæ pro desponsatis dantur, & lampades cum oleo; & quæ offeruntur alicui capellæ, & quæ dantur nuntio destinato per Parochiam. Item quæ dantur pro missis mortuorum, & quæ pro septimis, & trigesimis, & anniuersarijs, & panes, & quæ infra hebdomadam offeruntur, & mortuorum iudicia, & similia: quare cui debetur tertia pars oblationum, debetur etiam tertia pars horum omnium.

Glos. Quadragenalis præsumptio omnem tollit actionem.

2523 *Cap. XXX.* Ex parte vestra.

QVando dicitur à tempore motæ litis, intelligitur de tempore quo fuit facta contestatio litis, & non pro tempore, quo lapillus in denuntiatione operis noui iactus fuit.

Glos. Quia tunc incipit iudicium.

2524 *Cap. XXXI.* Ex parte vestra.

QVando legatus facit constitutionem, vt mortuariorum soluatur tertia pars Episcopo, non intelligitur de omnibus legatis, seu mortuarijs, v.g. non de his, quæ ad ornamenta ecclesiæ, vel ad fabricam Ecclesiæ necessariam, vel ad luminaria, vel quæ pro anniuersario septimo, tricesimo, ac vicesimo faciendis, nec de his, quæ specialiter fiunt personis, vt Rectori ecclesiæ, nisi fiat ratione ecclesiæ, sed de alijs, prout est in iure communi.

Glos. Cap. requisitii, de test. c. certificari, de sepul. Item legatus potest facere constitutionem in sua prouincia, quæ durat eo recedente, sed non extenditur in homines, qui non sunt de Prouincia, quam constitutionem Legatus potest interpretari.

2525 *Cap. XXXII.* Tua nobis.

QVando Papa ex iusta causa ad releuanda debita Episcopi concedit fructus beneficiorum primi anni, nomine beneficiorum veniunt etiam maiora beneficia, & præbendæ.

2526 *Cap. XXXIII.* Transmissæ. *Greg.ix.*

QVando in litteris ponitur hoc verbũ, *moderetis*, v.g *numerum Canonicorum pro quantitate redditũum*, hoc verbum *moderari*, non potest multiplicare numerum, sed minuere: quare si redditus abundent, applicentur in beneficium ecclesiæ, non diuidantur inter Canonicos.

Glos. Clerici, & Canonici in ecclesijs sunt instituendi secundum facultates ecclesiæ, & non plures; & si sunt plures, sunt minuendi auctoritate Papæ. *c.1.* & *c.auctoritate, de instit. c. quoniam, de vit. & honest. cleric.* Item sunt conuertendi in vtilitatem ecclesiæ, quando creuerunt præter diligentiam Canonicorum, secus si cum diligentia eorum. *c. cum M. de constitut.*

IN SEXTO LIB. V.
DE VERBORVM SIGNIFICAtione. Tit. XII.

2527 *Cap. I.* Veniens. *Innoc.iv.*

PEr illa verba posita in priuilegijs (*recipimus vos*, v. g. *hospitalarios in proprios filios Ecclesiæ Romanæ*) non fiunt exempti à iurisdictione Ordinarij; tamen non possunt excommunicari, suspendi, vel interdici ab aliquo, nisi à Papa, vel eius Delegato. Item quando datur priuilegium, v.g. ædificandi ecclesias sine licentia in locis desertis, per loca deserta intelliguntur illa, quæ non fuerunt culta à Christianis ex memoria hominum: per hanc tamen declarationẽ non intendit Papa derogare defensionibus, & alijs iuribus partiũ.

Glos. Terra, quæ à memoria hominum non fuit culta, & in ea apparent signa culturæ, vt sulci, tamen dicitur nouale.

2528 *Cap. II.* Constitutionem. *Nicol.iv.*

IN *c. si forte, de elect.* manifestum, & euidens, sunt synonima. Item Canonici alicuius ecclesiæ, qui statuunt non recipere in canonicum aliquem, mandante Papa sunt conspiratores, & coniuratores

ratores contra sanctam Ecclesiam Romanam, ac libertatem, obedientiam, & auctoritatem ipsius; & vt tales sunt puniendi in iure. Item statutum de non recipiendo aliquem ad mandatum Papæ est conspiratio, & coniuratio contra libertatem, & auctoritatem Sedis Apostolicæ, & est detestabile, & illicitum.

Glos. Ponit pœnas conspiratorum, vide.

2529 *Cap. III.* Exijt, qui seminat.

Declarat multa dubia, quæ possent occurrere in Regula sancti Francisci: vt quando promittunt seruare Euangelium, intelligitur secundum præcepta, vel consilia, quæ sunt in Regula. Item nihil possunt habere, etiam in communi, non tamen renunciant vsum rerum facti, & non iuris, nec in extrema necessitate, licet non possint habere proprietatem, possessionem, vsumfructum, ius vtendi, non tamen vsum facti, durante licentia: Et Domini, qui retento dominio concedunt vsum perpetuum rei, non dicuntur inutiliter habere dominium, quod iura prohibuerunt, quia est meritorium vitæ æternæ. Item non deerunt fratribus mendicantibus necessaria: quia, sicut Christus promisit, fides nunquam deficit, nec opera misericordiæ; & sic ipsis miseris dabitur. Item quando sæculares à se abdicant rem suam, & transferunt Franciscanis, dominium, & proprietas illius rei liberè, & plenè pertinet ad Papam, & Ecclesiam Romanam; sic & locorum, quæ emunt fratres, proprietas est Papæ. Excipitur quando concedens sibi reseruat dominium. Item pecuniam non habeant, nec possint accipere mutuo, quia in mutuo transfertur dominium, datur tamen remedium pro necessitatibus. ibi vide. Idem seruandum est in Legatis. Item datur licentia, vt res Ecclesiæ, seu Papæ, quarum fratres habent vsum facti, possint vendi, & per deputatum, & per tertium emi alia vtiliora. Item fratres infirmi de licentia custodis, possunt habere plures tunicas. Item, qui student non tenentur laborare, & laici laborent in conuentu. Item agitur de prædicatoribus cum licentia Episcopi. Item non ingrediantur monasteria monialium. Item, qui glossauerit hanc extrauagantem, est excommunicatus cum reseruatione ad Papam, non obstantibus quibuscumque, cum priuatione officij, & beneficij.

2530 *Cap. IV.* Priuilegium. *Bonif. viij.*

Qvando conceditur priuilegium, vt monachi, vel fratres habitantes in cellis spectantibus ad monasteria non possint excōmunicari ab ordinario, nec cellæ interdici, nomine cellæ intelliguntur tantum loca solitaria, & secreta ab hominum conuersatione separata

parata ad Deo vacandum non Prioratus ecclesiæ, vel capellæ, nec in eis commorantes.

Glos. Idem est dicere fratres, ac monachi. *c.causam,de ind.* Item nomine cellæ latè sumpto significatur etiam cubiculum intra monasterium.

2531 *Cap. V.* Sicut nobis.

QVando alicui conceditur priuilegium, vt possit conferre beneficia suorum clericorum cedentium, vel decedentium, nomine suorum clericorum, intelliguntur illi clerici, qui sunt familiares, & viuunt expensis priuilegiati continuè domestici commensales, etiam si contingat aliquãdo aliquos ex illis abesse pro negotijs gerendis priuilegiati. idem in similibus casibus.

Glos. Sed clerici diuites morantur in domo eiusdem, sed non viuunt expensis priuilegiati, & hoc verum in priuilegijs, quæ sunt odiosa, alias nomine clericorum suorum veniunt omnes subiecti. *c.cum tibi, eod.* Item nunquid possit conferre beneficia suorum clericorum cedentium, vel decedentium in Curia Romana, vel vacantia alio modo, vide *c. quamuis, de praben.* Item idem dicendum in similibus casibus. v.g. cum conceditur priuilegium, vt cum suis clericis possit dispensare super pluralitate beneficiorum curatorum, & dignitatum, vel eis conferre ius ad vacaturam, sui vocantur commensales, secus in dissimilibus. Item continuo seruire sumitur ciuiliter, licet aliquando cesset: & si ægrotat, dicitur seruire, & interdum potest abesse pro suis proprijs negotijs, & dicitur etiam seruire.

CLEMENTIN. LIB. V.

DE VERBORVM SIGNIFICAtione. Tit. XI.

2532 *Cap.* Exiui de Paradiso.

DEclarat etiam Regulam Diui Francisci vltra constitutionem, exijt, qui seminat in 6. & ait quod Franciscani ex voto non tenentur ad omnia præcepta, & consilia, quæ sunt in Euangelio, sed ad illa tantum, quæ sunt posita in Regula: quia votum determinatum cuiuslibet, debet cadere sub certo, idest Regula, in qua non posuit omnia consilia Euangelica. Item fratres prædicti non solum tenentur ex voto ad illa tria vota paupertatis, castitatis, obedientiæ nudè, & absolutè accepta, sed etiam ad ea omnia, quæ sunt in Regula,

gula, & pertinent ad tria vota, quorum aliqua ex vi verborum obligant ad mortale, idest quando apponit verborum præcepti, vel æquiualentis: aliqua non obligant ad mortale, & hæc sunt declaranda. Item licet fratres non teneantur ad omnia, quæ in regulis ponuntur sub verbis imperatiui modi, tanquam essent præcepta, vel eius æquipollentia, tamen tenentur ad aliqua, quæ æquipollent præceptis, quæ ponuntur in extrauag. vt de non habendis pluribus tunicis, de non portandis calceamentis, de non æquitando extra casum necessitatis, de vestibus vilibus, de ieiunijs aduentus, & sextæ feriæ, de officio Romano, de cura superiorum pro necessitatibus fratrum, quod seruiant infirmis fratribus, quod non prædicent contradicente Episcopo, & non nisi examinati, & approbati, & instituti à superioribus. Item de forma habitus, & professionis. Item in regula hoc verbum, teneantur, obtinet vim præcepti, & vt tale seruandum. Item nouitij pro renuntiandis bonis temporalibus consulant externos timoratos. Item nullo modo habeant pecunias, nec quæstus, vel arculas pecuniarum. Item nec clauem, nec rationem exigant de pecunijs à procuratoribus. Itē nec possūt succedere, nec sibi, nec monasterio acquirere. Itē redditus habētur pro stabilibus, & sunt cōtra paupertatē. Itē in Curijs cū agitur de rebus, fratres non assistant. Itē non contrahent pecunias. Item non habeant vineas, nec agros, sed tantùm hortos ad olera, & ad exercitiū; non habeant horrea, vt cellā vinariā, nisi in summa necessitate, paramēta, & vasa ecclesiastica sint moderata. Item vsus rerū sit pauper, vt disponit regula. Itē electio ministri Prouincialis fiat à Capitulo ad plura vota, & confirmatio fiat à Generali. Item de electione Generalis. Vide.

2533 Cap. Sæpe contingit.

Declarat quid significet illa clausula posita in commissionibus, idest, procedat simpliciter, & de plano, & sine strepitu, & figura iudicij; idest non exigat necessario libellum, non postulet litis contestationem, potest procedere tempore feriarum, amputet materiam dilationum, faciat litem breuiorem repellendo exceptiones, appellationes dilatorias, & frustratorias, refrenet contentiones, & iurgia partium, & aduocatorum, & superfluos testes; sed admittat probationes, & defensiones legitimas, & necessarias, citationem, iuramentum de calumnia, vel de veritate dicenda; petitio partium fiat in exordio, & inferatur in actis, det terminum, sententiet stans, vel sedens: si tamen seruabit ordinem iudiciarium, siue in toto, siue in parte, non contradicentibus partibus processus erit validus, & non irritandus.

EXTRAV. IOAN. XXII.

DE VERBORVM SIGNIFICAtione. Tit. XIV.

2534 *Cap.* Quorundam.

DEclarat Regulam Diui Francisci; & ait quod quanta debeat esse longitudo, latitudo, grossities, subtilitas, forma, figura, & similia habitus caputij, tunicæ interioris, spectat ad guardianos, custodes, ministros determinare: sicut de colore, & grossitie illis imposuit Clemens, *c. exiui de paradiso*, & Nicol. *cap. exÿt, qui seminat*, & onerat eorum conscientias: & fratres, qui sequuntur prædictas determinationes superiorum, sunt tuti in conscientia. Similiter obediant in habendis granarijs, & cellarijs secundum formam constitutionis *exiui*, Clem. nam obedientia est maior paupertate, & castitate.

2535 *Cap.* Quia non nunquam.

SVspendit ad beneplacitum Sedis Apostolicæ excommunicationem contra interpretantes decreta *exÿt qui seminat*, Nicol. Quarti.

2536 *Cap.* Ad conditorem.

REuocat aliqua dicta Nicolai IV. in *cap. exÿt, qui seminat in 6.* in prædictis non vult Ecclesiam Romanam acquirere aliquod ius, vel dominium, virtute *c. exÿt,* seu virtute alterius ordinationis cuiuscumque Pontificis. Excipit tamen ecclesias, oratoria, officinas, habitationes, vasa, libros, vestimenta Diuinis officijs dedicata, circa quæ seruetur constitutio Nicolai IV. *exÿt*. non praiudicat in iuribus Ecclesiæ Romanæ, si quæ in bonis ordini Minorum oblatis, aliqua alia ratione haberet, præter ordinationes Pontificum. Item imposterum nemo nominetur, aut constituatur procurator sanctæ Romanæ Ecclesiæ pro recipiendis, petendis, extorquendis, defendendis, seu administrandis bonis oblatis, vel collatis ordini, vel fratribus, nec in iudicio agetur nomine sanctę Romanæ Ecclesiæ, nisi de speciali licentia eiusdem: secus, quidquid fit est irritum. Item tollit vsum facti in rebus quæ vsu consumuntur, quia est nociuum fratribus, & ecclesiæ; fratribus, quia adhuc remanent solliciti de bonis temporalibus, quæ sollicitudo distrahit mentem ab actu charitatis, & ab vnione cum Deo, in quo consistit perfectio: tum quia

vsus

vsus facti esset ecclesiæ, cuius est dominium, & non fratrum, & tamen fratres possunt permutare, vendere donare, & sic non sunt simplices vsuarij: tum quia rerum, quæ vsu consumuntur, non possunt habere vsum facti, seu esse simplices vsurarij, cum in his dominium non distinguatur ab vsu, proprietas enim, quam habet ecclesia, esset inutilis, & otiosa. Papa ergo intellexit de his, quę vsu non consumuntur: fratres ergo habebunt vsum rerum, quæ non consumuntur vsu, & abusum rerum, quæ consumuntur vsu: abusus enim significat consumptionem rei quasi contra naturam vti, idest non remanet substantia: & sic vsus est rerum, quarum remanet substantia: imo quando datur vsus rei consumptibilis, datur solum ius ad vsum, & & non vsus, vsus enim est actio operantis, sicut in re consumptibili datur ius vt exerceat actum, v. g. equitando in equo. deinde iste vsus non potest dari, quia nec ante actum, nec post actum, nec in ipso actu. Adde, iste vsus esset iniustus, quia qui non habet ius vtendi, iniustè vtitur, ergo quando conceditur vsus facti, intelligitur de illis rebus, in quibus fratres habent ius vtendi, & non in alijs. Item dicit, quod primo dicta determinatio non expedit honori Ecclesiæ Romanæ, & dignitati, cum quotidie vi illius esset litigandum pro rebus paruis, & minimis. Item est etiam grauis, & molesta prælatis, & Rectoribus ecclesiarum, quia sæpe oporteret litigare, & se opponere Ecclesiæ Romanæ.

2537 *Cap.* Cum inter nonnullos.

ISta propositio, Christus, & Apostoli nihil habuerunt in speciali, nec in communi, est erronea, & hæretica, cum sacræ Scripturæ contradicat. Item hęc propositio, Christo, & Apostolis non competebat ius vtendi illis; quę habebant, nec vendendi, vel donandi, aut ex ipsis aliqua acquirendi, est erronea, & hęretica, quia de facto vsi sunt, & donarunt, ex Scriptura.

Glos. In ista constitutione habetur, pertinaciter asserere Christum, & Apostolos non habuisse aliqua in speciali, vel communi, esse hęreticum: quomodo intelligendum sit. *§. porrò, cap. exiit,* vide cap. prop.

2538 *Cap.* Quia quorundam.

REprobat opinionem multorum, qui impugnabant constitutiones Ioan. XXII. *c. ad conditorem,* & *c. cum interdicentes,* quod id quod fuerat determinatum, vt de Fide ab alijs Pontificibus, scilicet quod Christus, & Apostoli mendicantes non habuerunt aliquod ius, sed solum vsum facti, non poterat ab ipso Ioan. XXII. retractari: &

disputat

disputat fuse contra prędictos, & determinat prędictos Pontifices non intellexisse vsum facti, vsum simplicem denudatum omni iure, quia iste actus vtendi sine aliquo iure esset non iustus, & iste vsus, cum non sit iustus, non pertineret ad perfectionem: sed loquuntur de vsu iuste facti, pro quo competat ius vtendi, quia si intelligeretur de vsu facti simplici absque omni iure vtendi, tunc fratres possent vti tam permissis, cum prohibitis sine differentia. Nec contrarium facit vt de fide determinatum ab aliis Pontificibus, & sic iste Papa potuit constitutiones aliorum declarare, vel mutare. Item si quis scienter verbo, vel scripto defendere, vel approbare præsumpserit hæreses, vel alteram illarum damnatas in *c. cum inter nonnullos eod.* est euitandus tanquam hæreticus, idest, quod Christus, & Apostoli nihil habuerunt in speciali, vel communi, vel si habuerunt, non tamen ius vtendi. Item nullus scienter scripto, vel verbo aliquid approbet, vel defendat contra definita, ordinata, seu facta in c. ad conditorem: & si quis contra præsumpserit, habeatur tanquam contumax, & rebellis Romanę ecclesiæ. Nota, hac occasione Papa disputat hic fusè de clauibus ecclesiæ.

DECRETALIVM LIB. V.

DE REGVLIS IVRIS. Tit. XLI.

sine glossis.

1 OMNIS res per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur.

2 *Estote misericordes, &c.* Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. sicut enim scriptum est, ex fructibus eorum cognoscetis eos, de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri, vt stuprum, blasphemiæ, furta, ebrietates, & similia, de quibus nobis permittitur iudicare.

3 *Cum scandalizauerit, &c.* Vtilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.

4 Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum: nam & sabbatum custodiri præceptum est, tamen Machabæi sine culpa sua in sabbato pugnabant: sic & hodie si quis ieiunium fregerit ęgrotus, reus voti non habetur.

5 Quod latenter, aut per vim, vel alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere.

6 Cum

6 *Cum in contemplatione, &c.* In ipso causæ initio non est à quæstionibus inchoandum.

7 *Multoties, &c.* Quidquid in sacratis Deo rebus, & Episcopis iniustè agitur, pro sacrilegio reputatur, quia sacra sunt, & à quoquam violari non debent.

8 Qui ex timore facit præceptum, aliter quam debeat, facit, & ideo iam non facit.

9 Defleat peccator, quia offendens in vno factus est omniũ reus.

10 *Quamuis causæ, &c.* Non potest esse pastoris excusatio, si lupus oues comedit, & pastor nescit.

11 Indignum est, & à Romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum, vt pro spiritualibus facere quis homagium cogatur, idest sacramentum fidelitatis.

EX SEXTO.

REGVLÆ IVRIS sine glossis.

1 Beneficium ecclesiasticum non potest licitè sine institutione canonica obtineri. *Bonifac. viij.*

2 Possessor malæ fidei vllo tempore non præscribit. idem.

3 Sine possessione præscriptio non præcedit.

4 Peccatum non remittitur, nisi restituatur ablatum.

5 Peccati venia non datur, nisi correcto. *Bonifacius viij.*

6 Nemo potest ad impossibile obligari.

7 Priuilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.

8 Semel malus, semper præsumitur esse malus.

9 Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.

10 Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.

11 Cum sunt partium iura obscura, reo fauendum est potius, quam actori.

12 In iudicijs non est acceptio personarum habenda.

13 Ignorantia facti, non iuris excusat.

14 Cum quis in ius succedit alterius, iustam ignorantiæ causam censetur habere.

15 Odia restringi, & fauores conuenit ampliari.

16 Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum.

17 Indultum à iure beneficium, non est alicui auferendum.

18 Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.

19 Non est sine culpa, qui rei, quæ ad ipsum non pertinet se immiscet.

20 Nullus pluribus vti defensionibus prohibetur.

21 Quod semel placuit, amplius displicere non potest.

22 Non debet aliquis alterius odio prægrauari.

23 Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.

24 Quod quis mandato facit iudicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse.

25 Mora sua cuilibet est nociua.

26 Ea, quæ fiunt à iudice, si ad eius non spectant officium, viribus non subsistunt.

27 Scienti, & consentienti non fit iniuria, neque dolus.

28 Quæ à iure communi exorbitant, nequaquam trahenda sunt ad consequentiam.

29 Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

30 In obscuris minimum est sequendum.

31 Eum, qui certus est, certiorari non oportet vlterius.

32 Non licet actori, quod reo licitum non extitit.

33 Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.

34 Generi per speciem derogatur.

35 Plus semper in se continet, quod est minus.

36 Pro possessore habetur, qui dolo desijt possidere.

37 Vtile non debet per inutile vitiari.

38 Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus est impugnare.

39 Cũ quid prohibetur, prohibẽtur omnia, quæ sequũtur ex illo.

40 Pluralis locutio, duorum numero est contenta.

41 Imputari non debet ei, per quem non stat, si non facit, quod per eum fuerat faciendum.

42 Accessorium naturam sequi congruit principalis.

43 Qui tacet consentire videtur.

44 Is, qui tacet non fatetur, sed nec vtique negare videtur.

45 Inspicimus in obscuris id, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consueuit.

46 Is, qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille, vti debebit.

47 Præsumitur ignorantia, vbi scientia non probatur.

48 Locupletari non debet aliquis cũ alterius iniuria, vel iactura.

49 In pœnis benignior est interpretatio facienda.

50 Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.

51 Semel

51 Semel Deo dicatum, non est ad vsus humanos vlterius transferendum.

52 Non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum.

53 Cui licet quod est plus, licet vtique quod est minus.

54 Qui prior est tempore, potior est iure.

55 Qui sentit onus, sentire debet & commodum.

56 In re communi potior est conditio prohibentis.

57 Contra eum, qui legem dicere potuit, apertius est interpretatio facienda.

58 Non est obligatorium, contra bonos mores præstitum iuramentum.

59 Dolo facit, qui petit quod restituere oportet eundem.

60 Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri.

61 Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.

62 Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.

63 Exceptionem obijciens, non videtur de confessione aduersarij confiteri.

44 Quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi.

65 In pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis.

66 Cum non stat per eum, ad quem pertinet quominus conditio impleatur haberi debeat perinde, ac si impleta fuisset.

67 Quod alicui non licet, suo, nec alieno nomine licebit.

68 Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.

69 In malis promissis fidem non expedit obseruari.

70 In alternatiuis debitoris est electio, & sufficit alterum adimpleri.

71 Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus.

72 Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum.

73 Factum legitimè retractari non debet, licet casus postea eueniat, in quo non potuit inchoari.

74 Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab alijs in exemplum.

75 Frustra sibi fidem quis postulat ab eo seruari, cui fidem à se præstitam seruare recusat.

76 Delictũ personæ nõ debet in detrimentũ Ecclesię redundare.

77 Rationi congruit, vt succedat in onere, qui substituitur in honore.

78 In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem sunt concessa.

79 Nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.

80 In toto partem non est dubium contineri.

81 In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in speciali concessurus.

82 Qui contra iura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere.

83 Bona fides non patitur, vt semel exactum, iterum exigatur.

84 Cum quid vna via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

85 Contractus ex conuentione legem accipere dignoscuntur.


86 Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non alijs imputare.

87 Infamibus portæ non pateant dignitatum.

88 Certum est quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem.

LAVS DEO, ET B. V.

FINIS.



IN-

TABVLA ALPHABETICA
Iuris Canonici, & Glossarum.



Epi-

possunt

Sara-

Ele-

con-

faciẽda. 783 exceptio excommunicatorum ad inuicem quæ valet quando simul communicarunt. 919 exceptionum tempus, vel terminus quisnam est. 921 exceptiones quando debent præponi, & quæ debent præcedere. 976 exceptio quando impedit contestationem. 667. 668 exceptio peremptoria quando potest apponi. 805 exceptio quis, quando, quomodo, & contra quos potest fieri. 918. & infra.

Excipiens v. g. de procuratione quid debet probare. 1037 excipiens non repellitur per exceptionem sicut accusator. 1948

Excommunicatur, qui grauat directè, vel indirectè nolentes eligere aliquem. 176 excommunicari potest quis sub nomine dignitatis. 380 excommunicare superior quando potest suos regulares, & quando à Papa absoluendi. 503 excommunicatione maiori qui participant cum excommunicatis, qui. 2394 excommunicans sine debita monitione vel causa punitur. 2424 excommunicans quæ debet obseruare, vt sit valida, & sub pœnis. 2461 excommunicatur qui vt relaxetur excommunicatio, alios vexant 2471 excommunicatur Andronicus, qui se vocabat Imperatorem Græcorum. 2491 excommunicatus quæ non potest in beneficijs 294 excommunicatus & periurus, potest se, & suam ecclesiam defendere excipiendo. 925 excommunicati ob percussionem clericorum qui sunt, nec mittendi Romam. 1377. & infra. excommunicatus, vel interdictus quid faciat, vt relaxetur. 2516 excommunicatus minor potest eligere, sed non eligi, & si celebrat non fit irregularis. 144 excommunicatus ab Episcopo, appellans ad Metropolitanum, quando est audiendus. 2416 excommunicatum Papa si salutat, quando non absoluit, & nos de quibus possumus loqui. 2417 excommunicatus à pluribus Prælatis quomodo est absoluendus. 2418 excommunicatis præsentibus potest quis prædicare, sed non celebrare 2419 excõmunicatum vel interdictum quomodo absoluat Iudex, licet pars aduersa appellet, ne absoluet. 1014 excommunicatus si appelpellat potest denunciari excommunicatus populo. 1043 excommunicatus an priuandus omnibus fructibus, & an sit vbique. 1043 excommunicatus, si absoluatur in morte potest sepeliri, sed hæret. 1435 excommunicatus publicus quis dicatur. 1441 excommunicatus potest contrahere matrimonium, & non alia sacramenta. 1827 excommunicatus potest iterum excommunicari, & banditus banditi. 2028 excommunicati quando possunt vocari, vt agant contra hæreticos. 2066 excommunicatus si pro absolutione aliquid dat quãdo est simoniacus, & quid de expõsis. 1987 excommunicatus in dubio quid faciet. 2211 excommunicatus vel suspensus, qua officia potest facere. 2211 excommunicatus celebrans quomodo punitur. 2212 excommunicatus semper præsumitur talis, & quod in dubio, & si communicat potest Episcopo. 2214 excommunicatus minor peccat ministrando sacramenta non tamen eligi, & quæ potest. 2216 excommunicatus priuilegiati sepeliri non possunt. 2251 excommunicatus communicans cum Papa quando habetur absolutus. 2258 excommunicatus quando insordescit, quando habetur vt hæreticus. 2340 excõmunicatus an sit qui ratam habet percussionem clerici sicut mandans. 2382 excommunicatus ob percussionem cuius debet satisfacere læso, & absoluatur. 2383 excommunicato nemo debet communicare, etiam si satisfecerit, vel iurauerit stare. 2391. 2406 excommunicati an sint, qui possunt, & non obstant percussionibus clericorum. 2423 excommunicatus minori potest alterum absoluere à minori. 2456 excommunicatus ob percussionem, licet satisfecerit, quãdo potest ab Episcopo absolui. 2458 excommunicatus ab homine est absoluendus ab eodem excommunicatore, si à iure ab Episcopo. 2459 excommunicatus qui vult agere, quando est absoluendus ad cautelam & audiendus. 2462 excommunicatus quæ potest facere, vel non. 2468 excommunicatus qui denunciatur, non ideo est excõmunicatus. 2474 excommunicatus quando est, qui ratam habet percussionem, vel fuit mandans. 2483 excommunicatio cõtra officialem non extenditur ad substitutum, vel successorem, & an acta eius valeant. 380 excommunicatio contra vnum ex delinquentibus nullum afficit. 460 excommunicationis sententia non suspenditur per appellationem. 466 excommunicationis

ex-

In-

du-

N

Obe-

O

Papa

P

Pos-


do

priui-

S


T

FINIS.



Errata sic corrige

Pag 21. lin. 33 prouideatur, *lege* prouideat 23. 15 rescriptum & infra *deleatur*. 24 1 potestate, protestatione 27.25 Non fecisset, fecisset 1c. 22 *adde*, vel in perpetuum si in excommunicatione obtinuit 49 28 apponentur, opponentur 57.10 præstantur, prestatur 70 20 electorem, electorum 71.13 consensum, contentum 78 41 articuli, aliter 106.2 ad cuius, suam aliquis 106.20 sit, fit 106.24 prius, si preces 107.31 motus, natus 116.19 defectionem, defensionem 138.14 contradictus, contradictores 143. 15 sine ; siue 170 17 tempore, tempora 174. 14 sensus, sensum 75. 12 missum, ommissum 180. 10 reparatione, separatione 182.24 si aliter, si alter 185.7 præsentandum, præsentatum 187.18 iuctura, iactura 189.8 renuntiasti, renuntianti 189 19 efforta, extorta 191.5 in furorem, in fauorem 201.1 de foro competenti, de iudicijs 212 5 dies, dietas 217.4 conueni, conuenir 221.26 iuramentum, iuratū 226.25 ambo, ambæ 228.6 quam, quando est. lin. 13 quæ tertio, item 229 11 vtrobi, vtrobique 230. 22 lite spoliatus, si spolians 234.13 gradum, gradu 237 22 infesto, infracto 240.17 excusationem, executionem 241.7 repari, reparari 248.2 causæ, causa, &c. 251.2 qua, quæ 252 20 illum, illam 260. 15 priuati, priuarim 261.2 processisse, præcepisse 263.33 vtrumque, vtrinque 264.2 vxorem, mulierem lin 15 non, non est 291.21 peccata, pecunia 295.13 ad quem, & quis 295.31 adulterium, adulterinum 297.16 fidelitatis, infidelitatis 300.33 reuocari, recusari 301.25 in hoc causa, in hoc casu 305. 8 dictas, dietas lin 18 probare, *adde*, causam veram esse ; sed satis est probare quod fuerit electus. 306. 4 ordine, ordinatione lin. 9 sacramentorum, *adde*, seu sacrorum lin 10 in quo fit, in quo non fit lin. 24 dilatoris, dilatorijs lin. 29 excipiat, *adde*, excommunicatione 308.3 probatoriam, peremptoriam lin. 6 facilitate, falsitate 318 21 sententia, sententiam 315 4 ecclesiasticarum, ecclesiarum 321. 1 est, ex lin. 2 iudicium, iudicum 325.28 iurare, vitare 328.30 contra, contraria lin. 10 absoluitur, *adde*, & absolutus 331. 3 qui, quæ 333.15 accusato, recusato 337.4 contra, contraria lin. 5 tantum, tamen 339. 16 deber, deberet lin. 19 comittendo, comminando lin. 25 rescriptis, scriptis 343 1 detulerit, detulit lin. 4 debet, debent lin. 5 monimentis, monumentis lin. 17 rescriptis, scriptis 344 33 non reuocare, *adde*, nec declarare 345.23 permittat, prætermittat 347 29 iudicium, iudicum 350. 15 Papa, *adde*, cum cognitione causæ ex certa scientia, & non subreptitia 351 1 legatio, legatorum 353.10 excommunicatur, excommunicentur 357 26 & hoc *adde*, est ius nouum 358 25 sacerdotales, sacerdotes 367.8 alienus, alienis lin. 15 conferendi, *adde*, ea vice lin 10 causa, casu 368.9 consideratur, cōsiderantur 369 20 obediatur, obediat 372.14 vtilitatem, *adde*, ecclesiæ 375. 16 sui, suum 376. 5 potest, non potest 376.11 à Papa, *adde* priuilegium 379.11 eadem, eodem 387.3 *adde*, item impetrans beneficium debet exprimere, quod sit clericus 397.20 depositionem, dispositionem. lin. 26 illius, sui beneficium 402 1 lib 4 cap 4 lin. 5 Extrauagabilis, Execrabilis 402. ex, de 403. 1 collator, collector 409 2 præbendorum, præbendarij 413. 29 adminiſtrationem admonitionem 414.11 alteræ, altrri lin 12 qui gratiæ præbendis, quæ gratiæ præbendas 424.9 ecclesiastica, ecclesia 426.14 aliquod, aliquid contra 428 16 interpositiue, intempestiue. lin 19 mercato, carius 431. 25 dissimulare cogitur, dissimulate legitur 433 34 mediam, medius 441 13 creditor, debitor lin 19 procuratorem, procuratoris 442.19 *adde*, licet non de iure 445.2 pro, pio lin 27. præstar, præest 446. 18 conficiatur, perficiatur 449. 6 potest, possunt lin 2 legationi, testamenti 452. 18 tertiam, quartam 456. 3 nnn, non institura 457.20 refundir, rescindit 461 33 sibi, ibi 466.20 volunt, colunt 474 11 decimas, decimarum 476.12 ordinarie, ordines lin. 21 professionum, professorum 477.30 arguitur, argumētum 478.17 nūc valet, nunc non valet lin. 22 potest, non potest 479.19 Deo, Deo de cætero lin 24 in anno, in anno probationis 480.24 in, idest 494 28 promissis, præmissis 495.12 quarumcumque, quascumque 502. 2 exemplum, exemptum 503 6 licet, est 505.1 parochis, parochiis 512.22 pueto vero 512. 1 patrono laico, in patronum laicum 517 2 initio, in initio lin. 15 nec, ne 519.23 ius, est ius 516.6 qualitatibus, quilibet 527.1 procuratores, procurationes 530.1 lapsis, lapis 535.1 missam, aliam missam lin. 28 grauis, grauius 544 4 diœceses, diœcesis 548 3 videat, videatur 551.25 innitantur, irritantur 554.17 vindicent, iudicent 556.19 ipsa, ipse 568.5 patrimonium, matrimonium 577 18 suscepta, suspecta. 584.5 conitugi, coniungi 585.10 adoptantem, adoptatum 592.28 inuito, inuito 596.16 indiuerse, indirecte 605.8 non habet, non debet 613 11 criminosos, criminosus 629 25 dispensare, dispensari 630. 13 princeps, principes lin. 31 vndecimo, debent 640.10 iuret, curet 641. 18 seruandum, seruiendum 642.4 meant, timeant 680 27 uisi, nisi 681.14 iuste, iniuste 687.10 dores, dotis 693. 16 perineribus, peritioribus 698.17 feria, fine 699.2 absconidatur, abscindatur 703.24 vltimus, vlterius 707 9 cadere, cedere 709.1 clara, electa 712. 13 instituantur, instituatur 714. 22 morentur, moretur 718. 18 priuilegio, priuilegia 722.21 cuicumque, *adde*, singulari lin. 9 *adde*, hoc cap. loquitur de priuilegio concesso singulari personæ, non de aliis, nec præiudicat ordinario, nisi de hoc fiat expressa mentio. 737 19 quatuor, quadraginta 739. 13 ordinis, ordinarius 740. 22 ad triremes, ad triennium. 747. 25 & ponetur, & ibi ponitur 749 11 oblatorum, ablatorum 752. 13 Episcopo, ab Episcopo 754. 26 exceptionem, executionem 757 5 curauerit, iurauerit lin. 33 laicum, alanum 765. 13 *adde*, cum participantibus voluntarie 766.22 importari ex causa scientiæ, impetrari ex certa scientia 767. 23 impo uit, impetijt 768.27 non, ne lin 29 procedit, præcedit 774.10 proponat, proponatur 776 20 venerabis, venerabilibus lin. 30 iustitia, iniustitia 779 34 moneat, maneat 781 26 contigua, *adde*, sit interdictum cœmeterium contiguum, tamen interdicto cœmeterio, non est interdicta ecclesia contigua. 782.28 canonica, canonia 783.4 solus, *adde*, secus solus 785.2 hoc eo ipso, eo ipso 797. 2 verborum, verbum.



REGESTVM.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S
S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm
Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hh h

Omnes ſunt Quaterniones.



ROMAE, Apud Hæredem Barthołomæi Zannetti. ***M. DC. XXII.***

SVPERIORVM PERMISSV.